This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

IG,
IGEL.

L Soc 172635.5

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

VE RI
TAS

BOUGHT FROM THE

AMEY RICHMOND SHELDON
FUND

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM SCIENTIARVM,

AB HIS,
QVI SVNT IN COLLIGENDIS
ERVDITORVM NOVIS
ACTIS
OCCVPATI,
PER PARTES PVBLICATA.

EDENDI CONSILIVM SVSCEPIT, SVA NONNVLLA PASSIM ADDIDIT, PRÆFATIONEM PRÆMISIT,

FRID. OTTO MENCKENIVS,
PH. ET I. V. D.

VOLVMINIS SECVNDI PARS PRIMA.

LIPSIÆ
APVD IO. FRID. GLEDITSCHIVM
M DCC XLIII.

LSoc 1726.35.5

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
AUG 31 1943

Sheldon fund

PERILLVSTRI
GENEROSISSIMO. EXCELLEN
TISSIMOQVE
VIRO
IOANNI. GEORGIO
A
WICHMANSHAVSEN
DYNASTAE. CLIENTELAE. TAV
SCHA. ETC.
POTENTISSIMI. POLONIARVM
REGIS. ET. SERENISSIMI. ELE
CTORIS. SAXONIÆ. A. SANCTIO
RIBVS. ÆRARII. ET. REDITVVM. EX
METALLIS. CONSILIIS. SVPREMO
RATIONVM. PVBLICARVM
CVRATORI

VIRO. INCOMPARABILI
ET. VERE. MAGNO
RES. PATRIAS. EGREGIIS. LABORIBVS
ET. CVRIS. SVSTINENTI
REGI. CIVIBVS. BONIS. OMNIBVS
CARO
MVSARVM. DELICIO. ET. OCELLO
MÆCENATI. ÆTATE. AVGVSTEA
DIGNO
MISCELLANEORVM. LIPSIENSIVM
VOLVMEN. ALTERVM
ET. QVICQVID. EST. RERVM. SVARVM
PIE. SVBMISSEQVE. DEDICANT

AVCTORES
INTERPRETE
FRIDERICO. OTTONE. MENCKENIO

LECTORI
S. D.
FRID. OTTO MENCKENIVS.

Emenſi nuper laboris, ante annum cœpti, primum curriculum, ad edendam *Miſcellaneorum Partem alteram*, gaudentes de proſpero hoc ſucceſſu rerum noſtrarum, nec in futurum tempus diffidentes quidquam auxilio Deorum, progredimur. Nimirum, ſi alia omnia nobis deſint, nunquam deeſſe induſtriam, & literarum commoda iuvandi ardorem, patiemur. Nihil tunc, cum primam huius inſtituti velut tabulam ſuſpenderemus, a nobis ſimulate actum; fuitque hoc

nobis certum ac bene delibera-
tum conſilium, libello hoc noſtro tanquam aliquod theatrum publicum aperiendi, in quo excurrere virtus & doctrina ſeræ poſteritatis poſſet. Cui conſilio ut eventus reſponderet, nulla re magis, quam eorum, qui hæc noſtra lecturi eſſent, non dicam plauſu, ſed liberali ſaltem approbatione, eſſe opus videbatur. Dudum enim hoc non exemplis tantum aliorum conſtat, ſed ipſa etiam natura hominum nos docuit, nulla re magis in animo noſtro aut excitari bona conandi ſtudium, aut excitatum confirmari, quam ſi, contingere labori noſtro ſpectatores curioſos, nec deeſſe aliquando laudatores, intelligamus. Neque vero, ſi recte nobis blandimur, fefellit nos, in æquitate lectorum poſita, fiducia; quin ita nobis nunc eſt libere fatendum, eorum, qui in vol-

vendis

vendis hiſce *Miſcellaneis* aliquantum boni otii conſumſerunt, maiorem ſpe & opinione noſtra, fortaſſe etiam noſtro merito, in iudicando humanitatem fuiſſe. Quæ, etſi per ſe ipſa ſatis nobis & grata accidit, & honorifica, maiorem tàmen aut nobis ipſis, qui hoc unum agimus, ut recte noſtro munere fungamur, aut futuris deinde lectoribus noſtris, quorum nobis commoda inprimis curæ ſunt, fructum tuliſſet, ſi coniuncta cum amico quodam, non colligendi tantum errores noſtros, ſed, qua ratione hi emendari poſſent, nos docendi etiam, ſtudio fuiſſet. Non enim ita nobis noſtra placent, ut, ſi quis nolit omnibus hæc abſoluta numeris agnoſcere, putetque meliora dari & limatiora poſſe, is nobis rei capitalis accuſetur, nec ita abiecte de doctrina meritisque aliorum iudicamus, ut, ineſſe quid-

quam

quam horum monitis, negemus, quod in uſum poſſit ſive noſtrum, ſive publicum, converti. Iam, cum nemo, etiam eorum, qui literatæ huius reipublicæ ſapientiſſimi ſedent iudices, ſive optatis noſtris, ſive precibus, hoc dederit, ut, quæ abeſſe minime a partu hoc Muſæ noſtræ primo poſſunt, nobis maculas indicaret, a quibus, modo nobis eſſent cognitæ, diligenter nos deinde caveremus, nihil ſupereſt, niſi hoc unum, ut noſtro porro iudicio utamur, &, quam rectam utilemque literis cognoverimus, edendi hæc *Miſcellanea* rationem ineamus. Videmur autem ſic non infeliciter in laboris noſtri curſu progreſſuri, ſi nihil deflexerimus a via, nuper trita, idque in poſterum etiam inprimis effecerimus, ut, quæ ſcribimus, argumenti non vulgaris ſint, deinde ut diligenter, nec indocte,

cte,

cte, ſcripta, denique ut talia, quæ ſcripſiſſe homines in literarum ſtudiis verſantes minime pœniteat. Fuit hoc ipſum nobis ab initio propoſitum; ſed, ſi bonum conſilium ſucceſſus deſtituit, eorum unice, qui, rogati licet & amanter invitati, ſuam cum noſtra coniunctam eſſe Muſam noluerunt, aut torpor, aut quidam noſtri contemptus, in cauſa fuit. Nam, quod, præter philoſophica, philologica, critica, & literaria, qualia fere ſunt, quæ *Volumine Miſcellaneorum primo* continentur, daturos nos etiam medica & mathematica, olim promiſimus, nec horum deinde quidquam dedimus, non ſane animus, præſtandi, quæ promiſimus, ſed, ſua ſibi ſervantibus his, qui, ſi vellent, plurimum conferre ad libelli huius decus poſſent, facultas, nobis defuit; etſi de mathematicis hoc etiam docen-

docendus eſt Lector, videri nos multis optime facturos, ſi hæc in poſterum quoque *Novis Eruditorum Actis* relinquamus, in quibus, diu eſt, quod hæc propriam velut ſedem ac domicilium habuerunt. Intelligit autem nobiscum optimus quisque Lectorum, non tam illud quæri, quo in genere doctrinæ deſudandum ſibi putet Muſa noſtra, quam quem uſum præſtent, qua ex parte literarum dignitatem tueantur, quo ſint æſtimandi pretio, labores noſtri, &, cum fieri vix poſſit; ut doctrina univerſa novum per nos ſplendorem accipiat, ſatis præclare actum videri, ſi parti eius uni & alteri lucem non omnino nullam afferamus. Itaque in futurum tempus unum hoc promittimus, daturos nos operam eſſe, ne, quæ emittuntur officina noſtra, bonis literis, quas ſtudioſe colimus,

colimus, maiori ſint aut damno, aut dedecori, quam quæ nuper dedimus, nec, cuius rei principia fervere videbantur, eius progreſſus, ſi non frigere prorſus, at tepere & langueſcere, dicantur. Hoc animo ad novum penſum accedimus, & ita nobis *omnia* ſperamus proſpere feliciterque eventura, ſi nec Deorum, quos, ut rerum omnium, ita literarum etiam, cuſtodes præſidesque veneramur, gratia, nec Lectorum, quibus ſtudia noſtra & conatus omnes eſſe ſacros cupimus, favor, nos deſtituat.

INDEX DISSERTATIONVM,
QVÆ
VOLVMINIS SECVNDI
PARTE PRIMA
CONTINENTVR:

I. PETRI ZORNII Diſſertatio de certorum temporum in jugi ſacrificio, apud Ebræos offerendo, & cauſis, & myſteriis. Pag. 1 - 13.

II. GOTTLOB FRID. GVDII, V. D. M. Laubæ Luſatorum, de Sadducæorum in Judaica gente auctoritate Diſſertatio hiſtorico-critica. Pag. 13 - 30.

III. IO. CHRISTOPH. HARENBERGII Diſſ. philoſophica, de eo, an permiſſio mali moralis ſit Deo inconveniens & aliena? in uſum philoſophantium Deiſtarum. Pag. 30 - 95.

IV. IO. CONRADI SCHWARTZII Obſervatio de Crethæis & Plethæis, eorumque patria. Pag. 95 - 109.

V. C. A. H. Recenſio Epiſtolarum familiarium Joannis Trithemii. Pag. 109 - 125.

VI. FRID. OTTONIS MENCKENII Voces aliquot Latinæ, quæ in Lexicis vulgaribus fruſtra quæruntur, ex priſcis Auctoribus collectæ. *Pars I.* Pag. 125 - 180.

*** *** ***

I.
PETRI ZORNII
DISSERTATIO
DE
CERTORUM TEMPORUM IN JUGI SACRIFICIO, APUD EBRÆOS OFFERENDO, ET CAUSIS, ET MYSTERIIS.

I

Probabile eſt, inquit JOANNES SPENCERUS[a], certa illa ſacrificii jugis offerendi tempora moris idololatrici abolendi cauſa inſtituta fuiſſe. Ut hæc aſſertio ſaltem ſpecioſa videatur, de ſacrificii jugis offerendi tempore hoc in anteceſſum Lectorem moneo: nempe *Judæos agnum matutinum poſt horam ſecundam, ſeptimam noſtram, & agnum veſpertinum ſub horam nonam, tertiæ noſtræ reſpondentem,*

a) *De Legibus Hebræorum ritualibus, & earum rationibus, Libro 1 Capite 6.*

tem, obtuliſſe.[b] Tempus illud, quo *agnum veſpertinum* offerebant, è verbis MAIMONIDIS, de Paſchate loquentis,[c] magis diſtincte colligatur: *Non mactatur Paſcha niſi poſt ſacrificium juge, quod inter duas veſperas offerri debet, poſt ſuffimenti oblationem.* Adeo ut res ſit extra litem poſita, *Judæos ſacrificii jugis offerendi munus nec ante ſolis ortum, nec poſt ſolis occaſum, præſtitiſſe.* Atque hæc ſacri diurni faciendi tempora tam ſancte obſervarunt, ut axiomatis vicem teneret: *Si præteriit tempus, præteriit ſacrificium.* Ideo vero (ſi bene conjicio) tam ſedulo curatum eſt, ut Judæorum ſacra quotidiana (prout & reliqua omnia) ſole quaſi intuente peragerentur, ut clare conſtaret, *eos nocturna gentium ſacra, in mortuorum honorem fieri ſolita*, penitus repudiare, nec religionem ſuam quidquam commune *cum Diis Inferis*, aut cerimoniis, eorum cultui propriis, retinere. Eorum enim *myſteria lucifuga* plurimum fuiſſe, & *Principis tenebrarum* imaginem geſſiſſe, e plurimis veterum teſtimoniis innoteſcit[d]. Ex adverſo

b) JOSEPHUS *Antiquitatum Libro XIV Cap. 8*: Ἱερέων δὶς τῆς ἡμέρας πρωΐ τε καὶ περὶ ἐνάτην ὥραν ἱερουργούντων ἐπὶ τοῦ βωμοῦ.

c) In *Tractatu de Paſchate Capite XI §. IV.*

d) In re tam teſtata & cuivis nota ſufficiat, unum PAUSANIAM in *Phocicis* teſtem advocare, qui, de *Diis Inferis*, quos *Milichios* vocant, verba faciens, νυκτεριναὶ, inquit, αἱ θυσίαι Θεοῖς τε τοῖς Μειλιχίοις εἰσί, *bis nocturna fiunt ſacra, in quibus ante ſolis exortum carnes victimarum abſumere, eodem ipſo in loco ſolenne habent.*

verſo Judæi, ſacra facturi, in ſolem diemque prodiere, ut eo longius ab idololatriæ ſuſpicione abeſſent, & ipſum ſacrificii ſui tempus indicio eſſet, ſe *Patrem luminum* ſolummodo venerari.

II.

Audivimus adhuc SPENCERUM, quem fugiunt *myſteria certorum temporum in offerendo ſacrificio jugi.* Quanto rectius, præter SAMUELEM BOCHARTUM,[e] & JOANNEM BIERMANNUM,[f] vera illa Chriſtianis commendat myſteria JOANNES BRAUNIUS,[g] his verbis uſus: *Quamvis* זבח *&* מנחה *eodem tempore fuerint oblata in templo;* mane ſcilicet hora tertia, &

e) *Parte I Hierozoici Libro II Capite 50 pag. 613: Et juge illud ſacrificium*, quo agni duo in dies offerebantur, unus mane, alter veſperi, *Exodi XXIX*, 38. Iſraelitis ſignificabat *victimam æternæ virtutis, a Chriſto pro nobis offerendam.* Quod ſacrificii genus a Chriſto ſemper oblatum eſt, donec id morte ſua Chriſtus aboleverit, ut prædixerat *Daniel Capitis IX verſibus* 26, 27, quia corpori umbras & veritati typos cedere neceſſe fuit; ſed in agno Paſchali hoc ipſum apparuit multo expreſſius.

f) In *Moſe & Chriſto pag.* 527: *Wie die zwey Læmmer des Morgens und Abends zum Anfang und Ende des ſchattigten Gottesdienſtes geſchlachtet und verbrennet wurden, alſo hat auch das gœttliche Lamm in zwey Zeiten des Tages gelitten, und vom Morgen biſs an den Abend (wie dieſe beſtimmte Zeit von* Daniel IX, 21, 24, 27, *auch bereits lange zuvor verkündigt war,) an dem Creutz gehangen,* Marci XV, 34, 35.

g) In *Commentario in Epiſtolam ad Ebræos pag.* 618.

& veſpere hora nona, ſive (*ut nos numeramus horas*) mane hora nona & veſpere hora tertia, *tempus tamen illud habuit nomen, non a* זבח, *ſed a* מנחה. *Quemadmodum ſingulis diebus ad ſacrificii jugia duo* מנחות *&* זבחים *dictis horis offerebantur; ita & duo tempora* מנחות *dicta fuerunt*, matutinum & veſpertinum; *ut, ſi quis Judaeorum voluiſſet exprimere* horam tertiam, vel nonam, *dicebat tantum, id factum fuiſſe circa* Mincha matutinum, *aut* veſpertinum; dicebant, inſtare Mincha. *Etiamſi* utrumque Mincha *dicebatur, tamen* id magis de veſpertino, quam de matutino, intelligebatur; *ut, ſi quis ſimpliciter dixit* Mincha, *non addito* matutino, *intelligebatur* veſpertinum circa horam nonam, *aut* (*ſecundum nos*) tertiam. *Hujus rei (ut & hoc in tranſitu dicam) rationem hanc exiſtimo, quod* præcipuum מנחה, quo omnia per tot ſecula collinearunt, *fuerit* veſpertinum. *Chriſtus enim omnium antitypus oblatus eſt* circa Mincha veſpertinum. *Videtur etiam* Chriſtus mortuus circa veſperam, *ut manifeſtum fieret, jam per mortem Meſſiæ, veri Sacerdotis & Sacrificii, eſſe* finitum diem Veteris Teſtamenti, *novumque ſuccedere diem, diem gratum, quem Deus fecit* Pſalmo CXVIII, 24.

III.

Poſtrema BRAUNII verba deducunt nos ad verba *Lucæ I, 8, 9, 10*, ubi Gabriel, qui olim apparuit Danieli, *ſuffitus nunc tempore* Zachariæ apparuiſſe dicitur. Quamvis autem *nihil additur de ſuffitu, matutinus, an veſpertinus, fuerit*,

vero

vero ſimillimum tamen ABRAHAMO SCULTETO *Libro I Explicationum Evangelicarum Capite 9* videtur, eodem tempore, nempe *ſuffitus veſpertini*, viſum eſſe a *Zacharia Gabrielem*, ejusdem de adventu Meſſiæ vaticinii olim nuntium, nunc & nuntium, aut, ut rectius loquamur, luculentiorem interpretem. Quæ cum ita ſint, veniamus ad illa *Danielis IX, 21*, notatu utique digna: *Cum adhuc loquerer in precatione, ille vir Gabriel, cito volans, attigit me in tempore* מנחת ערב, *oblationis veſpertinæ.* Nimirum, uti recte obſervavit CONRADUS GRASERUS,[h] *ne hora quidem diei negligenda eſt*, qua Angelus Danieli apparuit; hanc enim Daniel non fruſtra videtur annotare, quando dicit: *Circa tempus veſpertinæ oblationis, hoc eſt, inter mediam tertiam, & mediam quartam pomeridianam, quando nimirum offerebatur juge ſacrificium; quæ res omnino aliquid habet myſterii.* Hoc *autem*, ita pergit GRASERUS, *ut Lector melius intelligat, ſciendum eſt, duas in Veteri Teſtamento huius placationis horas fuiſſe obſervatas: alteram antemeridianam, circa horam nempe octavam noſtri horologii, cujus mentio fit* 2 Regum III, 20, *alteram pomeridianam.* Cur vero hic veſpertina potius obſervata ſit quam matutina, *nunc dicimus. Nimirum Chriſtus, eadem diei hora, eodem momento, in ara crucis moriens, hoc typicum juge ſacrificium realiter implevit; ubi & illud ſimul de facto impletum fuit, quod infe-*

 rius

h) In *Commentario ad Danielem de LXX Septimanis pag.* 82.

rius verſu 27 *Angelus prædicit*: eum ſacrificium & placationem (זבח ומנחה, ſebach umincháh,) abrogaturum, *ſeu potius finem illis impoſiturum*, idque in medio ultimæ ſeptimanæ. *Hanc ergo nunc præcipuam cauſam eſſe judico, propter quam* divina providentia hanc pomeridianam placationis horam potius, quam matutinam, elegerit, *ſub qua Danieli hanc illuſtriſſimam revelationem inſinuaret, ut nempe eum* per hanc horæ deſignationem *in rem quaſi præſentem deduceret; nec dubito, quin hæc piis* tempore paſſionis Chriſti *magno ſolatio fuerint. Nobis ſane harum rerum collationem iterum ad multa utilem, &, meo ſaltem judicio, animo pio non injucundam, futuram ſpero, quam etiam confido ad certiorem vaticinii hujus applicationem aliquid collaturam.*

IV.

Hactenus GRASERUS, quem ſatis laudare non poſſumus. Eſto autem, quod de *hodiernis Judæorum precibus matutinis veſpertinis* recte judicaverit; [i] eſto etiam, quod *Mincha veſpertinum*

i) *Interea notandum*, inquit GRASERUS, Judæos has diei horas adhuc ſuperſtitioſe obſervare, *ſub quibus nempe preces ſuas*, facie verſus Orientem obverſa, *demurmurant. exiſtimantes, cœlum tum illis magis pervium eſſe, quod tunc* ſacrificium illud juge in cœlis coram throno majeſtatis offerri dictitent. *Et hoc ex præſenti Danielis textu præcipue aſſerere conantur, quod is oblationis veſpertinæ eo tempore meminerit, quando deſtructo templo in terris tale ſacrificium nullum offerebatur, ac nec offerri poterat.* Ergo, *inquiunt*, in

tinum ad *Chriſtum*, tanquam *Antitypum*, referat, credimus tamen cum SAMUELE BOCHARTO[k] multo rectius, *horam mortis Chriſti cum hora mactationis agni Paſchalis conferri.* Nimirum *agnus Paſchalis* debuit mactari בין הערבים, *inter duas veſperas*, [l] quam dictionem *recentiores*

in cœlis tum offerebatur, & offeretur, donec templum aliquando inſtauratum fuerit. *Ad cujus opinionis confirmationem exemplum Eliæ in monte Carmel magna fiducia adducunt* 1 Regum XVIII, 26, *dictitantes, hoc illud* את מיצא, *het mezô, id eſt,* tempus gratioſum eſſe, *cujus* David Pſalmo XXXII, 6, *meminerit. Huc etiam illud* Eſaiæ *applicant* Capite LV, 6, *ubi dicit*: Quærite Dominum, dum invenitur, invocate eum, dum prope eſt. *Interim harum rerum applicatio in Judæis in ſuo genere tolerari poſſet, ſi abeſſet vana & inanis ſuperſtitio, & ſi imaginationum iſtarum fundamentum, id eſt, Chriſtum, non jam dudum perdidiſſent. Nunc autem omnia ad* opus operatum *referunt, unde* R. SALOMON *in* 21 verſum Capitis I Eſaiæ, *ubi exponit, quando Jeroſolymis olim juſtitia pernoctaverit, quod Propheta ibidem affirmat, dicit, per* juge ſacrificium *hoc factum eſſe*, dum per ejusdem matutinam oblationem noctis præteritæ peccata, per veſpertinam vero diurnæ transgreſſiones, expiatæ ſint.

k) Vide paulo ſuperius *Notam* e).

l) Videantur de hac dictione admodum obſcura JOANNES HENR. HOTTINGERUS in *Notis ad* THOMAM GOODWINUM *pag.* 546, ADRIANUS RELANDUS in *Antiquitatibus ſacris veterum Hebræorum delineatis Parte III Capite* 6 §. 16 *pag.* 330, & SAMUEL BOCHARTUS *Parte Hierozoici prima Libro II Capite* 50 *pag.* 559, qui tandem

Judæi, uti JOSEPHUS SCALIGER [m] obſervavit, ignorant prorſus, multo autem rectius ex *Chriſtianis* exponunt, qui *typum atque antitypum* inter ſe conferunt. Præter THOMAM GOODWINUM, [n] operæ pretium fuerit, repetere verba HIERONYMI GUILIELMI SNABELII: [o] *Cum eluceat, agnum Paſchalem mactandum fuiſſe inter duas veſperas, hora admodum, ut* JOSEPHUS *loquitur, nona*, admirabilis plane harmonia eſt typi & antitypi. *Jeſus enim noſter, qui hora tertia Judaica in crucem actus eſt, eodem die, quo agnus ſolebat mactari,* [p] *tribus quatuorve*

dem *pag.* 614 hæc ſubjicit: *Chriſti mors incidit in ipſum Paſchatis tempus, ſive illis accedas, qui Chriſtum exſpiraſſe volunt, quo ipſo momento a Judæis mactatus eſt Paſchalis agnus, aut eos ſequaris, qui Chriſti mortem in ſequentem diem differunt, id eſt, in Paſchatis feſtum. Et* de hora ſaltem convenit. *Nam mactabatur* agnus inter duas veſperas, *id eſt,* JOSEPHO *interprete, ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης,* ab hora nona usque ad undecimam. *Chriſtum autem hora diei circiter nona (quæ nobis eſt tertia poſt meridiem) animam egiſſe, ſcribitur* Matthæi XXVII, 46, 50.

m) *De Emendatione temporum Libro. V pag.* 269.

n) In *Moſe & Aarone pag.* 548: *Sicut tempus crucifixionis cœpit hora tertia diei cum ſacrificio jugi matutino* Marci XV, 25; *ita id finitum eſt hora nona* v. 34, *cum ſoleret offerri ſacrificium juge veſpertinum, & in veſperis Paſchatis ipſum Paſcha.*

o) In *Amœnitatibus Theologiæ Emblematicæ & Typicæ pag.* 236 *ſeq.*

p) GUSTAVUS GEORGIUS ZELTNERUS in *Diſſertatione ad Joannis XIX, 14, de Horologio Pilati*

ve horis ante ſolem occidentem, hoc eſt, בין ערבים, [q]
inter duas horas, *hora nona, quæ eſt* tertia poſt meridiem, *exſpiravit, ut τὸ τυπωθὲν ad amuſſim reſponderet typo ſuo. Et circumſtantia hæc, quo videtur minor, eo magis illa, Deus in minimis maximus, nos rapere vult in myſteriorum ſuorum admirationem, & non perfunctoriam inſpectionem.*

V.

Nec dubium eſt, quin *certis illis temporibus preces cum ſacrificio jugi fuerint conjunctæ;* ſitne vero hoc *ex præcepto divino* factum, diſputari ſolet. Negat id JOANNES SPENCERUS,[r] qui, additas ſacrificiis preces, non abnuit,[s] at, ex præcepto divino hoc factum, prorſus inficiatur.

Pilati Nota 16. Neque enim de Paſchate Chriſti ταυρωσίμῳ diſceptare cum quoquam placet, ſed malumus ἐπέχειν, poſtquam argumentis plauſibilibus, poſt doctiſſimum CANNETUM, Galloſque alios, TOVNARDUM AC LAMYUM, eruditiſſimus quoque D. DEYLINGIUS *Obſ. XXXVII Tomi II Obſerv. Lipſ. Miſcel. Chriſtum agnum paſchalem plane non comediſſe,* ſed *eo ipſo,* quo edendus erat, *tempore* tanquam ἀντίτυπον in crucem actum, & pro delictis omnium mortalium mactatum, aſſatumque eſſe, demonſtravit.

q) Confer de hac dictione omnino G. G. ZELTNERUM in *Diſſertatione de Horologio Cajaphæ §. XV.*

r) *De Legibus Ritualibus Hebræorum Libro III Diſſertat. II Sect. II pag. 977.*

s) *Non injuria*, inquit, *creditur, Ebræos ſacrificiis ſuis eucharisticis, expiatoriis, pacificis, fœderalibus, aliis, preces aliquas addidiſſe.*

tur.[t] Qua in re jam alios ſibi præeuntes habuit, & quidem ex SOCINI aſſeclis JOANNEM VOLCKELIUM, qui, Chriſtum demum ſuos preces Deo fundere docuiſſe, perhibet. Idque antea Iſraelitis imperatum minime fuiſſe, vel inde conſtare putat, quod *in illis* DCXIII, *ut a Judæorum Magiſtris numerantur, præceptis, populo illi traditis, nullum fuit, quo ad preces Deo adhibendas compellerentur, quanquam,* (ita pergit) *qui Dei tunc opem nunquam imploravit, is (mea quidem ſententia) non ſatis pius fuiſſe exiſtimandus eſt.* At fallitur magnopere VOLCKELIUS[u] pariter ac SPENCERUS. Judæi enim ex DCXIII præceptis ſuis ſextum expreſſe dicunt illud eſſe, *ut fundamus preces ad Dominum*, quod ex *Exodi XXIII, 25*, colligunt, quemadmodum ex ISAACI ATIÆ Theſauro præceptorum obſervat SAMUEL MARESIUS.[x] *Formulas* quidem *peccatorias, ordinemque*, in illis ſervandum, Judæi ab *Eſdra*[y] & viris Synagogæ magnæ repetunt, at man-

t) Nonnullis igitur interjectis pergit: *Nullum in tota lege præceptum invenire datur, quo Judæi ſacrificio preces addere, eoque tanquam ſupplicandi ritu, vel impetrandi beneficii medio aut motivo, uti tenebantur. Conſtat quidem, populum, in atrio Judæorum ſtantem, preces pro peccatorum remiſſione concepiſſe, dum ſacerdos ad ſuffitum faciendum tabernaculum ingrederetur; nuſquam autem legitur, Ebræos, præcepto aliquo devinctos, id officii religioſi præſtitiſſe.*

u) *De Vera Religione Libro IV Capite 9.*

x) Ad VOLCKELII locum citatum *pag. 523.*

y) Conferatur *Diſſertatio* noſtra *de Sacris antelucanis Judæorum & Muhammedanorum.*

mandatum precandi inter ſuos ſemper viguiſſe ſupponunt. Memorabili teſtimonio ex R. BECHAI libro, cui titulus כד הקמח, hoc confirmat JOANNES BUXTORFIUS.[z] Suffragatur hiſce MOSES MAIMONIDES[a] ad primæ claſſis præcepta, quæ Articulos fundamentales continet, referens *praeceptum, quo Deus nobis præcepit, ut ipſum invocemus tempore neceſſitatis.* Et quis dubitet, a prima mundi ætate preces ſacrificiis junctas fuiſſe, cum ratio ipſa dictitet, precibus vel maxime colendum Numen eſſe? Fuiſſetque cultus per ſacrificia plane ἄλογος, ſi ſine precibus oblata fuiſſent. At bene res ſe habet, quod ipſi SPENCERO credibile videtur, Ebræos ſacrificiis ſuis preces quasdam addidiſſe. Recteque illud ex *Luca I, 10,* & *Eccleſ. L, 19,* comprobat. Ex priori enim loco tempore ſuffitus, ex poſteriori, cum ſacrificia offerrentur, fuſas a tota congregatione preces, condocemur. Idem inde confirmatur, quod, *tempus veſpertini ſacrificii fuiſſe tempus precum,* aperte indicetur *Actorum III, 1.* Unde & de tempore ſacrificii matutini pariter ſtatuendum eſſe, recte colligitur. Mittimus reliqua, quibus idem confirmari poteſt. Quodſi ergo moris fuit apud Ebræos, ſacrificiis preces jungere; non eſt, quod dubitemus, illud iis *præceptum* fuiſſe. Nec enim credibile, eos divino cultui addituros aliquid fuiſſe, quod a Deo præceptum non eſſet. Hactenus hæc. Plura videantur hanc in rem apud JO.

FRAN-

z) In *Synagoga Judaica Capite 5.*
a) In *Moreh Nevochim Parte III Capite 36.*

FRANCISCUM BUDDEUM,[b] WOLFGANGUM FRANZIUM,[c] & plures alios, quos alio loco & tempore laudavimus.[d] Ceterum non ignotum fuit Judæis, *ſacrificiorum uſum Meſſiæ temporibus exſpiraturum eſſe.* Ut enim alia ipſorum taceamus teſtimonia, eximius locus exſtat in libro ſuper *Exodum fol. 95: Cum Iſraelitæ eſſent in terra ſancta per cultus illos & oblationes, quas obtulerunt, abſtulerunt morbos omnes & caſtigationes a mundo. Nunc Meſſias aufert ea ab hominibus hujus ſeculi, donec egrediatur homo ex hoc mundo.* Prudentes omittimus alia ejusmodi loca, allata a JOANNE BRAUNIO,[e] RAYMUNDO MARTINI,[f] JO. HOORNBEEKIO,[g] & JO. CHRISTOPHORO WAGENSEILIO,[h] atque

b) In *Hiſtoria Eccleſiaſtica Veteris Teſtamenti Tomo I pag. 729.*

c) In *Schola Sacrificiorum Patriarchalium ſacra Diſputatione viceſima & poſtrema Theſi XX ſeq.*

d) *Tomo I Opuſculorum* noſtrorum *ſacrorum pag. 319,* & *Tomo I der Erœrterung der dunckelſten und ſchwerſten Schrifftſtellen im Alten Teſtament pag. 24 ſeq.*

e) In *Commentario in Epiſtolam ad Ebræos pag. 445: Omnia ſacrificia ceſſabunt præter ſacrificia gratiarum actionum,* ut docet *R. Jubetz Pſalmo XL.* Idem docet *Jalkut* ad finem *Esræ, Midraſch Thillim Pſalmo C, Kimchius* in *Jeremiæ XXXIII, 11, Cod. Sanhedrin Cap. 6.* Hanc ob cauſam Deus promittit *Sacerdotes & Levitas ex omnibus nationibus* Eſaiæ LXVI, 21.

f) In *Pugione fidei Parte III Capite 17.*

g) *De Convertendis Judæis Libro VII Capite 1.*

h) In *Confutatione* R. LIPMANNI *pag. 544 Telorum ignearum Satanæ.*

que EISENMENGERO.[i] Denique, ſi Judæi, uti videre licet apud CHRISTIANUM SCHOETTGENIUM,[k] *ſacrificia non ex opere operato, ſed cum vera cordis intentione*, offerenda eſſe cenſuerunt, *preces utique addiderunt ſacrificiis.*

II.

GOTTLOB FRIDERICI GUDII,

V. D. M. LAUBÆ LUSATORUM,

DE

SADDUCÆORUM IN JUDAICA GENTE AUCTORITATE

DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA.

Auctoritatem SADDUCÆORUM ſollicitaſſem nunquam, niſi eandem in ſubſidium vocaſſet, ſententiam ſuam ſtabiliendi, CONRADUS IKE-

i) *Im entdeckten Judenthum Parte II Capite 3 pag. 206.*

k) In *Horis Hebraicis & Talmudicis in univerſum Novum Teſtamentum pag. 1038 Vajikra rabba Sect. VII fol. 151, 3,* dixit *R. Simeon ben Jochai: nunquam venit* (gratum Deo eſt) *ſacrificium, niſi cum meditatione cordis. Jalkut Rubeni fol. 112, 3: Myſterium ſacrificii eſt, ut homo conjungat ſpiritum ſuum cum ſacrificio ſuo, &, quotiens homo holocauſtum altari imponit, ſpiritus cum eodem conjungatur. Et hic eſt ſenſus myſticus verborum* Levitici I, 2: Si quis ex vobis offeret ſacrificium Domino. *Vox* קרבן *reale quid denotat, &* מכם *ſimiliter, nimirum: Sacrificium veſtrum tale exiſtat, ut illud cum ſpiritu veſtro conjungatur.*

IKENIUS, *cœna paſchalis σταυρωσίμου a* CHRISTO *celebratæ* ſtrenuus defenſor. Quamvis enim conſtituiſſem, quæ cum ipſo de *paſchali cœna σταυρωσίμω* CHRISTI ſuperiori anno diſputavi, lectorum arbitrio relinquere; operæ tamen pretium eſſe duxi, in SADDUCÆORUM auctoritatem paulo curatius inquirere, qua fretus, *paſchali cœna* CHRISTUM *morti vicinum uſum fuiſſe*, tanto cum niſu Celeberrimus Vir affirmavit. Qua ratione nec conſilium meum mutaſſe videbor, nec IKENII humanitatem me offenſurum eſſe ſpero, licet, SADDUCÆORUM auctoritate ſtante & cadente, hypotheſis ejus ſimul ſtet atque cadat. Praeterea nec memini, SADDUCÆORUM auctoritatem a quopiam adhuc diſcuſſam, multo minus data opera vel aſſertam, vel negatam, eſſe. Quamobrem Antiquitatum ſacrarum cultores diſquiſitionem meam nec inutilem, nec ſuperfluam, eſſe judicabunt, quin potius gaudebunt, priorem meam adverſus IKENIUM litem hanc poſteriorem ſeviſſe. Sedete, quotquot Antiquitatum ſacrarum amantes & ſtudioſi eſtis, judices; veſtro enim judicio, quæ Cel. IKENIO jam oppoſui, humaniſſime ſubmitto.

I.

SADDUCÆORUM nomen non ſemper unam eandemque familiam denotavit. Mortuorum enim in vitam reditum qui oppugnaverunt, nomine illo inſignitos fuiſſe, unanimi ore tradunt, qui CHRISTI in JUDÆA res geſtas, & civitatis, ab ipſo conditæ, auſpicia in tabulas retulerunt, *Matth. XXII*, 23, *Actor. XXIV*, 8,

con-

conſentiente JOSEPHO, Judaicarum rerum enarratore haud indocto.[a] Sed enim vero, ad invidiam ſibi conflandam a RABBANITIS SADDUCÆORUM etiam nomine ſe petitos fuiſſe, queruntur KARÆI.[b] Quam ob rem SADDUCÆOS haud ſine jure in *duas claſſes* deſcripſeris; quarum alteram, quos SADDUCÆOS *proprie dictos* appellaveris, mortuorum reſuſcitationis adverſarii occupabunt; alteram, quos SADDUCÆOS *improprie dictos* nominaveris, *humanarum non niſi traditionum oſores* complebunt.

II.

KARÆORUM progeniem fuiſſe SADDUCÆOS, *proprie dictos*, haud diffitentur, qui illorum egerunt cauſam.[c] *Illis* enim divinorum præ-

a) *Antiquitatum Judaicarum Lib. XVIII Cap. 2:* Σαδδουκαίοις δὲ τὰς ψυχὰς ὁ λόγος συναφανίζει τοῖς σώμασι. *Sadducæorum opinio cum corporibus exſtinguit ſimul & animas.*

b) Teſte TRIGLANDIO in Diatribe *de Secta Karæorum Cap. 2 pag. 164.* RABBANITARUM *in iis atro carbone notandis mire luxuriavit obtrectatio ------ Ipſi hanc ſortem ſuam non ignorant* KARÆI, *& jure de ea conqueruntur. Liber, quem habeo, quique inſcribitur: Diſſenſio* KARÆORUM *cum* RABBANITIS, pag. 2. *Occulte ſignificantur ab iis (Rabbanitis) per cognomina Hieroſolymitanorum, Excommunicatorum, Zadducæorum, & Baithoſæorum.*

c) Cum JOSEPHO SCALIGERO facit TRIGLANDIUS *l. c. Cap. 3 pag. 167,* illius ſententiam recitans: *Poſtquam ſupererogationis præcepta in Canones redacta ſunt, atque impoſita obſervandi neceſſitas, tunc orta dubia, tunc diſputationes, altercationesque, ſuccreviſſe: ex priori quidem genere, quod ſola nitebatur S. Scriptura* opti

ceptorum auctoritatem aſſerentibus, & traditiones, quas amplectebantur & ſequebantur RABBANITÆ, ſive PHARISÆI, damnantibus; anſam arripuerunt nonnulli, de futura mortuorum reſuſcitatione dubitandi, imo eam pernegandi,[d] quippe cujus mentionem Veteris Teſtamenti tabulæ facerent nullam. Hi ſunt illi ipſi SADDUCÆI, quos una cum *Scriptoribus ſacris* plus vice ſimplici commemorat JOSEPHUS. Quorum autem errorem KARÆOS admodum inique tuliſſe, ajunt horum patroni.[e]

III.

Scilicet, ut cauſam ſuam eo magis ornent KARÆI, in ÆGYPTI, RUSSIÆ, LITHUANIÆ, & POLONIÆ, angulis hodie latentes, *natalium ſuorum*

optimæ hypotheſeos abuſa peſſimo Sadducæorum impietatem. Quæ neque immortalitatem animorum, neque præmii pœnæque æternitatem, credit, eo obtentu, quod nequaquam ῥητῶς *in Lege habeantur* - - - - - - KARAIM *igitur priores ſunt tempore, quam* SADDUCÆI. *Videlicet quod ad iſtam de S. S. Literarum* αὐταρκείᾳ *opinionem, quæ* SADDUCÆORUM *deteſtabile dogma præceſſit.*

d) Longe deteriores erant SCÆVOLA *augure*, in CICERONIS libro *de Amicitia Cap.* 4, ex antiquorum moribus κατὰ τὴν διάνοιαν aſſerentis: *Neque enim aſſentior iis, qui hæc nuper diſſerere cœperunt, cum corporibus ſimul animos interire, atque omnia morte deleri. Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel noſtrorum majorum, qui mortuis tam religioſa jura tribuerunt: quod non feciſſent profecto, ſi nihil ad eos pertinere arbitrarentur.*

e) Proclamant SADDUCÆOS rotundo ore KARÆI, *nequam, hæreticos, Epicuræos*, referente TRIGLANDIO *l. c. pag.* 199.

ſuorum antiquitatem vindicant; maioresque ſuos PHARISÆORVM, ſive RABBANITARVM, conatibus ſe iam oppoſuiſſe gloriantur [f]. Quamvis, ſcriptorum ſacrorum & IOSEPHI ſilentio inducti, natalium illorum antiquitatem dubiam reddant viri non infimæ caveæ [g]. Equidem, præeunte DRVSIO, perſuadere nobis ſategit TRIGLANDIVS, per νομικοὺς in Novi Fœderis hiſtoria KARÆOS indigitari [h]; vacillare tamen illius ſententiam, facile perſpicit, qui, νομικοὺς, vel γραμματεῖς, a PHARISÆORVM partibus ſtetiſſe, ex *Apoſtolorum Actis* didicit; quorum auctor LVCAS *Cap. XXIII v. 9* τοῦ μέρους τῶν Φαρισαίων eos deſcribit [i].

f) TRIGLANDIVS *l. c. Cap. 3 pag. 167: Poſt captivitatem Babylonicam duplex erat inter Judæos vitæ & hominum genus; unum, quod legem, Prophetas, & Hagiographa ſimpliciter obſervabat: alterum* τῶν ἐκκαταζομένων, *qui, præter præcepta legis, ſupererogationes, & voluntarias functiones, nullo cogente, obibant --- Quamdiu ille* ἐκκαταζο*μένοις uſu privatorum, & libera praxi, tantum obſervaretur, nulla propria ſecta adhuc dum in populo Dei fuit.* Conferatur *Notitia* KARÆORVM, ex MAROCHEI libro de iis haurienda, *pag. 12, 72, 106.*

g) Legantur, quæ MORINUS SCALIGERO oppoſuit in TRIGLANDII libro *pag. 108.*

h) *l. c. pag. 209.* Cuius exemplo etiam nos decepti, eidem errori ſubſcripſimus in *Demonſtratione hermeneutica, quod* CHRISTVS *in cœna ſua ſtupendiſsima agnum paſchalem comederit, pag. 24.*

i) Μέρος dici hominem, ad hunc vel illum cœtum referendum, vel ex *Lexico Baſileenſi Græco* diſci poteſt. Μέρος ἐστὶ, hoc eſt, *unus eſt e numero.*

ceptorum auctoritatem aſſerentibus, & traditiones, quas amplectebantur & ſequebantur RABBANITÆ, ſive PHARISÆI, damnantibus; anſam arripuerunt nonnulli, de futura mortuorum reſuſcitatione dubitandi, imo eam pernegandi,[d] quippe cujus mentionem Veteris Teſtamenti tabulæ facerent nullam. Hi ſunt illi ipſi SADDUCÆI, quos una cum *Scriptoribus ſacris* plus vice ſimplici commemorat JOSEPHUS. Quorum autem errorem KARÆOS admodum inique tuliſſe, ajunt horum patroni.[e]

III.

Scilicet, ut cauſam ſuam eo magis ornent KARÆI, in ÆGYPTI, RUSSIÆ, LITHUANIÆ, & POLONIÆ, angulis hodie latentes, *natalium ſuorum*

optimæ hypotheſeos abuſa peſſimo Sadducæorum impietatem. Quæ neque immortalitatem animorum, neque præmii pœnæque æternitatem, credit, eo obtentu, quod nequaquam ῥητῶς *in Lege habeantur* - - - - - - KARAIM *igitur priores ſunt tempore, quam* SADDUCÆI. *Videlicet quod ad iſtam de S. S. Literarum* αὐταρκείᾳ *opinionem, quæ* SADDUCÆORUM *deteſtabile dogma præceſſit.*

d) Longe deteriores erant SCÆVOLA *augure*, in CICERONIS libro *de Amicitia Cap.* 4, ex antiquorum moribus κατὰ τὴν διάνοιαν aſſerentis: *Neque enim aſſentior iis, qui hæc nuper diſſerere cœperunt, cum corporibus ſimul animos interire, atque omnia morte deleri. Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel noſtrorum majorum, qui mortuis tam religioſa jura tribuerunt; quod non feciſſent profecto, ſi nihil ad eos pertinere arbitrarentur.*

e) Proclamant SADDUCÆOS rotundo ore KARÆI, *nequam, hæreticos, Epicuræos*, referente TRIGLANDIO *l. c. pag.* 199.

ſuorum antiquitatem vindicant; maioreſque ſuos PHARISÆORVM, ſive RABBANITARVM, conatibus ſe iam oppoſuiſſe gloriantur [f]. Quamvis, ſcriptorum ſacrorum & IOSEPHI ſilentio inducti, natalium illorum antiquitatem dubiam reddant viri non infimæ caveæ [g]. Equidem, præeunte DRVSIO, perſuadere nobis ſategit TRIGLANDIVS, per νομικὸς in Novi Fœderis hiſtoria KARÆOS indigitari [h]; vacillare tamen illius ſententiam, facile perſpicit, qui, νομικὸς, vel γραμματεῖς, a PHARISÆORVM partibus ſtetiſſe, ex *Apoſtolorum Actis* didicit; quorum auctor LVCAS *Cap. XXIII v. 9* τῶ μέρους τῶν Φαρισαίων eos deſcribit [i].

f) TRIGLANDIVS *l. c. Cap. 3 pag. 107: Poſt captivitatem Babylonicam duplex erat inter Judæos vitæ & hominum genus; unum, quod legem, Prophetas, & Hagiographa ſimpliciter obſervabat: alterum* τῶν ἐκκασιαζομένων, *qui, præter præcepta legis, ſupererogationes, & voluntarias functiones, nullo cogente, obibant --- Quamdiu ille* ἐκκασιασμὸς *uſu privatorum, & libera praxi, tantum obſervaretur, nulla proprie ſecta adhucdum in populo Dei fuit.* Conferatur *Notitia* KARÆORVM, ex MAROCHEI libro de iis haurienda, *pag. 12, 72, 106.*

g) Legantur, quæ MORINUS SCALIGERO oppoſuit in TRIGLANDII libro *pag. 108.*

h) *l. c. pag. 109.* Cuius exemplo etiam nos decepti, eidem errori ſubſcripſimus in *Demonſtratione hermeneutica, quod* CHRISTVS *in cœna ſua* *ευχαριστικῇ agnum paſchalem comederit, pag. 24.*

i) Μέρος dici hominem, ad hunc vel illum cœtum referendum, vel ex *Lexico Baſileenſi Græco* diſci poteſt. Μέρος ἐστὶ, hoc eſt, *unus eſt e numero.*

poteſtatem nunquam perveniſſe videntur SADDUCÆI, ut a PHARISÆORUM formula, ex qua cultus publicus exercendus erat, recedere illis licuerit.

VII.

Ecquis autem nobis vitio verterit, ſi hac in ſententia noſtra adſtruenda ad *Scriptorum ſacrorum* & JOSEPHI *ſilentium* provocemus? quo diſſenſionem illam, & rituum mutationem, a SADDUCÆIS tentatam, notatu certe digniſſimam, non preſſiſſent, ſi ullo unquam tempore illa exſtitiſſet. Illam igitur publicam SADDUCÆORUM a PHARISÆIS ſeceſſionem qui defendunt, fidem ſuam haud alio modo liberare queunt, quam ad recentiores teſtes provocando, quorum tamen ex verbis, me quidem judice, potius colligi poteſt, quid ad majorum ſuorum ſententiam fieri debuerit, quam quid re ipſa factum ſit [n].

VIII.

Et, ut ne ultra id, quod *Scriptores ſacri*, una cum JOSEPHO, de rebus ætate ſua geſtis relatum nobis reliquerunt, ſapere audeamus, ſuadet nobis JOSEPHUS, qui jactatæ SADDUCÆORUM auctoritati occurrit, & *Antiquitatum Judaicarum Lib. XVIII Cap. I* docet: *ὁπόσα θεῖα εὐχῶν τε καὶ ἱερῶν ποιήσεως ἐξηγήσει τῇ ἐκείνων τυγχάνουσι πρασσόμενα. Quæcunque*

n) Videatur TRIGLANDIUS *l. c. pag. 181, 254, 269 ſeq.* & IKENIUS Diſſertat. poſterioris *de Tempore celebratæ a Servatore ultimæ cœnæ paſchalis. Part. I pag. 25 ſeq.*

quæ ad religionem ſpectant, ſupplicationes & ſacrificia ex ipſorum (Phariſæorum) *interpretatione fiunt* [o]; & *Cap.* 2: Πράσσεταί τε ἀπ' αὐτῶν, οὐδὲν ὡς εἰπεῖν. ὁπότε γὰρ ἐπ' ἀρχὰς παρέλθοιεν ἀκουσίως μὲν καὶ κατ' ἀνάγκας προχωροῦσι δ' οὖν οἷς ὁ Φαρισαῖος λέγει διὰ τὸ μὴ ἄλλως ἀνεκτοὺς γενέσθαι τοῖς πλήθεσιν. *Ex horum tamen ſententia vix quidquam agitur; nam quoties magiſtratus, licet inviti, ſuſcipiunt, Phariſæorum decretis aſſentiunt; ni facerent, non ferendi a plebejorum multitudine.* PHARISÆORUM enim, eodem JOSEPHO *Lib. XIII Cap.* 10 teſte, *tanta erat auctoritas, ut, licet Regi obloquerentur, aut Pontifici, fidem tamen vulgus eis habuerit.*

IX.

At vero JOSEPHI veſtigia prementibus varios ſcopulos injicit CONRADUS IKENIUS, viam proſecuturis omni opera perſuaſurus, quod KARÆI, & qui, cum iis feciſſe dicuntur, SADDUCÆI, proprie dicti, PHARISÆORUM placita reſcindendi, iis ſe palam opponendi, ritusque ſacros ex animorum ſuorum ſententia faciendi, poteſtate fuerint gaviſi [p].

X.

Sumtioni ſuæ, ut addat pondus, 1) meminiſſe nos jubet *favoris, quo* HYRCANUS SADDUCÆOS *dignatus fuit;* 2) *dignitates, quæ in* SADDUCÆOS *collatæ fuerunt, celebrat; & inprimis*

o) Ipſo IKENIO citante, *Diſſertat. poſterior. Part. I pag.* 14.

p) In tribus Diſſertationibus, quas *de Tempore celebratæ a Servatore ultimæ cœnæ paſchalis* A. 1735 & 1739 Bremæ edidit.

mis e ſummo ſacerdotio, ad quod evecti fuerunt SADDUCÆI, *cauſæ ſuæ patrocinium petit*; 3) præterea SADDUCÆORUM *domeſtica teſtimonia de ratione dies feſtos celebrandi in medium profert*; 4) nec non ad *ingentem eorum numerum, qui cum ipſis fecerunt, provocat*; et 5) ne JOSEPHI fidem *temere ſollicitaſſe videatur, ſenſum, quem illius verba fundebant, limitando ſibi conciliare laborat.*

XI.

Duris tamen hisce molitionibus reſiſtendi facultas nondum adempta eſt, quibuscunque JOSEPHI veſtigiis inhærere adhuc viſum fuit. Ante omnia JOSEPHI, quem viæ ducem ſibi elegerunt, verba limitum iſtorum, quibus eadem circumſcripſit IKENIUS, prorſus impatientia eſſe judicant. Perſuaſum enim ſibi habent, auctoris verba haud citius limitanda eſſe, quam quando is extra illos limites vagatus, vel ſibimet ipſe contradicere videatur, vel naturam, & rerum circumſtantias, quas recenſet, ſibi adverſantes experiatur. q At enim vero ex JOSE-

q) Conferantur, quæ de ſingularum vocum ſenſu nunc ampliando, nunc coarctando, ſapienter præcepit CLERICUS in *Arte critica Part. II Sect. I Cap. 6: Maxima hæc intelligendi difficultas aliter ſuperari nequit, quam cognitione opinionum eorum, qui loquuntur, undecunque tandem hauriatur; atque acri attentione, qua conſequentia cum antecedentibus; rebusque ipſis, & dogmatibus loquentium, diligenter comparentur.* Nec non *Part. II Sect. II Cap. 2: Si velimus veterum*

JOSEPHI verbis nihil aliud elici poſſe dicit IKENIUS, [r] *quam quod, ubi res non niſi uno modo peragi poterat, id locum habuerit; e. g. in injectione ſuffitus in ignem die expiationis, quam* SADDUCÆI *in ſancto coram velo,* PHARISÆI *in ipſo ſancto ſanctorum, fieri volebant; aut libatione aquæ in feſto tabernaculorum, quam Rabbanitæ introduxerant, ſed Antitraditionarii non admittebant; unde, cum aliquando Pontifex Maximus Sadducæorum partibus addictus, aquam non libaret, ſed ad pedes effunderet, populus, factioni Phariſæorum addictus, illum malis citreis impetiiſſe dicitur in Gemara Hieroſolymitana, Joma, l. c. Alia autem erat ratio, quando res utroque modo ab utriusque ſectæ aſſeclis peragi potuit, ut in hoc argumento, ubi merito unicuique parti relinqui potuit, ut*

 ſuo

terum mentem aſſequi, oportet nos veluti noſtrarum opinionum oblivisci, & ad eos, ut ita dicam, rudes atque integros diſcipulos aſſerre, qui quærant, quid magiſtri illi veteres ſenſerint, non, quod ſentire debuiſſe videntur, ut ſaperent. Non debemus eorum dicta cum ipſa rerum, de quibus loquuntur, natura conferre, quatenus nobis nota eſt. Nam, ut diximus, eorum cognitio amplior, aut tenuior, eſſe potuit, quam noſtra; ſed ipſorum mentem ex ipſis eorum verbis, quantum licet, interpretari - - - Legatur etiam HENR. KLAUSINGII Diſſert. *de Oblivione docta, augmento ſcientiarum,* Vit. 1714. Regulæ hujus immemores interpretes, *Romanorum* mihi videntur ſimiles, de quibus VELLEJUS PATERCULUS *Cap. 12: Sub idem tempus magis, quia volebant Romani, quicquid de Carthaginenſibus diceretur, credere, quam quia credenda aſſerebantur, Senatus ſtatuit.*

r) *Diſſertat. poſter. Part. II pag. 14 §. 9.*

ſuo periculo feſtum ex ſententia ſua celebraret, neque alteri parti tantum in alteram juris erat, aut eſſe poterat, ut eum in ſuam ſententiam cogere poſſet. Quæ quidem limitatio communi applauſu digna eſſet, ſi modo, JOSEPHUM ad ſacrorum illorum diſcrimen reſpexiſſe: probaſſet IKENIUS, qui, vel me tacente, haud ignorat, rebus in hiſtoricis non fingendum, ſed Auctorum fide dignorum teſtimoniis credendum eſſe. Quoad igitur teſtimonia deſideramus, quæ PHARISÆORUM auctoritatem ad eas res ſacras ex ipſorum mente peragendas reſtringunt, quæ unica tantum ratione fieri potuerunt; parum abeſt, quin *principium petere* IKENIUM accuſent lectores, & *circuli* eundem poſtulent, quem a diſputantibus cane pejus & angue fugiendum eſſe, præcipiunt Logicæ doctores. Accedit, quod PHARISÆI, & qui eos ſecuti fuerunt, *Paſcha* pariter non niſi una ratione celebrari poſſe, putarint, ac IKENIUS quidem, *ſuffitum adolendi locum* & *aquæ libationem* differentiam admiſiſſe, negat.

XII.

Sed, *aſſeclarum ſuorum copia & numero* ſententiæ ſuæ auctoritatem conciliaſſe SADDUCÆOS, aſſerit IKENIUS. [s] *Cum magna populi pars*, inquit, KARÆI, SADDUCÆI, BAITHOSÆI, *& quotquot, traditionibus rejectis, ipſius S. Scripturæ verbis morditus inhærerent, - - - & quæſtio tantum eſſet inter ipſos & Traditionarios, de determinatione primi diei menſis hujus, indeque in-*

s) *Diſputat. poſter. Part. II §. 9 pag. 12.*

inſtituenda ſequentium ſupputatione, *nemo ſane illis jure obicem ponere potuit*, *quo minus ſecundum doctrinam*, *quam ſequebantur*, *cujusque fundamentum ipſa legis verba conſtituebant*, *ſtata ſua tempora celebrarent*. Neque vero JOSEPHI teſtimonium ignoravit IKENIUS, *Sadducæorum*, ſcilcet proprie dictorum; *doctrinam ad paucos tranſiiſſe*.[t] Quonam igitur jure KARÆIS ex SADDUCÆORUM conſortio tantam auctoritatem vindicaverit, ut PHARISÆORUM placitis ſe opponere, cultumque publicum ad ſuam mentem conformare, ipſis licuerit? SADDUCÆORUM enim conſortium KARÆORUM cœtum parum adauxit. Equidem ex eo, quod εὐπόρους, & πρώτους τοῖς Ἀξιώμασι, in ſua caſtra traxerint,[u] concludere vult IKENIUS, quod PHARISÆIS *non tantum auctoritate pares*, *ſed iisdem quoque longe ſuperiores*, fuerint SADDUCÆI. Sed, aſſeclarum ſuorum paucitati tantopere diffiſos fuiſſe, ut in PHARISÆORUM ſententiam pedibus iverint, JOSEPHUS nos edocuit. In rebus enim, quæ ad aras & focos ſpectant, plebis multitudinem plus valere, quam paucorum primatum auctoritatem, quis eſt, qui neſciat?

B 5 XIII.

t) *Antiquitatum Lib. XVIII*, *2*.

u) *Antiquitatum Lib. XIII*, *10*. More ad noſtram usque ætatem ſervato, ut hujus vitæ bonis affluentes venturæ vitæ divitias flocci pendant, & oblivioni tradant, monente HUMPHREY PRIDEAUX in *Harmonia Hiſtoriæ ſacræ & profanæ Part. II pag.* 337, verſionis & editionis Berolinenſis.

XIII.

Inprimis HYRCANI *acceſſum* prædicat Cel. Adverſarius, quod SADDUCÆOS tanta auctoritate muniverit, quantam PHARISÆIS e contrario detraxerit. x *Poſtquam ſub* HYRCANO PHARISÆORUM *auctoritas*, referente JOSEPHO *Antiquitatum Lib. XIII, 10, valde imminuta eſſet, temporibus* ALEXANDRI JANNÆI *plane deſtructa fuit. Cum* SADDUCÆI *contra rerum ſumma potirentur, integrumque ſynedrium ab illis conſtitueretur, excepto Simeone, Ben ſchetath.* Enimvero HYRCANI ille acceſſus SADDUCÆIS non niſi, quoad is in vivis erat, & ALEXANDER JANNÆUS rebus præerat, ſuppetias tulit; quæ, mortuis illis, prorſus evanuerunt. Suo enim damno edoctus ALEXANDER JANNAEUS morti jam vicinus, uxori ſuæ ſuaſor fuit, ut PHARISAEIS poteſtatis partem concederet; quippe quorum ex favore & odio utriusque ſuæ fortunæ pars non minima dependeret. *Promitte illis*, inquiebat, *te ſine illorum præſcitu nil quidquam tentaturam eſſe.* Cui monito morem gerens ALEXANDRA, rebus ſuis optime conſuluit. y Fuerit igitur PHARISAEORUM auctoritas ad temporis ſpatium detrita, & SADDUCAEORUM auctoritas evecta; rerum tamen deinceps mutata facies PHARISAEIS priſtinam auctoritatem reſtituit, qua illo temporis articulo

x) *Loco citato pag. 15.*
y) Eodem JOSEPHO referente *Lib. XIII, 15* & *16.* Conf. ZELTNERI Diſſ. *de* ALEXANDRA, *Regina Judæorum*, §. *II. Alt. 1711.*

culo polluerunt, quo in JUDAEA verſatus fuit CHRISTUS.

XIV.

Eo autem ipſo tempore SADDUCÆORUM auctoritatem ſummum cacumen attigiſſe, ſibi perſuaſum habet Celeb. IKENIUS, id quod vel ex eo patere aſſerit, quod *illorum in publicis negotiis, æque ac* PHARISÆORUM, *crebra mentio injiciatur; imo ipſe* HERODES *Antipas, ejusque aſſeclæ, qui Herodianorum nomine veniunt, Sadducaismum amplexi ſint - - - ipſo autem illo anno, quo* CHRISTUS *ad crucem actus eſt, Sadducæorum partes in Synedrio, rebusque ad populum & religionem ſpectantibus, potiores fuiſſe, quisquis Actorum Caput IV & V attente, & animo a præjudiciis libero, perlegerit, agnoſcere cogatur. Ut adeo vel bene ſecum actum cenſere debuerint Phariſæi, ſi ſibi adhuc integrum fuerit, ob plebem, partibus ipſorum faventem, publica decreta ſecundum doctrinam ſuam Synedrii auctoritate munire, ne cogitari autem cum ratione queat, illos impedire potuiſſe, quo minus Scripturarii ſaltem etiam ex ſua ſententia ſacra ſua exercerent.* Quæ tamen ſingula dicta PHARISÆORUM auctoritati eo minus damni inferunt, quo plus commodi JOSEPHI teſtimonium, §. *VIII* excitatum, illi attulit. Præterea nec probatum dedit IKENIUS, HERODEM ANTIPAM publice a SADDUCÆORUM partibus ſtetiſſe, & PHARISÆIS poteſtatem, SADDUCÆIS obviam eundi, ademiſſe. Licet haud abnuerim, mortuorum in vitam reditum HERODEM, voluptatibus deditum, una cum SADDUCÆIS in animo ſuo pernegaſſe. Quantum vero

PHARI-

PHARISÆORUM auctoritas eo tempore valuerit, vel ex eo patet, quod in *encæniorum feſto ſacerdotem, qui aquam, quæ ad* PHARISÆORUM *ſententiam libanda fuerat, ad pedes ſuos effuderat, malis citreis plebs petiverit, & dubio procul profugaverit* [z].

XV.

Fuerint igitur SADDUCÆI *Synedrii aſſeſſores, imo quandoque illius præſides;* ſententias tamen, quas in animis ſuis volvebant & premebant, munerum ſuorum auctoritate nullo modo munire, & ad eas publicum cultum formare, potuerunt. E contrario vel a PHARISÆIS diſſentientes placita tamen illorum publice ſectari oportuit; eo ſaltem tempore, quo CHRISTUS in terris egit, & quo ab ejus in cœlum adſcenſu poſterius templum perſtitit. Deſtructo illo, diſperſaque *Judæorum gente*, aliud eveniſſe, non negaverim. Ambabus certe, quod ajunt, manibus amplector, quod ipſe Cel. IKENIUS *l. c. pag. 16* concedit: *Imo, ſi licet, aliud ſentientes, in praxi tamen Rabbanitarum placitis, ſtante templo, ſemet conformaſſent; nulla fuiſſet ratio, quare dein eundem morem non in hunc diem uſque ſervaſſent, ſed potius ſe a reliquis plane ſeparare, immaneque illud odium, quo etiamnum Judæi traditionarii Karæos proſequuntur, in capita ſua concitare, maluiſſent.*

XVI.

Quæ cum ita ſint, KARÆORUM, ſive SADDUCÆORUM, diſſenſus a PHARISÆIS IKENIUM

z) Referente TRIGLANDIO *pag. 187.*

UM prorſus non juvat, affirmantem: CHRISTUM, *illorum exemplo, uno die, citius, quam* PHARISÆOS, *paſchalibus epulis uſum fuiſſe.* Argumentum enim ejus primarium, ab auctoritate SADDUCÆORUM petitum, ſubrutum & collapſum eſſe vidimus. Ex quo ſequitur, CHRISTUM, ſi vel SADDUCÆOS, quaſi in celebrando paſchate rectius ſentientes, imitari voluiſſet, eos tamen æmulari non potuiſſe. Quæ enim integræ SADDUCÆORUM ſectæ publica ſeceſſio non concedebatur, uni certe CHRISTO a PHARISÆIS nec permiſſa fuit.

XVII.

Sed vero tantum abeſt, ut ad SADDUCÆORUM mores ſe compoſuerit CHRISTUS, ut potius PHARISÆORUM placita in peragendo publico cultu fuerit ſectatus; ſi ab iis circumſtantiis diſceſſeris, quæ ſuis ipſius mandatis adverſabantur. Quem enim fugit, *encæniorum feſtum* non divino juſſu, ſed ſuperiorum arbitrio, cum *Maccabæos* penes ſumma rerum erat, inſtitutum fuiſſe? Ex quo factum, ut, ab illo celebrando abſtinendum eſſe, docuerint KARÆI *. Neminem tamen præterit, CHRISTUM feriis illis interfuiſſe, *Jo. X*, 22. Id quod CHRISTUS certe non feciſſet, ſi a PHARISÆORUM placitis, quæ a mandatis ſuis non abhorruerunt, diſcedere, & SADDUCÆORUM moribus ſe accommodare, voluiſſet.

XVIII.

*) Teſte TRIGLANDIO *l. c. pag.* 191.

rependere tandem præmia vel ob ipſorum ſtultitiam, vel ſecundum ipſorum virtutes. Quam ipſam doctrinam *Salomo* tandem poſt varias animi fluctuationes vanitatumque illecebras, quibus fuerat irretitus, amplexus fuit, vir ſane ſapientiſſimus, cui Deus illuſtre munus ſapientiæ promiſerat, ac quem homines ætatis ſuæ poſterique ſummis nunquam non laudibus extulerunt. Qui librum *Coheleth* attente ſecundum genuinos accentuationis ordines ac ſignificatus vocum verſaverit perlegeritque, eum haud fugiet, quam ſolide & egregie inibi Atheiſmo, Scepticiſmo, Epicuræiſmo, ac Deiſmo, obviam eatur. Ipſe enim *Salomo* viros ſanctos ac ſapientes ad ſeſe aggregavit, quibuſcum ſapientiam & acumen exquireret, idque eo fine, ut notam redderet ſibi aliisque improbitatem ac infelicitatem humanarum mentium, quæ ſibi fingunt ſpem fiduciamque vanam, cui nihil ſubeſt fundamenti, ac quæ veſanas opiniones diſſimulant, *Eccl. VII, 26.* Summa illius exquiſitionis ac inveſtigationis tandem rediit ad illam clauſulam *XII, 13, 14: Deum reverere, & præcepta ejus cuſtodi, quoniam hic eſt complexus doctrinæ hominis, univerſum illud, homini ſanctum. Certe cum univerſitate operis cujuſcunque ſic eſt comparatum. Deus proferet in judicio illud juxta complexum occultatum, tum bonum, tum malum.*

II.

Exſtiterunt jam olim Philoſophi, qui in ea fuere hæreſi, ut exiſtimarent, Dei ter optimi

maximi

maximi naturam & eſſentiam adeo alienam eſſe ab omni malo morali, ut hoc ne quidem ipſe poſſit permittere. Ipſi, permiſſionem ejuſmodi, crediderunt, abhorrere ab ea, qua Deus non niſi bona approbat, natura perfectiſſima & infinite beata. Videntur hi ita putaſſe rationes, ut ſibi perſuadere voluerint, neminem actiones ſibi diſplicentes approbare ex animo, neminemque, id ut fiat, quod minus probat, permittere, niſi vel inſcientem, vel ineluctabili potentia extrinſecus impeditum. Quam ob cauſam circumſpexerunt fontes alios, e quibus derivarent originem mali moralis. Stoici Deo, quem ſibi delegerant, ſummo ineſſe crediderunt fatalem quandam & ineluctabilem neceſſitatem ſequendi normam mundi, hoc quidem, quo ipſa volvitur, haud alio, modo verſabilem, & viciſſitudinibus temperatam. Sententiam hanc Stoicorum mitigari, commodeque exponi, poſſe, haud abnuo; an autem Stoicorum mentem ea ratione penitus reddiderim evolutam, & velut in tabula expreſſam, liceat dubitare. Ecquis vero eſt, qui recuſet ita argumentari: *Quisquid exiſtit, illud exiſtit vel vi ſua actuoſa, vel aliunde pendet, ſubſtantiaque alii, ut exſtiterit, in acceptis refert. At vero malum morale exiſtit. Quis enim tam eſt obtuſus ac vecors, ut eum fugiat, genus humanum premi affligique perpetuis mutuisque peccatis? Ergo malum morale vel per ſeſe neceſſario, vel aliunde exiſtit: Quis vero exiſtimabit, peccata & mala moralia neceſſario exiſtere? Pendent illa ab actio-*

nibus mentium finitarum, quibus ineſt libertas aut potens in utramque partem arbitrium. Quot, obſecro, mala pendent a maturis hominum deſtinationibus & conſiliis? Quis conſilia hominum rejiciet in claſſem rerum, quæ unico tantum modo determinari queunt, & omni vacant libertate? Pendent itaque peccata, quatenus fiunt, a cauſis liberis, ideoque inſerenda ſunt momentis rerum, quæ moraliter contingentia appellamus. Reſtat proinde, ut largiamur, perpetrationes peccatorum rationem ſui ſufficientem in ſe haud habere inſitam, ſed eam extrinſecus arceſſendam agnoſcere. Quis vero negabit, cauſam effectui reſpondere? Quem præterit, ineſſe cauſis convenientiam quandam cum effectibus ſuis? Memento autem, peccata eſſe mala, pravosque effectus. Quis itaque pravorum effectuum rationem ſufficientem extremam collocabit in ſanctiſſimo Deo, in ſapientiſſimo Deo, in optimo Deo? Abſit hæc opinandi licentia per omnem modum. Reſtat autem, ut perhibeamus, effectus malos proficiſci a cauſis malis, ac, ne progreſſio aperiatur cauſarum in infinitum procurrens, terminari tandem in ſpiritu quodam, pravitatis fonte, ac mali cujuscunque architecto. Si hic ſpiritus, ſi hæc mens, penderet a Deo, Deus tandem ipſe exiſtimandus eſſet fons mali & pravitatum origo. Hoc vero nemo ſanus affirmabit. Supereſt itaque nihil aliud, niſi ut contendamus, ſpiritum, pravitatum originem, a Deo haud pendere, ſed potius eſſe ſempiternum, immutabilem, neceſſarium, malum, bona improbantem, mala laudantem. Hæc philoſophandi ratio ſpeciem præbet veritatis quidem, at tironibus duntaxat ſolida poteſt videri.

deri. 5 Chaldæi ac Magi eundem in modum videntur philoſophati, ac per eam viam ad duo rerum principia ſtabilienda perveniſſe. Magi enim Perſarum duo admiſerunt in opinionum ſuorum campos principia, *ἀγαθὸν δαίμονα καὶ κακὸν δαίμονα, καὶ τῷ μὲν ὄνομα εἶναι Ζεὺς καὶ Ὠρομάσδης, τῷ δὲ Ἅδης καὶ Ἀρειμάνιος, bonum dæmonem & malum dæmonem: & illi quidem nomen eſſe Jovis & Oromasdis, huic vero Mortis & Arimanii*, teſte *Diogene Laertio* in *Proœmio*. Subſcripſit *Diogeni* Pſeudo-*Origenes* in *Philoſophumenis pag. 39 ſeq.* referens, *Pythagoram* acceſſiſſe ad *Zaratam*, Chaldæum, *Zoroaſtrem* opinor, hunc vero expoſuiſſe iſtud dogma, *duas rebus a primordio cauſas eſſe, δύο εἶναι ἀπ᾽ ἀρχῆς τοῖς οὖσιν αἴτια, patrem videlicet & matrem: & patrem quidem lucem, matrem vero caliginem; lucis autem eſſe partes, calidum, ſiccum, leve, velox; caliginis vero frigidum, humidum, grave, tardum. Sed ex his omnibus, adeoque ex muliere ac viro, conſtare mundum.* Sic ille. Videntur hæc potius ad principia phyſica, quam univerſalia & præcipua, ad extrema, & prima omnium rerum principia efficientia, quadrare. Nihilo minus B. *Joannes Chriſtophorus Wolfius* in annotatione quadam, ad locum illum adjecta, exiſtimavit, deſignata fuiſſe a Pſeudo-*Origene* duo rerum principia coæterna, bonum alterum, alterum malum. Ex cujusdam Perſæ *Ibn Shana* teſtimonio,[a] di-

 lucet,

a) *Cap. 10 pag. 162*, apud THOMAM HYDE *de Religione veterum Perſarum*.

lucet, Perſas ante *Zoroaſtris* doctrinam auctorem mali, ſeu diabolum, vocaſſe *Ahrenam*, & pro creato habuiſſe; poſtea vero per philoſophiam *Zoroaſtris*, ſeu *Zerdusht*, eo deductos eſſe, ut *Ahrenam* illum negaverint a quoquam conditum fuiſſe. *Theopompus* certe apud *Plutarchum* [b] tradidit, *Oromazen* æque ac *Arimanium* perpetuis concertationibus mutuo contendere, alterumque iſtorum Deorum ter mille annis victorem, totidemque victum, fore; his autem elapſis, utrumque per tria annorum millia habituros contentionem, & ſua invicem opera deſtructuros, donec tandem *Arimanius* lapſus invenerit perniciem [c] extremam. Videntur hæc fuiſſe rerum clariorum ſymbola. Ex mentione autem illius perniciei ultimæ, quam *Arimanius* traditur paſſurus, facile pateſcit, duo illa principia haud fuiſſe reputata pro æque potentibus, & pro æque immutabilibus. Inerat huic perplexæ & tenebricoſæ doctrinarum congeriei illa commoditas, ut ſtatim ſuccurreret ratio, cur malum orbi inſit, interroganti. Quicquid enim vel morali, vel phyſico, modo videtur malum, illud ab *Arimanio* prodiiſſe ac profectum eſſe, tradi poterat. De reliquo recte jam monuit *Simplicius* ad *Caput 34 Enchiridii Epicteti*, diſputationem de natura atque

b) In Libro *de Iſide & Oſiride pag* 370.

c) Mythologi Suecorum tradunt, prægrandem & informem gigantem *Ymir*, rudis indigeſtæque materiæ olim ſatorem, a filiis boreæ fuiſſe occiſum.

que ortu malorum, non bene explicatam, tum impietatis erga Deum cauſam exſtitiſſe, tum morum honeſtæque diſciplinæ principia perturbaſſe, tum multis, iisque inexplicabilibus, dubitationibus involviſſe eos, qui cauſas illius non veras reddiderunt. Nam, ſive quis malum a Deo conditum, ſive principium, eſſe tradiderit, ut duo ſint principia rerum, bonum & malum; multas magnasque abſurditates ſequi. Hæc veritati congruenter *Simplicius*. Si *Sharistanium*, Perſam [d], & *Ariſtotelem* [e] ſequimur, Perſæ antiquiſſimi unicum Deum exiſtimarunt creatorem lucis & tenebrarum, ſeu principii utriusque. *Ariſtotelis* hoc eſt pronuntiatum: [d] Φερεκύδης καὶ ἕτεροί τινες τὸ γεννῆσαν πρῶτον τὸ ἄριστον τιθέασι καὶ οἱ Μάγοι, *Pherecydes & alii quidam ponunt, id, quod produxit omnia, primum exſtitiſſe illud optimum, aeque ac Magi.* Fuerunt tamen jam olim inter Perſas ſectæ, quæ [f] contenderunt, duo exſtare rerum principia efficientia, æque ſempiterna. Ab hiſce opinio illa per Orientem univerſum fuit propagata, nec ulla peſtis eccleſiæ primæ Chriſtianæ fuit illa Perſica fictione exitioſior. *Manes* tandem Seculo III duo illa principia manibus pedibusque ſtabilitum ivit, quem Manichæi & Pauliciani fuerunt affectati. Exſtiterunt adhuc Seculo nono multæ Manichæorum reliquiæ, contra

d) Apud THOMAM HYDE *pag.* 299.
e) *Metaphyſic.* XII, 5.
f) P. BAILE *Dictionaire Tom. III pag.* 3082.

tra quas quippe *Photius*, Patriarcha, ſcripſit Libros quatuor, a B. *Joanne Chriſtophoro Wolfio* editos in *Anecdotis Græcis ſacris & profanis*, Hamburgi A. 1722, 8, evulgatis. Scripſiſſe conſtat contra eos tempore eodem *Petrum Siculum Hiſtoriam Manichæorum*, quam Græce, addita translatione Latina, eaque ſatis impolita, *Matthæus Raderus* Ingolſtadii A. 1604, 4, in lucem emiſit. Floruit uterque ſcriptor eadem fere ætate, ac poſterior priorem ſæpiſſime exſcripſit, & plagiarium egit. Uterque Paulicianorum errores ad ſex capita revocavit, ac primum caput ſic g) deſcripſit: *Pauliciani duo principia, quemadmodum & Manichæi, confitentur eſſe, ajuntque, alium eſſe Deum patrem, quem ab univerſi hujus poteſtate eliminant, & cui tantum futuri ſeculi imperium tradunt; alium vero eſſe creatorem mundi, cui præſentis ſeculi imperium largiuntur.* Non eſt noſtrum, ſcrinia aliorum expilare. Quare id unum duntaxat addimus, ſupereſſe adhuc Manichæos, non ſolum plebejos, ſed Philoſophos etiam, qui tradunt, dari ſpiritum malum, eumque haud creatum, cui in mentes alias ſit quædam poteſtas, & qui mala & moralia & phyſica inducat h) in mundum. Iidem naſum ſuſpendunt, ſi dixeris, malum morale non ſemper a Deo impediri, ſed ſæpius

per-

g) PHOTIUS *Lib. I contra Manichæos* §. *VI pag. 17 ſeq.* PETRUS SICULUS *pag. 16.*

h) LEONHARDUS HUTTERUS in *Expoſitione libri Chriſtianæ concordiæ, Viteberg.* 1611, 8, *pag. 108.*

permittit. Ipſi credunt, permiſſionem mali ad Deum, quem ſibi fingunt, haud quadrare. Hunc enim exiſtimant ita eſſe comparatum, ut nec omnia noſſe poſſit, nec prænoſcat morales hominum deſtinationes, ſpirituumque molitiones, a deliberatione ac libertate pendentes. Honoris cauſa nominamus neminem. Nobis pugnandum eſt adverſus errorem. Errantes ipſos amamus, colimus, & reveremur. Non enim omnis error ſtultitia eſt appellanda. Et quis tam eſt acutus & ſanctus, ut nuſpiam incurrat, nunquam halucinetur?

III.

Non ſane mirandum eſt, eum, quem quidam ſibi fingunt, Deum mala moralia nec permittere, nec impedire. Ipſe enim ea haud præſcit, ſatis habens, ſi nonnunquam per miraculum orbem univerſum reparet, & in ordinem redigat qualemcunque. Qui Deum colunt ſecundum hoc opinationum ſyſtema, ii non poſſunt in eum fiduciam collocare. Deus enim ipſorum nec eſt omniſcius, nec infinite ſapiens, nec eventuum, moraliter contingentium, præſcius. Quis enim illum appellabit omniſcium, qui eventus futuros, a libertate agentium pendentes, neſcit? Quis eum appellabit omniſcium, qui in dies addiſcit nova & complura? Quis eum prædicabit infinite ſapientem, cui deeſt omniſcientia? Sapientiſſimi enim Dei eſt proprium, cognoſcere univerſa & poſſibilia & eventura, atque ea, quæ fuerunt geſta, vel geruntur, atque præſtituere univerſa, quæ eve-

eveniunt, finem ac ſcopum, ad quem ſingularia quæcunque ſua ratione collineent. Qui vero Deum omniſcientia vacuum eſſe tradunt, ii ab illo ſcopo removent omnia, quæ a libertate mentium finitarum pendent, eventa. Quæ cum ita ſint, hæc Philoſophorum quorundam opinio ad pietatem adeo haud facit, ut potius homini, in adverſa detruſo, omnem eripiat conſolationem.

IV.

Ecquis enim reſiſtere poteſt menti non creatæ, pravitatis & malorum auctori, quam quidem pro commento habemus, cui tamen ſtabiliendæ, & in æternitatis ſolium evehendæ, nonnemo ſeſe addixit, quis ei poteſt, inquam, reſiſtere & refragari? Mens non creata 1) exiſtit per ſeſe, & rationem ſui ſuorumque attributorum in ſe continet; 2) ac ideo eſt neceſſaria, nec poteſt non exiſtere; 3) ſempiterna eſt, nec deſinit; 4) eſt immutabilis, quia eſt neceſſaria; 5) eſt infinita, nec novi quid ipſi, vel attributis ejus, accedit, quia neceſſario & immutabiliter exiſtit perpetuo; 6) eſt perfectiſſima, quia infinita, ideoque non niſi ea, quæ contradictione vacant, continet; 7) eſt ſimplex, quia eſt immutabilis, ac 8) ſemper actuoſa, extra perpeſſiones recipiendas conſtituenda. Vide Cl. *P. Ahlwardti* libellum, qui inſcribitur: *Vernünftige und gründliche Gedancken von Gott und dem wahrhaften Gottesdienſt*, §. 29. Qui præditus eſt omnipotentia, ac, ut nihil ſupra, malus exiſtit, is certe nocebit mentibus, a ſeſe diſſentien-

tientibus, inexpugnabilem in modum. An Deus mentem illam pravissimam a nocendo impedire poteſt? Nonne *Arimanius*, ſpiritus ille improbus non creatus, aeque potens eſt ac Deus? At nobis non metuimus a ſpiritu illo nefario & improbo. Novimus enim, ipſum eſſe ens contradictione ſua corruens, & monſtrum informe, cui fundamentum & lumen ademtum.

V.

Qui enim exiſtimat, dari ſubſtantiam per ſeſe ſempiternam, quæ non niſi prava ſit prorſus vitiisque coorperta; is perſuadet ſibi, exiſtere triangulum quinquangulare, immo biangulum, & aurum ſaxeum. Ea enim, quæ per ſeſe ſubſiſtit, & æterna eſt, ſubſtantiis excellit perfectionibus univerſis & ſingulis, quæ modo eſſe ac invicem conſiſtere queunt. Qui menti non creatæ nil niſi vitia, nævos, malorum cupiditatem, & ſexcentas imperfectiones, tribuunt, illi largiantur, neceſſe eſt, eadem ratione oſtendi poſſe, univerſum mundum haud eſſe creatum. Si enim id poteſt eſſe æternum, & per ſeſe ſubſiſtere, nec aliunde pendere, quod malis fœcundium eſt usquequaque, & noxarum multitudine ſcatet; quidni mundus habetur pro æterno ac pro te non creata? In mundo certe plus eſt boni, quam in illo auctore eſt mali. Profecto eos non ſatis admirari poſſum Philoſophos, qui hæc duo momenta in unam ſubſtantiam poſſunt compingere, nominatim æternitatem, ſtricte dictam, & ſummam malitiam.

Qui enim a ſeſe, nec aliunde, exiſtit, & ſempiternus, neceſſarius, & immutabilis, eſt, idem quoque infinitus & perfectiſſimus ſit oportet. Si quem tradis haud eſſe creatum, ſed per ſeſe exiſtere, nec aliunde pendere, eundem, fateri debes, eſſe malis vacuum, perfectionibusque plenum. Cum attributa Dei percenſemus, hunc incedimus tramitem. Si is, qui aliunde haud dependet, poteſt eſſe peſſimus ac deterrimorum deterrimus, quomodo tunc demonſtrabuntur in Theologia naturali ſingulæ perfectiones Dei? At ſubtrahis Deo immutabilitatem & infinitatem, ut *Arimanii* cauſam poſſis agere. Largiris tamen, eſſentiam Dei eſſe neceſſariam, ipſumque neceſſario exiſtere. Largiris, attributa Dei eſſe eſſentiam Dei ipſam, nec in eo exiſtere aliquid compoſiti. Et, ſi vel maxime Deo affingeres compoſiti & coagmentati quid, illud ipſum tamen exiſtimares æternum & neceſſarium. Si vero ea, quæ Deo ineſſe cogitantur, ſunt neceſſaria & æterna; tunc eadem quoque erunt immutabilia. Qui vero in ſeſe ac attributis, id eſt, in eſſentia, eſt immutabilis, is non recipit ſucceſſionis quid; is non recipit ab integro aliquid, ei nec demi, nec auferri, quidquam poteſt. Quicquid igitur ille tenet, & intra eſſentiam ſuam habet, illud ipſum ita habet, ut nihil acquirat & recipiat amplius. Quam ob cauſam is ſimul & ſemel ab æterno habet omne id, quod ipſe eſt, & eſſe poteſt. Nulla itaque virtus, barbare *realitas*, nulla perfectio, cogitari poteſt, quam ens, non creatum, haud

teneat

teneat ab æterno. Is quidem illud, quod contradictionem involvit, nec eſſe, nec habere, poteſt. Oſtendatur vero in complexu omnium perfectionum, quæ ſimul conſiſtere poſſunt, eſſe aliquid, quod contradictionem involvat. Cum vero ens a ſeſe & æternum, quod complexu omnium perfectionum compoſſibilium eſt præditum, appelletur infinitum; evidens & perſpicuum profecto eſt, ſubſtantiam illam, quæ eſt a ſeſe, & ſempiterna exiſtit, infinitam eſſe. Intelligimus hinc tandem rationem, quare is, qui fingitur, cacodæmon ſempiternus, nec aliunde pendens, ſit quadratum triangulare, niſi ſimul ſit perfectionibus compoſſibilibus univerſis & ſingulis præditus. At hoc eſt contradictione pleniſſimum, dari ſpiritum non creatum & maligniſſimum, & perfectionibus ſingulis, quæ ſimul conſtare invicem poſſunt, refertum. Ruit itaque illa de duobus principiis oppoſitis efficientibus opinio, eo quod ipſa eſt contradictionibus implicata, ideoque abſurda. Ruit ipſa & concidit. *Terentius* in *Adelphis Act. III Sc. 2 v. 1, 2.*

VI.

Præſcientia omnium eventuum, moraliter contingentium, eſt perfectio & poſitivum quid. Deus eſt infinitus, ac omnibus perfectionibus compoſſibilibus præditus. Præſcientia vero illa eſt ejusmodi perfectio, quæ cum Dei ſapientia, omnibusque reliquis Dei attributis, amice conſpirat. Ergo præſcientia illa Deo eſt tribuenda. Idem ex immutabilitate Dei cogi effici-

que

que poteſt. Qui enim addiſcit in dies, illius ſcientia augetur, ſeu mutatur. Atqui Deus eſt in ſeſe & in attributis ſuis immutabilis: Ergo Deus nihil in dies addiſcit, ſed omnipræſcientia eſt præditus.

VII.

Arimanius non creatus non-ens, & Deus, præſcientia omnium eventuum, moraliter contingentium, futurorum carens, eſt æque non-ens. Nam *Arimanius* ille contradictione laborat (§. 5), & Deus mutabilis eſt non-Deus (§. 6). Eſſe vero aliquid, quod contradictione evertitur, eſt idem ac eſſe non-ens. Ergo *Arimanius non creatus eſt non-ens, & Deus, præſcientia omnium moraliter contingentium eventuum futurorum carens, eſt non-ens peraque.* Ebræis trita eſt appellatio לא־אלהים.

VIII.

Quicunque illud colit pro ſubſtantia non creata, quod eſt Deus non-Deus & non-ens, ille eſt idololatra. Atqui ille, qui Deum, futuros eventus, moraliter contingentes, ignorantem, colit ſtatuitque, ille Deum ſtatuit non-Deum & non-ens. Ergo *ille, qui colit ſtatuitque Deum, futuros eventus, moraliter contingentes, haud præſcientem, eſt idololatra.* Veritatem hanc inculcant æque *Moſes Deut. XXXII, 21*, & *Paulus 1 Cor. X, 19, VIII, 4.*

IX.

Deus ille, qui futuros eventus, moraliter contingentes, haud præſcit, non eſt Deus ſupremus. Ipſius enim ſcientia, quæ eſt ejus attributum, immo

immo eſſentia, pendet a ſerie futurorum eventuum, moraliter contingentium, ex parte, quas quippe ſucceſſu temporis addiſcit. Inde conficitur, magnæ partis attributi ſui rationem ſufficientem ſitam eſſe in rebus, extra ſeſe conſtitutis. Cum vero hæ res, quia ſunt mutabiles, non per ſeſe exiſtant, nec rationem ſufficientem mutationum ſuarum contineant, manifeſtum eſt, progrediendum eſſe demonſtratori ad primum aliquod prorſus immutabile, quod appellamus merito Deum. Deus vero, qui non eſt ſupremus, ille eſt non-Deus. Ergo *Sociniani*, qui adorant Deum in dies addiſcentem, adorant non-Deum, ideoque ſunt idololatræ (§. 8).

X.

Patet hinc tandem, quid doctrina eorum in receſſu habeat, qui docent, dari in æternitate Dei ſucceſſionem ſecundum prius & poſterius. Pugnat hæc doctrina cum Dei immutabilitate & infinitate, ac eſſentiæ neceſſitate. Licet enim exiſtat ſucceſſio in rebus, quas Deus creat & conſervat, & quibus coexiſtit; inde tamen non ſequitur, eſſentiam & attributa Dei aliquid novi recipere. Si quis vero exiſtimet, noſtro cogitandi modo repræſentari poſſe æternitatem inſtar temporis infiniti, in quo ſucceſſionibus eſt locus, eum haud putaverim ideo exagitandum, dummodo largiatur, tempus infinitum differre ab æternitate Dei, ſcientiamque Dei omnis viciſſitudinis omniumque ſucceſſionum eſſe per ſeſe exſortem (§. 5).

XI.

XI.

Hiſce præmiſſis, ad quæſtionem propoſitam nos accingimus, *an Deum deceat permittere mala moralia.* *Arimanium* ſempiternum & Deum in dies addiſcentem dari aliquem, negavimus, nequis nobis in hac tractatione obſtrepat ſcrupulus vel diſputator. Poſſet enim ingenioſus Philoſophus ſeſe nobis objicere ac dictitare, ſupervacuam hanc eſſe quæſtionem, eo quod Deus peccata moralia haud permittat, ſed ipſa, Deo haud præſciente, nec opinante, & oriantur, & exorta ſint, & ſint in poſterum exoritura. Occupavimus hoc telum, & occurrimus huic argutationi. Reſtat itaque jam nihil, quod quæſtionem noſtram poſſit ludibrio exponere, vel ſupervacuæ diligentiæ titulo onerare.

XII.

Stolida autem eſt quæſtio, *an Deus debeat impedire omnia mala moralia.* Fruſtra enim de eo, quid Deus facere debeat, ſumus ſolliciti. Deus enim legi alterius haud eſt obnoxius, nec ad ullius voluntatem debet conformare decreta vel actiones ſuas. Nec tamen poteſt approbare, quicquid a nobis cogitari in utramque partem poteſt. Ipſe enim eſt ſapientiſſimus. Propterea ipſi placet nihil, niſi quod ſcopo ejus convenit congruitque. Ipſe eſt ſanctiſſimus. Propterea decernit & approbat ea, quæ perfectionibus ſuis ſunt conſentanea. Ipſe eſt optimus. Propterea approbat ea, quæ bonitati ipſius reſpondent, ſapientiam comitanti. Ipſe eſt juſtiſſimus. Propterea non poteſt non cultoribus

ac

ac imitatoribus ſui felicitatem tribuere, & rebellibus defectum felicitatis commeritasque ſenſiones impertiri & irrogare.

XIII.

Quicquid itaque *congruit cum complexu perfectionum divinarum, id Deum decet.* Theologi hanc decentiam vocant θεοπρέπειαν, ſecuti dictionem *Pauli Ebr. II, 10.* An hoc vel illud Deum deceat, ſæpius eſt difficile definitu, vel prorſus definiri nequit. Dabimus aliquot regulas, quibus innixi, queamus determinare nonnulla eorum, quæ Deum decent. Primo quidem *ea Deum decent, quæ ipſe dat effectui in rebus creatis,* ſiquidem ipſe nunquam in actionibus ſuis ſeſe negare,[i] ſeu aliquid efficere, poteſt, quod ipſum dedeceat. Deinde *id Deum decet, quod legibus præceptisque ipſius eſt conforme.* Quare, *id* quoque *Deum deceat, ut decernat ea, quæ perfectionibus ſuis ſunt conſentanea, neceſſum eſt.* Tandem quoque *Deum decet morigeros præmiis promiſſis afficere,* & oſtendere, peccata ſibi haud placere, in præfractos animadvertendo, *2 Theſſ. I, 6, Ebr. VI, 10, Tit. I, 2.*

XIV.

Quicquid Deus decrevit, illud quoque ipſum decuit. Quicquid vero effectui datur, ipſo præſciente & inſpectante, illud, ut ita fieret, ipſe decrevit. Fiunt ſæpius peccata & ſcelera ab hominibus ipſo præſciente & inſpectante, quæ ipſe

I

i) *2 Tim. II, 13.*

ipſe poterat miraculo impedire, nec tamen ſemper impedit, ſeu, quod idem eſt, quod fieri permittit. Ergo Deus decrevit, ſeſe ea eſſe permiſſurum. Decretum vero illud, quis contendet, Deum haud decere? Non decent Deum peccata, nec ipſe ea approbat, nec approbare poteſt. Non igitur peccatum, ſed permiſſio, ad decretum Dei ſpectat. Permittit Deus peccatum, nón qua peccatum, ſed ob eventus ſapientiæ ſuæ congruentes.

XV.

In peccato inſunt, diverſa momenta, quæ decet diſtinguere. Is, qui peccat, 1) finitarum eſt virium, vires poſſidet, a Deo acceptas, easque phyſice bonas, 3) proclivitati ad malum indulget, & 4) legi actu ipſo, vel omiſſu, repugnat. Finitudo illa inhæret eſſentiæ rerum creatarum, nulla excepta. Quare ipſa eſt æterna & immutabilis. Nunquam enim res creata fieri Deus poteſt, & ad infinitatem pervenire. Et, quicquid Deus creat, illud eſt finitum. Ipſe profecto Deum creare haud poteſt. Finitudo autem illa ſic eſt comparata, ut 1) perfectiones præſto ſint haud omnes, ſed nonnullæ, plures vero deſint, ac ut 2) vires non ſimul omnes poſſint ad actum vel effectum applicari, ſed eæ ſucceſſu temporis evolvantur, exerceantur, debilitentur, promoveantur, pro ratione applicationis ac momentorum circumſtantium. Quantum vero ad corpus & animam, & utriusque vires, attinet, in eis, phyſice ſpectatis, nihil eſt mali. Deus enim eas creavit & conſervat.

Motus

Motus itaque corporis ac partium ejus, viresque animæ, ad peccatum applicatæ, non ſunt peccatum. Sed hoc conſiſtit in omisſione obedientiæ, quam homo quisque Deo debebat & poterat præſtare. Nec tamen ex finitudine per ſeſe emanat peccatum, ſiquidem alioquin omnes ſubſtantiæ creatæ perpetuis ſeſe polluerent peccatis. *Accedat* itaque *proclivitas peccandi ad finitudinem* illam, *neceſſe eſt, ut peccatum admitti poſſit.*

XVI.

Finitudinem rebus creatis demere, easque in Deos mutare, Deum haud decet. Quomodo enim id agere Deum decebit, quod fieri prorſus non poteſt? Quæ Deum decent, ſunt in claſſe rerum, quæ contradictionem haud involvunt.

XVII.

Dantur finitudines, quæ ex relatione & comparatione quadam exiſtunt ſpectabiles. Finitudo ejusmodi virium ineſt homini, quamprimum vires ſuas comparat cum aquilæ viribus. Animadvertit enim homo, ſibi vires naturales deeſſe in altum evolandi. Eadem ratione homo animadvertit, ſibi plures alias vires deeſſe. Datur quoque virium diſcrimen in ipſis hominum animis corporibusque. Dantur homines, quibus ea ſunt difficilia, quæ aliis ſunt facilia, & contra. Datur quoque mira propenſionum varietas, quæ efficit, ut alii ad hanc, alii ad illam, vivendi rationem ſint procliviores ac aptiores. Quisque, huic contemplationi deditus, me non monente, intelliget, Deo ſa-

pientiſſime viſum ita fuiſſe, ut vires varie diſtribuerit. Hæc virium diſtributio Deum decuit, ſiquidem per eam homo homini redditur neceſſarius & utilis, ac inde ſocietas humana aptius colligatur, ac mutuis vinculis conſtringitur.

XVIII.

Mas non debet deſiderare, ut ipſe ſit fœmina, ac contra. Terricolam non decet expetere, ut ſit Angelus, ut ſit Lunicola, vel incola Sirii. Quæ enim ſunt in nobis poſitiva, & *aliquid* dici poſſunt, ea Deo in acceptis ſunt referenda, qui ſapientiſſime res creatas inſtruxit, eaſque voluit eſſe varias, ut eo plura exiſterent monumenta, e quorum contemplatione perfectiones Dei innoteſcerent illis, qui mentem attentam ad divina appellunt.

XIX.

Experientia, rerum magiſtra, docet, curſum naturæ aptum eſſe ad perfectiones Dei exinde diſcendas, ac ſummam ex eo elucere Dei ſapientiam. Quoties itaque Deus ſcopum ſuum conſequitur, quem mundo præſtituit, ex conſervato naturæ curſu, ipſum haud decet miracula adhibere.

XX.

Homines eſſe ſubſtantias, libertate gaudentes, Deum decet. Deus enim per creationem rerum voluit gloriam, id eſt, complexum perfectionum ſuarum, agnoſci a mentibus finitis, intellectu & voluntate inſtructis, ſiquidem is aliquid producere ſine ſcopo præſtituto ob ſapien-

pientiam non poteſt, ſcopus vero præſtantior dari nequit illo, quem indicavimus. Dum vero mentes iſtas oportet Deum honorare & venerari, nec honor, neceſſitate extortus, vel involuntarius, nomen honoris tueri poteſt; inde conſequitur, Deum voluiſſe, ut mentes illæ finitæ, quæ gloriam ejus noſſe & celebrare, ac in invitamenta felicitatis ſuæ convertere, queunt, libertate gauderent. *Decuit* itaque *Deum, mentibus finitis conferre libertatem.*

XXI.

Homines gaudent voluntate ac vi aliquid efficiendi. Voluntas illa eſt vis animæ, qua res, animo propoſitas ac repræſentatas, poſſumus vel expetere, vel averſari. Cum vero, expetitionis ac averſationis illius exercitium rationi cuidam ſufficienti innitatur, neceſſe ſit; ratio ejusmodi omnino exiſtit. At hæc ſita eſt in repræſentatione boni, quod expetimus, & mali, quod averſamur, ipſa experientia comprobante & concinente. Cum porro vis rationis noſtræ ſit finita, & ſucceſſu temporis ſeſe evolvat; repræſentatio noſtra poteſt eſſe nonnunquam obſcura, rei repræſentatæ haud ſatis accommodata, immo errore imbuta. Nec ſemper tam diu rei expendendæ immoramur, ut ejus nexum & eventum, ſucceſſionemque eventuum futurorum, inde pendentium, diſtincte & adæquate perſpiciamus. Poſſumus taque judicium noſtrum præcipitare, & notiones errore plenas animo informare. Cum vero ex repræſentatione minus accurata oriantur cupiditates

tates & averſationes fallaces, ideoque bonum, ſub ſpecie mali repræſentatum, averſari; & malum, ſub ratione boni ſpectatum, approbare & expetere, poſſimus; inde efficitur cogiturque, mentes finitas, in ſeſe conſideratas, nec aliunde firmatas, labi & errare, ac cupiditatibus præpoſteris ſeſe commaculare, poſſe. *Homo* igitur, per ſeſe conſideratus, poteſt bonum verum averſari, & malum, ei oppoſitum, per libertatis ſuæ abuſum expetere ac ſequi, id eſt, *poteſt peccare.*

XXII.

Ex actione una emanat ſæpius eventus, qui ſeriem eventuum longiſſimam poſt ſeſe trahit. Quam ob rem dantur actiones humanæ, peccatis infectæ, quibus ineſt ratio, cur ſeries eventuum inde ſubſequatur admodum diuturna. Quanta inſit vis exemplo pravo, præcipue a ſummatibus profecto, ſatis dici haud poteſt. Hinc apparet ratio, quare ſeries eventuum, a libertate pendentium, unius unoque peccato determinari poſſit ita, ut conſecutio, naturaliter inde exorta, haud ceſſet per ſecula ventura omnia, niſi continuo per miraculum deſtruatur prior rerum eventuumque conſecutio, & novus rerum naſcatur ordo in dies.

XXIII.

Si igitur Deus voluit, ut mentes finitæ utantur ſua libertate, & voluntarias pro finitudine edant actiones (§. 20); *ipſum dedecet, perpetuis miraculis effectus illius libertatis deſtruere;* e contrario autem *ipſum decet, peccata permittere,*

tare; fructus quippe libertatis mentium finitarum, aliunde nondum confirmatarum.

XXIV.

Si confirmatio mentis finitæ in ſtudio virtutis pendet a diuturno virtutum exercitio, ac Dei remunerantis præmio; *Deum haud decet, mentes* illas *finitas in bono confirmare, quæ virtutem nondum excoluerint, quæ pro gloria Dei tuenda nondum certarunt, quæ nihil, quod præmio ſit dignum, egerunt, niſi ipſis citra culpam ſuam integrum haud fuerit, colere & affectari virtutem.* Hinc ſequi videtur, Deum homines recens creatos haud ſtatim in bono confirmaſſe. Idem de reliquis mentibus finitis, ex nihilo productis, eſt judicandum. Evaneſcit itaque eorum objectio, qui contendunt, Deum, ſi prævidiſſet miſerias hominis, eventuras ex peccatis, homines priſtinos in bono fuiſſe confirmaturum. Sumunt enim, qui ita argutantur, perperam, Deum aliquid latere poſſe. Iidem contendunt, ut Deus ea potius egerit agatque, quæ ipſum dedecent, quam quæ ipſum decent. Corona certe victrix & brabeum non datur, niſi probe pugnantibus, pugnaque recte defunctis, 2 *Tim. II, 5; Apoc. II, 10.*

XXV.

Peccatum non eſt ipſa actio, ſed defectus obedientiæ, Deo debitæ in liberis actionibus. Actio enim, quatenus ad vires & motum refertur, eſt phyſicum quiddam. Vis vero agendi ac modus eſt aliquid boni ac poſitivi, & a Deo pendet reſpectu tum creationis, tum con-

ſervationis, nec homini peccanti ſubtrahitur; niſi miraculum intercedat, 1 *Reg. XIII*, 4. Directio & determinatio virium hominis, dum ipſe peccat, libere & naturaliter ab homine proficiſcitur (§. 20), nec Deum decet perpetuis hominum actiones conſtringere & enervare miraculis; idcirco ſtatuendum eſt, *Deum haud eſſe cauſam vel approbatorem peccati, licet peccatum permittat.* Id enim, quod in defectu conſiſtit, cauſa efficiente caret, & perfecta, & infinita.

XXVI.

Solide B. *Joannes Gerhardus*, ſeculi ſui Phosphorus, de permiſſione mali ſic diſſerit [k]: *Non vult Deus peccatum, nec tamen impedit, quæ eſt ipſa permiſſio. Quamvis vero permittat volens, nec invitus, tamen permiſſio & voluntas ad diverſa tendunt objecta. Permiſſio refertur ad peccatum ipſum, voluntas ad finem utilem, quem Deus pro ſua ſapientia ex illo novit educere.* Sacer Codex luculente adhibet vocem & notionem hanc *permiſſionis Act. XIV*, 16, 2 *Theſſ. II*, 11, 1 *Cor. X*, 13, *Pſal. LXXXI*, 13; *Jo. XIX*, 11. Conf. Cel. *Ribovii Inſtitutiones Theologiæ dogmaticæ Part.* I §. 13, 93.

XXVII.

Si puſio virum ſenem, eumque ſapientem, viderit in illud haud illico animadvertere, quod legi repugnat, licet id ipſum præviderit eventurum; puſionis haud eſt, invehi in ſapientiam

k) *De Providentia Cap.* 9 §. 90 *pag.* 72.

tiam ſenis; ſed cogitare, rationem ſuppetere ſeni, cur permiſerit homines ipſorum arbitrio, nec vires ſuas commoverit. At quam puſilli ſumus, ad Deum relati! Deus ne quidem nobiscum in comparationem poteſt adduci: Ipſe enim eſt immenſus, & infinite perfectus. Simul ac igitur perſpeximus, Deum eſſe mundi creatorem ſapientiſſimum, ſanctiſſimum, optimum, ac omniſcium, rerumque omnium præſcium; perſpeximus ſimul, permiſſionem mali moralis Deum haud dedecere, licet nulla in promtu ſit ratio, cur Deus illud haud perpetuo impulſu impediat & ſufflaminet.

XXVIII.

Collegit tamen *Damaſcenus* [1] ex *Nemeſio* ſeptem cauſas finales, cur Deus malum morale permittat, vel phyſicum haud tollat ſtatim. En illas. Deus 1) aliquando juſtum ſinit exerceri ærumnis, ut virtutem, in eo latentem, aliis reddat manifeſtam; 2) ex permiſſa abſurda turpique actione profluentem eventum, cum ſalute plurimorum omniumve conjunctum, ſequi ſinit; 3) petulantiæ inimicorum ſubjicit quemquam, ne is extollatur, *2 Cor. XII, 7;* 4) aliquos ſinit incidere in corporis ſeu animi periculoſiſſimos caſus, ut ipſi ſolide norint Dei benignitatem, & in poſterum cautius agant; 5) permittit homines nonnullos morbis ac miſeriis, ut ex ſanatione eluceat Dei perfectio & præſtantia infinita, *Jo. IX, 3;* 6) ſinit quosdam pati

1) *De orthodoxa fide II, 31.*

pati extrema conſtantiſſime, ut ſimilis in aliis conſtantia accendatur; 7) ſinit Deus labi homines in peccata abſurdasque actiones, ut alii ipſorum affectus pravi, e. g. perſuaſio de meritis & oſtentatoria fiducia ſui, corrigantur, ac homo intelligat, amicitiam Dei eſſe circumſpiciendam, animumque ad ima eſſe dejiciendum. Addendum eſt 8), Deum permittere homines, admonitionibus ſalutaribus frequentiſſime & ad nauſeam ſæpius excitatos, ad tempus, vel perpetuo, pertinaciæ ipſorum, *Rom. I, 24, Hoſ. IV, 16, 17, 2 Theſſ. II, 11, Jeſ. V, 3, 4, 5, 6 Matth. XXIII, 34-38.* Egregium prorſus eſt exemplum *Joſephi* Patriarchæ, in quem fratres admodum peccarunt, Deo ipſis per eum proviſuro, *Gen. L, 20, Neh. VI, 2.* Licet vero nullas proferre rationes, cur Deus haud ſemper impediat mala, valeremus; tamen nihilo minus, conquieſcere in ſumma Dei ſcientia, ſapientia, & bonitate, foret noſtrum. Cui enim, obſecro, rationem reddere Deus debet actionum vel permiſſionum ſuarum? Nonne ipſe eſt Dominus, a nemine pendens, nemini ſubjectus?

XXIX.

Nolim autem, tibi perſuadeas, principem cacodæmonum eſſe ſpiritum haud creatum, eoque admiſſo, illam de Deo, malum permittente, doctrinam ſupervacuam eſſe & prætermittendam. Nam nec ratio noſtra, nec Codex ille, quem Chriſtiani merito reputant pro divino, principem illum ſempiternum exiſtere, red-

dunt

dunt comprobatum. Conſulta rationis ſi adhibeamus, princeps ille cacodæmonum exploditur & evaneſcit (§. 5). Quoniam vero Philoſophi, ut principem illum pravitatis oſtendant haud eſſe creatum, ad ſacrum Codicem nonnulli provocant, ac ipſi Paulitiani jam olim hoc exemplum ſua præiverunt demonſtrandi ratione, operæ pretium fuerit, ea producere loca, quibus error ille corrigi ac emendari poteſt. Licebit enim facere alteri Philoſophorum, quod uni alterique eorum licuit. Demonſtrandum itaque nobis ex Codice ſacro eſt omnino, diabolum olim creatum fuiſſe, ac ornamento ſanctitatis integritatisque paullo poſt excidiſſe, hominesque primos, Deo ſinente, ad avia legisque neglectum deduxiſſe.

XXX.

Primo quidem, cacodæmonem ejusque ſocios haud ſecus ac omnem mundi compagem divinitus creatos ac ex nihilo evocatos eſſe, eſt oſtendendum. Id vero ante omnia tenendum, formulas loquendi haſce, *eſſe ſempiternum*, & *eſſe ante mundum conditum*, haud eſſe diverſi in ſacris litteris ſignificatus. Deus de ſeſe ſic pronuntiavit *Jeſ. XLIII, 13.* מיום אני, *ante diem ſum*, exſtiti, antequam dies ullus exiſteret. Græcus Interpres vetus, ſenſum magis, quam voces, ſecutus, hæc habet, ita cum antecedenti ſententiæ modulo copulanda: ἐγὼ κύριος ὁ θεός, ἔτι ἀπ᾽ ἀρχῆς, *Ego Dominus Deus*, *jam ab initio.* Aeternam perpetuamque Dei eſſentiam, quai [illegible] exſtitit, hic [illegible]

ita decantavit *Pſ. CX, 2: Antequam montes gignerentur, & ſcite formaretur tellus mundusque; ac a duratione impervia usque ad durationem imperviam, tu es princeps.* Jeſus ita ad Patrem cœleſtem *Jo. XVII, 24:* Ἠγάπησάς με πρὸ καταβολῆς κόσμου, *dilexiſti me ante fundationem mundi.* Deus dicitur electos dilexiſſe, dilectosque elegiſſe, πρὸ καταβολῆς κόσμου, *ante fundationem mundi, Eph. I, 4.* Καταβάλλειν proprie eſt *dejicere, proſternere*[m], eo quod ob fundationem ædificiorum multa dejiciuntur in imum, ac ad fundum, & ſaxa & materies durabilior proſternuntur. Sapientiæ æternitas exinde comprobatur, quod ipſa exſtitit, antequam Deus aliquid fecit, ante initia terræ, antequam exſtiterunt profunda, antequam fontes præbuerunt aquam, antequam montes collesque exſtitere, *Prov. VIII, 23 ſeq.* Ex hiſce locis evidenter perſpicitur, in ſacro Codice differre[n] formulas loquendi, *eſſe ante mundum conditum,* & *eſſe æternum.* Cacodæmonum vero princeps exſtitit vel ante mundum creatum, vel ex quo jam conditus fuit mundus. Si prius præfers, fatearis oportet, cacodæmonem eſſe æternum. Si poſterius deligere mavis, cacodæmonem fuiſſe purum ſanctumque, non poteris non largiri. Ponamus, prius illud ad tempus propugnari, ac pro vero haberi, ut ſententias, quæ inde proxime profluunt, eo expeditius ſolidiusque poſſimus

m) THEODOSIUS, *Epitomator Dionis, pag. 773.*

n) Cel. G. H. RIBOVIUS in *Inſtitutionibus Theolog. dogmat. Tom. I* §. 363, 1360.

ſimus dijudicare. Ex corollariis deinde intelligetur, cacodæmonem, ſeu *Arimanium*, haud exiſtere æternum, immo nec exiſtere poſſe ulla ratione ab æterno.

XXXI.

Fingamus itaque, diabolorum principem haud fuiſſe a Deo creatum. Quicquid vero creatum haud eſt, illud vel exiſtit, vel non exiſtit. Fingamus, *Arimanium* exiſtere ab æterno, & eſſe ſempiternum, immo a Dei haud pendere potentia ac poteſtate. Ponendum itaque ac largiendum nobis eſt, *Arimanium* exiſtere per ſeſe, a nemine dependere, rationem, cur exiſtat, in ſemet continere, eſſe prorſus neceſſarium, ideoque ſempiternum ac immutabilem exiſtere, eſſe ob immutabilitatem, uſquequaque patentem, omnino infinitum, nec novum quid recipere, eſſe perfectiſſimum, eſſe ob immutabilitatis conditionem omnino ſubſtantiam ſimplicem, eſſe immaterialem, eſſe perfectionibus intelligendi ac decernendi, ſapientia, ceteriſque conjunctiſſimis attributis, præditum. Horum unum fluit ex altero. Si itaque *Arimanius* exiſtit, iſque creatus non eſt, is ipſe ſit ſubſtantia & perfectiſſima & infinita, neceſſum eſt. At Deus eſt ſubſtantia ea ipſa. Niſi itaque duo infinita, æque perfectiſſima, dari largiare, *Arimanius* jam eſt profligatus. At difficultas, ſimul ac hanc aſſumſeris perſuaſionem, oboritur nova, eaque *Arimanio* prorſus inimica. Nam principia duo & infinita & æque perfecta haud

dari a) queunt. Quid igitur relinquitur, niſi *Arimanium* ejuſmodi, non creatum, nec exiſtere, nec exiſtere poſſe?

XXXII.

Si itaque cacodæmonum princeps non eſt ſubſtantia æternum immutabilis, ipſe in claſſe rerum mutabilium computetur ac referatur, neceſſum eſt. Tertium certo haud datur. Inſtamus porro, & ita argumentamur. Si Deus ſolus eſt immutabilis omni modo, cacodæmon vero Deus eſſe haud poteſt, immo *Arimanius* immutabilis ne quidem exiſtere potuit (§. 31.); eo ipſo pateſcet ac relinquetur, principem cacodæmonum rationem, cur exiſtat, ſufficientem non in ſeſe, ſed in Deo, tenere, & eapropter creatum fuiſſe ex nihilo. Cum vero id, quod exiſtit ante mundum, ſit ſempiternum & immutabile (§. 30.); inde cogitur efficiturque, principem cacodæmonum, quia nec ſempiternus, nec immutabilis eſt, ante mundum haud extitiſſe, ſed ſimul cum reliquis rebus creatis, quæ mundum conſtituunt & efficiunt, divinitus creatum fuiſſe (§. 30.).

XXXIII.

Hoc argumento refelluntur illi etiam Sociniani, qui ſibi perſuaſerunt, angelos & materiam mundi rudem atque indigeſtam ante hoc univerſum conditum productos & creatos eſſe. Vide *Arſenium Sophianum*, *Socini* dogma roborare tentantem, *pag.* 70 libri, *Vernünftige*

Reli-

a) P. AHLWARDT in *Gedanken von Gott und dem wahrhaften Gottesdienſt*, §. 63.

Religion inſcripti. Contra duo principia Manichæorum ſolide diſputavit *Zacharias Grapius* in *Theologia recens controverſa continuata pag. 31 ſeq.* De reliquo miramur, quod *Adamus Scherzerus* in *Collegio Anti-Sociniano* nihil diſſeruit de Socinianorum, quem refutavimus, errore. *Socinus* certe cœpit problematice diſputare de angelorum ante mundum origine. *Schmalzius*, eam originem eſſe veroſimilem, pronuntiavit. *Volckelius* vero, ceterique Sociniani recentiores, veroſimilitudinem illam tentarunt in certam convertere veritatem.

XXXIV.

Angelus ille, qui ſatanas & princeps tenebrarum dicitur, creatus fuit, eaque indole inſtructus, ut perfectiones morales obtineret, ac ſeſe Deo morigerum præberet. Nam Deus ob ſanctitatem & bonitatem ſuam æternam non poteſt quidquam creare, quod a prima origine ſit vitioſum & peccatis refertum. Oſtendi id iam alibi. Pronuntiatum Dei, in ipſo Codice ſacro exhibitum, huic ſententiæ ſuffragatur. Jeſus docet *Jo. VIII, 44*, *diabolum non perſtitiſſe in veritate*, ſed ad errores ac ſtatum, veritati illi adverſum, prolapſum eſſe. Per *veritatem* ibi indicatur pietas, juſtitia, ſanctitas, ac virtutum complexus. Hinc conſequitur, diabolum & aſſectatores ejus, angelos, ab origine conditos eſſe in ſanctitate, excidiſſe autem certo peccato e ſtatu virtutum & ſanctitatis in imperfectiones, ſanctitati oppoſitas, ac in hiſce perſeveraſſe. *Judas in Epiſtola inciſo ſexto* il-

lud peccatum quodammodo definivit, docens, angelos malos *non obſervaſſe principatum ſuum*, ſed dereliquiſſe proprium domicilium, ipſoſque ad diei magni judicium vinculis ſempiternis, ſeu minus finiendis, *ἀϊδίοις*, ſubter tenebris a Deo reſervari. *Petrus 2 Epiſt. v. 4* conſonat huic teſtimonio, ac, eos *rebellaſſe*, tradit, & a Deo eam ob cauſam pœnæ ſubditos, catenis tenebrarum in tartarum præcipitatos aſſervari, ac Deum eos, ad judicium detentos, miſeriis tradidiſſe. Ii autem angeli, qui ſanctitatem ſibi inditam huic rebellioni oppoſuere, brabeum conſtantiæ ſuæ victricis reportarunt, nempe præclaram in ſanctitate confirmationem ac felicitatem ſemper perſtituram. Dicuntur enim *electi*, & *faciem patris cœleſtis ſemper vident*, *1 Tim. V, 21, Matth. XVIII, 10.*

XXXV.

Concidit itaque & evaneſcit opinio eorum, qui ſibi perſuadent, principem cacodæmonum 1) haud eſſe creatum, 2) & nunquam non exſtitiſſe patrem mendaciorum, malitiæque fontem. Licet enim *Moſes* nominatim haud doceret, eum fuiſſe a Deo in ſanctitate conditum; tradidit tamen ipſe, res creatas initio fuiſſe optimas, & *exercitus cœli terræque* fuiſſe divinitus creatos. Quis enim inficiabitur, nomine צְבָאוֹת intelligi *copias militares, in acie inſtructa conſiſtentes, ordiniſque ſui ſervantes?* Quis neſcit, angelos in divinioribus litteris appellari *ϛρατιὰν οὐρανίου, exercitum cœleſtem, Luc. II, 13?* Et ubinam, obſecro, de duabus vel pluribus

crea-

orationibus, proprie dictis, in literis divinioribus eſt ſermo?

XXXVI.

Prolapſus fuit cacodæmon cum ſuis in rebellionem, legibusque Dei ſpretis, obedientiam repudiavit, Deo exhibendam (§. 34). Deus vero haud impedivit voluntariam peſſimamque hanc rebellionem, nec tamen approbavit, ſed pœnis afficit duris, & gravioribus tandem afficiet. Ergo *Deus ſivit, angelos malos labi, & peccatis ſeſe obſtringere.* Confirmatur proinde per hanc defectionem illa ipſa permiſſio mali moralis.

XXXVII.

Nec ſatis habuit angelus peccator, ſeſe ſuosque aſſectatores Deo obedientiam debitam denegaſſe, principatuque ſuo excidiſſe, ſed primos etiam homines, marem & fœminam, ad idem imitandum facinus falſis fucatisque promiſſionibus induxit. Homines imagine Dei, anguſtiori ſenſu ſumta, excidiſſe, a me alibi eſſe demonſtratum arbitror. Ubinam enim terrarum exiſtunt ulli homines, qui, felicitate mentium firmati & ornati, proclivitate ad mala vacant, ac ſanctitati ſtudent vi ſua? Ad homines primos hanc referendam eſſe jacturam, probabili argumento alibi comprobare contendi. Indignum enim eſt Deo, creare mentes, intelligentia atque vi libere agendi præditas, quæ, ſimul ac vivere & agere cœperunt, ſtudio peccandi laborent. Ipſe enim deteſtatur peccatum, hominibusque primis, qua ipſe eſt ſanctitate, ſapientia & benignitate, tantum perfe-

ctionis

ctionis & phyſicæ & ſpiritualis contulit; quantum ipſi capere potuerunt. Cum vero jam inde a longiſſimo temporis tractu orbis terrarum hominibus ejusmodi refertus ſit, qui deerrant a norma legis divinæ, atque ſanctitate debita vacant, nec ullus reperiatur telluris angulus, quem homines prorſus ſancti, & a proclivitate peccandi prorſus disjuncti, incolant; evidens ſane eſt & luculentum, imaginem Dei a progenitore terricolarum omnium communi amiſſam fuiſſe, eamque jacturam cum corruptione, ad poſteros omnes propagata, eſſe conjunctiſſimam. Rem omnino ita contigiſſe, monumenta *Moſis* antiquiſſima nos edocent, cęterique ſcriptores divini id æque tradunt, quorum teſtimonia a ſtudio partium, impoſtura, & ſuperſtitione, longiſſime ſunt diſcreta & remota, quemadmodum ſolide oſtendit B. *Joannes Guſtavus Reinbeck* in P. *IV Meletematum ad divinas veritates, quæ in Auguſtana Confeſſione continentur, vel cum eis conjunctæ ſunt*, *Meditat. XLIV pag. 202 ſeq.*

XXXVIII.

Poteſt huic, quam ediſſerui, ſententiæ omnino opponi, ſatanam dici *homicidam ab initio Jo. VIII, 44*, ac eam ob rationem Deo haud indignum eſſe, creatore quippe ſupremo, e nihilo produxiſſe mentes, quæ ab initio & ex ipſo creationis puncto fuerint improbæ ac male agendi ſtudioſæ. Miramur ſane, objectiones, quæ dudum fuerunt diſſipatæ, identidem reponi, ac tela infracta denuo oſtentari. Quis

enim

enim ignorat, Jeſum loco laudato de cacodæmone ita tradidiſſe: Ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ᾽ ἀρχῆς καὶ ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκεν, *illo homicida erat ab initio, & in veritate illa non ſtetit.* Verba hæc non ſunt intelligenda ſeparatim, ſed conjunctim ſunt conſideranda. Ipſis enim docemur, cacodæmonem creatum fuiſſe in veritate, id eſt, in conformitate mentis cum lege divina. Vide ſupra §. 34. Hinc porro fit perſpicuum ac luculentum, fruſtra cacodæmonem reputari pro homicida ejusmodi, qui ex primo, quo creatus eſt, temporis articulo egerit homicidam. Per *initium* itaque illud, ex quo inde cacodæmon fuit cacodæmon, ac homicidia ſpiravit, hominibusque primis vitam & felicitatem ſubtraxit, deſignatur *initium* non creationis, ſed *defectionis.* Quo ipſo convincimur, ſententiam noſtram objectione hac haud elidi, ſed confirmari. Veritas illa, in qua ſpiritus ille, quem defectio poſthæc reddidit cacodæmonem, creatus fuit, opponitur ψεύδει, *mendacio.* Nam ipſe induxit *Evam* ad labendum per mendacium, dictitans, arborem, ſeu ſpeciem arborum, vetitam eſſe præclari in cibum uſus, ac conciliare edentibus ſapientiam ſupremam, quæ ſit ita cœlitum propria, ut & in homines cadere poſſit. Egit ſatanas oſtentatorem fallacem ac intrepide nefarium. Mendacii hujus ſtudium non poteſt non profluxiſſe ex mente, a Deo ejusque legibus perfectionibusque abalienata. Quam ob rem exiſtimandum eſt, ſatanam, cum primis parentibus

mendacio vitam felicem & imaginem Dei, ſtrictim ſic dictam, ademit, jam a lege Dei & perfectione ſua felici receſſiſſe, initium vero illius receſſionis ac defectionis ſtatim cum deſiderio nocendi primis hominibus fuiſſe copulatum & conjunctum. Addunt Muhammedani, ſpiritum illum, qui degeneravit in cacodæmonem, noluiſſe adorationis honorem & venerationem homini præſtare, & hanc ob cauſam terricolas a gradu perfectionis ipſorum deturbaſſe interventu fraudum, teſte *Corano Sur. II, 34, XV, 29, XVII, 62, XX, 114, XXXVIII, 75.* At ea ratio eſt prorſus frivola, ſiquidem ipſi Muhammedani, alium ac Deum eſſe adorandum, negant, eamque ipſi Deo tribuunt doctrinam. Quomodo igitur dici poteſt, Deum voluiſſe ac præcepiſſe olim, ut ſpiritus nonnulli hominem adorarent?

XXXIX.

Videamus, obſecro, an inſit hiſtoriæ illi *Moſaicæ*, qua primum primorum hominum peccatum exponitur, aliquid, quod nauſeare queat homo, præſidio ac ornamento rationis ſolius ſuæ adjutus ac præmunitus. Liceat hoc fine objectiones recentiorum rationis pullorum expromere, ac cum Lectoribus communicare. Sunt, qui, omnem illam hiſtoriam proſterni poſſe, putant eo, quod in ea Deo tribuitur permiſſio mali moralis, quam ipſi Deo inconvenientem eſſe arbitrantur. Diluimus jam ſupra, ni fallor, hanc objectionem, ac in ea (§. 43) denuo operam collocabimus noſtram

&

& illuſtranda & extricanda. Sunt, qui monent, ſpiritus finitos nec eſſe ſerpentes, nec in ſerpentes obſidendos tenere poteſtatem; per pomi eſcam homines fieri haud poſſe ſapientes Deoque ſimiles; hanc certe opinionem vix in pueros quadrare, nedum in homines, imagine Dei illuſtres; ſerpentem fuiſſe punitum, inſtrumentum peccati, cui pravitatis nihil imputari poſſit; arborem cognitionis boni malique non potuiſſe non eſſe ſalubrem uſusque innocentis, tum ob nomen egregium, tum eo, quod in ipſo Paradiſo fuerit poſita.

XL.

Si qui fingunt, mentes illas, quas appellamus Angelos, nec eſſe ſerpentes, nec in ſerpentes obſidendos ullam tenere poteſtatem; ipſorum eſt reminiſci, diabolum, ſeu cacodæmonum principem, proprio vocis ſignificatu haud dici *ſerpentem*, nec neceſſarium eſſe, ut exiſtimemus, ſerpentem a cacodæmone fuiſſe obſeſſum. Is enim ſerpens dicitur *Evæ* inſidiatus eſſe, qui poenæ tanquam autor peccati fuit capax, & cujus ille, qui vocatur *progenies mulieris*, caput, id eſt, potentiæ potiſſimam partem, conculcavit. Ille ex muliere, non ex patre ſimul, genitus homo Jeſus capita ſerpentum haud proculcavit, ſed potius cacodæmonem vi & potentia, in genus humanum uſurpata, maximam partem exuit, *1 Jo. III, 8, Ebr. II, 14, 1 Cor. XV, 54, Luc. X, 16, 17.* Spiritus exitioſi appellantur *ſerpentes Luc. X, 18, Apoc. XII, 9, XX, 2.* Vox ergo ad ſignificatum univerſalem

reduci poteſt. מנחש, *Mnachesch*, enim dicitur is, *qui curioſe obſervat & caute ſcrutatur eventus rerum*, Lev. XIX, 26, 2 Reg. XVII, 17, XXI, 6, 2 Chron. XXXIII, 6, Num. XXIV, 1, Deut. XVIII, 10. Quare נחש eſt *ſubſtantia finita, eventibus rerum abditis explorandis invigilans, callideque imminens*. Quare non ſerpens ſolum, ſed etiam conjectator & hariolus, ſic vocari poteſt. Verum mittamus hæc, rati, rem ipſam labemque *Adami* percommode exponi poſſe, licet ſatanam putemus interventu ſerpentis naturalis primos parentes decepiſſe. Confer *Jacobum Ode* in libro *de Angelis pag.* 508. Qui cacodæmoni vim in corpora hominum & animantium denegant, illi eas venditant opiniones, quarum ipſi luculenta ac diſtincta carent notione. Dantur enim omnino morbi, qui nec via naturali, nec per miraculum, exorti fuerunt ac progreſſi. Expoſuit mihi coram B. *Anaſtaſius Freylinghauſen*, compluribus hominibus per vices præſentibus ægrotum quendam Halis Venedorum ſæpius de doloribus capitis graviſſimis conqueſtum fuiſſe, nec diu poſtea aliquoties piſces bene multos ex aure ægroti utraque prodiiſſe. Viderat rem geſtam ipſe vir beatus. Viderunt præter ipſum alii non pauci idem factum. Quis contendet, hunc mirabilem morbum vel cauſis naturalibus inteſtinis, vel miraculo, deberi? Reſtat itaque, ut ſubſtantia quædam, homini inimica, phænomena morbi determinaverit, tantisque cum cruciatibus coniunxerit. Opinionem hanc jam fovit *Homerus*, quan-

tum ad morbos attinet nonnullos. *Apulejus*, *Plinius* XX, 10, *Lucanus* V, 169-192, aliique vetuſti Scriptores & Philoſophi, in eadem ſententia verſati fuerunt. Modum, quo diaboli, ſeu mentes exitioſæ, in corpus animantium operari ſolent, egregie oſtendit Illuſtris *Hoffmannus*, nuperrime defunctus, in Diſſ. *de Diaboli potentia in corpus humanum*, quæ *Opuſculis* ejus *phyſicis* apparet inſerta. Genios pravos ex obſeſſis locutos fuiſſe, tradunt Evangeliſtæ, [l] quibus qui fidem habent, fateantur, neceſſum eſt, vim diaboli ad corpora infeſtanda & agitanda valere. Non eſt mirandum, ſi ætas noſtra perpaucis ejusmodi exemplis inſtructa eſt. Infirmavit enim vim & potentiam illam cacodæmonis optimus Servator [m]. Satanam loqui poſſe ſermone humano, non ſolum e ſacro Codice, ſed etiam exterorum exemplis, conſtat. Qui exempla hæc univerſa, nullo excepto, riſu ſannisque excepturus eſſet, næ is impudentiæ vehementioris crimen incurreret, niſi, eventum illum plane ad res, quæ fieri nequeunt, referendum eſſe, demonſtraret. *Evam* ad vocem ſatanæ humanam non illico cohorruiſſe, fugæque ſeſe mandaſſe, peregrinum, nec ſatis credibile, quibusdam videtur, ſi-

l) TERTULLIANUS *Apol. Cap.* 22, LEONARDUS TWELLS *dans Réponſe aux Recherches ſur ce qu'il faut entendre par les Démoniaques, dont il eſt parlé dans le N. T.*

m) *Act.* X, 38, *Luc.* X, 18, *Marc.* IX, 18 *ſeq.*

quidem ipſa antea nunquam audiverit angelum ſecum colloquentem. At bona verba, quæſo! Quonam enim indicio perſpicitur, angelos antea cum ea ſermones haud ſociaſſe? Quis audebit oſtendere, homines, imagine Dei inſtructos, horroribus concipiendis fuiſſe affines & obnoxios? Anne legitur inibi, *Adamum* cum ea eſſe collocutum? Quis vero hoc inficiari ſuſtinebit? Norat *Eva* interdictum Dei, vetantis, ne primi homines ex certa arborum ſpecie, utili ſane, nec tamen ad cibum apta, ederent. Acceperat ipſa procul dubio notitiam hujus interdicti ex *Adami* ſermone. Non auſim quidem demonſtrare, diabolum ex ſerpente, a ſe obſeſſo, *Evam* allocutum eſſe, ſiquidem pœna, in ſerpentem lata, cum protevangelio cohæret, in quo itidem de illo ſerpente, id eſt, diabolo, eſt ſermo. Nolim tamen ſecus ſentientes reprehendere, vel notare. *Moſes* omnino multa, quæ ad inſidias diaboli ac primorum parentum labem ſpectarunt, momenta circumſtantia omiſit. Quantum generi humano erat cognitu ſalubre, & ad œconomiam regni Dei noſcendam accommodatum, *Moſes* enarravit; reliqua omiſit. Satis ipſi fuit indicaſſe, primos parentes peccaſſe ſcientes volentes, ſatanæque ſuggeſtionibus potius, quam legi divinæ, obſecutos fuiſſe; ſatanam & deceptos incurriſſe pœnas; hominibus inſtauratorem ſalutis fuiſſe promiſſum; diabolo magnam humilitatis miſeriam fuiſſe inflictam, & majorem ad miſeriora dejectionem in poſte-

rum

rum denuntiatam; homines cœpiſſe pœnam animi, Deo reluctati, ſentire, ac ad ſuam corruptam ſimilitudinem liberos procreare. Deus peccatum illud haud approbavit, ſed lege oppoſita notavit & vetuit, nec tamen phyſice id impedivit. Malum, quod inde ad univerſos homines naturaliter genitos dimanavit, & phyſicum & morale, ſentimus ad unum omnes.[a] Nec tamen Deus homines primos qua peccatores creavit. Acceſſerit itaque miſeria illa poſt creationem, neceſſe eſt. Cum vero non niſi apud *Moſem* & in ſacri Codicis aliquot locis certam & antiquiſſimam de origine ærumnarum generis humani notitiam inveniamus; ſtolidum foret, malle incertis inhiare, ac de origine mali nunquam non fluctuari, quam notitiæ illi, quæ philoſophicis cogitatis admodum congruit, fidem habere. Venit hic in mentem illud *Ciceronis*, diſſerentis *pro Archia Poeta Cap.* 4: *Eſt ridiculum, ad ea, quæ habemus, nihil* (ſolidi) *dicere; quærere, quæ habere non poſſumus.*

XLI.

Fit veroſimile, Deum exercitibus cœleſtibus certos per ſtellas principatus aſſignaſſe ac attribuiſſe, cacodæmonem vero cum ſuis minus contentum fuiſſe ſuo principatu ac domicilio, in tellurem veniſſe, ac imperium ejus ſibi deſtinaſſe, atque in eo fuiſſe, ut homines a legibus

a) ARISTOTELES *Ethicorum Lib. III Cap. ult.* SENECA *Ep.* 52, HESIODUS *Oper. & Dier. v.* 101 *ſeq.*

bus Dei abduceret, ſuæque ditioni ſubjiceret, ne quid ſibi excellentioris dominatus deeſſe, carbones autem pro igne puro delegiſſe, ac pœnas Dei in ſeſe derivaſſe, atque domicilium in aëre prope tellurem ad diem extremum tenere. Ex hac opinione videntur multa Codicis ſacri loca apte conciliari poſſe, quorum alioqui ſenſus eſt difficilior ac impeditior. Nemini vero hanc hypotheſin obtrudimus.

XLII.

Per pomi eſcam parari omnino non poteſt adminiculum veræ ſapientiæ, & beatæ cum cœlitibus ſimilitudinis. At cur in ſatanæ occaecati ſententiis quæreremus veritatem? Mentitus fuit ſpiritus ille. Procul dubio ſatanas ſuppeditaturus fuit *Evæ* rationem denominationis, quæ fuerat ſpeciei arborum attributa, & a cognitione boni ac mali arceſſita. Denominatio illa ſignificabat, homines, inde eſuros, notitiam de bono, quod amitterent, & de malo, in quod prolapſuri eſſent, cognitionem triſtem, impetraturos. Satanas rationem denominationis ſuppeditavit *Evæ* ſpecioſiorem, mendacii plenam. Non ſuſpicabatur ipſa, ſpiritum oratorem jam peccato eſſe corruptum, rata potius, ipſum deſcendiſſe e cœlo, & veritatem, jubente Deo, nuntiare. Nec *Adamus*, ſiniſtri quid ineſſe ſerpentis illius ſermoni, exiſtimavit. Effectus vero docuit, ex cibo illo primos parentes redditos fuiſſe Deo rebelles, legisque divinæ contemtores. Ipſi enim ſenſe-

runt,

runt, ſeſe legem violaſſe, nudos eſſe felicitate naturali & ſpirituali, corpus morbis expoſuiſſe, aerem liberum haud amplius in cute tolerare poſſe, ac de amicitia Dei, quem horreſcebant, haud amplius eſſe certos. Nihil ineſt hiſce momentis, quod dici poſſit inſulſum. *Lege enim Dei violata, amittebatur ſtatus felix & ſedes præclara, animæ tranquillitas, & corporis a morbis immunitas.* Præmio obedientiæ, & felicitati, ſucceſſerat pœna ante denunciata.

XLIII.

Propoſuerat Deus virtutibus præmia, & neglectui virtutum voluntario affixerat poenas, ſiquidem ipſe eſt ſanctus & juſtus. Conveniens itaque ſapientiæ ipſius fuerat viſum, hominibus libertatem agendi impertire. Sic enim ferebat natura legum & imputationis, ne homines naturali neceſſitate preſſi, vel prorſus coacti, actiones ſuas ſuſciperent perficerentque, ſed ut libere agerent, poſſentque peccare & non peccare. Quicquid enim peragitur naturali vel ineluctabili externa neceſſitate, id vacat præmio & poena. Finge idcirco, Deum perpetuis miraculis vel objectis nunquam obicibus impediviſſe homines, ne ipſi quid mali concipere poſſent. Ceſſaſſet ita quidem permiſſio mali moralis. Attamen ea conditione nulla opus fuiſſet lex, nulla opus fuiſſet ſanctio pœnalis, nullum opus fuiſſet præmium. At id ipſum commentum repugnat ſapientiæ Dei, ac indoli hominum recens creatorum. Ergo nihil

hil relinquitur, niſi hoc, *Deum decuiſſe permiſſionem mali moralis, eamque permiſſionem perfectionibus Dei congruere, licet peccatum eis haud congruat.*

XLIV.

Cui lex præſcribitur, is libertate agendi pro arbitratu gaudet. At vero Deus primo homini præſcripſit legem & naturalem, & aliam, ex nova declaratione innoteſcentem, de vitando cibo ex fructibus ſpeciei arborum cujusdam. Ergo primus homo inſtructus fuit libertate agendi. Ubicunque enim liberæ & voluntariæ actioni locus relinquitur, ibi haud opus eſt lege. *Decuit* itaque *Deum hominibus primis conceſſiſſe libertatem agendi.* Imputationi enim vel in præmium, vel in poenam, id eſt, legis viribus, locus non eſt, ubi libertati non eſt locus.

XLV.

Qui malum morale haud permittit ulla ratione, ille mentes finitas libertate exuerit oportet, aut eas ob præmium attributum adeo in cultura virtutis confirmavit, ut illæ ea excidere amplius haud poſſint. At homines nec libertate agendi carent (§. 44), nec ipſi, hanc tranſigentes vitam, experientia teſte, in cultura virtutis ad plenam firmitatem adſpirant. *Decuit* itaque *Deum permittere malum morale.*

XLVI.

Ut homines fierent felices, voluit & deſiderat Deus, licet felicitatem illam nemini per

ſan-

ſanctitatem & ſapientiam impertire poſſit, niſi ſub obedientiæ conditione. Decuit itaque Deum hominibus patefacere vera felicitatis veræ adminicula, & ipſa illius impedimenta, quæ per ſeſe deſtinationem hominis debitam intercipere poſſunt. Sententia, quæ continet modum legem divinam ſervandi, dicitur *norma actionum liberarum*. Præſcripſit itaque Deus hominibus normam, cui ipſi facientes ſatis ad felicitatem pervenire poſſint. Si ipſis ad eam perveniendi nulla ſpes ſupereſſet, horreret perpetuo penitusque humana mens & omnis conſcientia Deum, ita ut nullum benignitatis Dei deſiderium exſtaret. Cum vero, teſte experientia, deſiderium illud, præcipue in rebus adverſis & duriſſimis, adhuc ſeſe in animo hominum prodat; nondum hominibus cunctis univerſa ſpes ad felicitatem adſpirandi ſublata fuit. Deſiderium illud prorſus eſſe irritum, & carnificinæ loco relictum fuiſſe, nulla ratione reddi poteſt probabile. Exſtet itaque, neceſſum eſt, norma illa divinitus patefacta, quæ continet antiquiſſimam & univerſalem normam, qua Deus homines, ætatum omnium omniumque locorum, quos corruptio, ex *Adamo* tracta, afflixit, doceat viam ad felicitatem. Omittimus reliqua, alibi exponenda, argumenta, quibus, ſacras litteras eſſe normam illam, declarabimus. Progredimur jam ad ea, quæ ſunt propiora, decernentes, normam, ejusmodi eis tradi duntaxat poſſe, qui quadam agendi libertate ſint inſtructi. Deus primis parentibus

tibus non ſolum normam perveniendi ad præmia, ſed etiam impedimentum felicitatis, indicavit. Liceat exinde colligere & argumentari, Deum moraliter impediiſſe mala. Quamobrem *Deum decet moraliter impedire mala & moralia, & ea, quæ inde exoriuntur, phyſica.*

XLVII.

Impedit Deus illa mala moraliter, & interdum phyſice, modo multiplici. Impedit ea 1) per legem naturæ, 2) per eventus incommodos & triſtes, cum actionibus, legi repugnantibus, conjunctos, 3) per eventus jucundos & ſalubres, ex legis cuſtodia & cultura fluentes, 4) per præmia, præter illos naturales eventus ad culturam virtutum o) adjecta, 5) per poenas, hac in vita obvias, ſucceſſu temporis ingruentes; quibus gravitas delictorum compenſatur lenta Dei vindicta, 6) per doctrinas, monita, & dehortationes ſapientum, 6) per exempla cultorum ſatellitumque virtutis, 8) per immortalitatem mentium, 9) per conſcientiæ lætitiam & metum. Cadunt hæc etiam in philoſophicam cognitionem. Chriſtiani addunt hiſce merito 10) miracula, quibus fides normæ actionum, divinitus revelatæ, fuit ſtabilita, 11) vaticinia, quibus eadem fides accenditur, 12) exemplum Jeſu, Martyrum, & ſanctorum, 13) doctrinam de præmiis poeniſque ſempiternis, 14)

o) *1 Sam. XXIII, 26, 27, Pſ. XIX, 14, XXXIII, 18-20, XXXIV, 20.*

14) non ſolum ad mentes immortales, ſed etiam ad corpora tandem revictura, pertinentibus, immo 15) exempla temporalium præmiorum & pœnarum, in ſacris litteris expoſitarum, *1 Sam. XXVI*, *1 Reg. XIII*, 4, 6, &c. Et quid clamat univerſus ſacer Codex aliud, ac illud, ubique: *Omittite, homines, mala, & recte facite.* Nonne Deus mala, quantum decet ipſum & libertatem humanam, ſatis impedit moraliter, & jugiter perpetuoque impedivit? Nonne miraculis ſæpius malefacta impedivit? O nos miſeros, pravos, & infortunatos, qui bracteatam & caducam fauſtitatem, & gaudia fluxa, præferimus felicitati ſolidæ, duraturæ, & perenni! Nonne ſæpius numulum adulterinum anteponimus inexhauſtis & ſempiternis theſauris?

XLVIII.

Inprimis *hominum eſt, ad inſignes poenas, quibus Deus maleficos & ſceleratos afficit, animum afferre attentum.* Exſtant per omnem telluris ambitum triſtiſſima inundationis univerſalis monumenta. Docent ſcriptores antiqui, terras omnes olim aquis fuiſſe obrutas & coopertas. Mala autem phyſica ſunt effectus malorum moralium præcedentium funeſti. Sunt, quibus incredibilis videtur *Moſaica* de diluvio univerſali expoſitio, quod putant, tantum aquæ, quantum ad montium cacumina penitus obtegenda ſatis ſit, nec intra terræ cava, nec in vaporibus, per aerem diffuſis, ſuppeditare, vel inveniri. Verum quis perluſtravit

&

& dimenſus fuit ſingulas aquas, intra telluris cava labentes? Comes *Marſilius* certe, certis experimentis præmunitus, plura flumina intra telluris cavernas, quam in ſuperficie ejus, moveri, docuit. Si exiſtimaveris cum *Whiſtono*,[p] *Hallejo*, & *Newtono*,[q] atque Cl. *Joanne Heynio*,[r] cometam, telluri oblique oppoſitum, inundationem graviſſimam induxiſſe terræ; eo ipſo rationes diluvii illius miſerrimi ſunt in expedito. Judæorum certe magiſtri hæc olim de origine illius inundationis funeſtiſſimæ [s] tradiderunt: *Quod antea nunquam contigit, diluvii die Deus ad terram appropinquare fecit aſtrum kimah, duasque in terram projecit ſtellas ex aſtro kimah, quarum interventu diluvium orbi induxit.* Ne vero dubitemus, aſtrum kimah exponi poſſe per cometen, efficit R. *Salomonis Iſaacidæ*, ad eum locum commentati, autoritas. Eſto tamen, ſententiam eorum, qui naturalem diluvii originem, per evocatum cometen expoſitam, amplectuntur, nondum a nobis admitti, nec aſſenſu noſtro excipi; nihilo minus tamen inundatio feralis, quæ olim in telluris ambitu contigit, atque reliquiis foſſilibus teſtimoniisque ſcriptorum fide dignorum nititur, propterea in dubium haud eſt revocanda, quod fortaſſis modum originis nondum ſatis

p) JOH. GOTTL. KRÜGERS *Natur-Lehre* §. 644.
q) In *Philoſophiæ naturalis principiis mathematicis pag.* 481 *ed. Amſtelod.* 1742, 4.
r) In *Specimine Cometologiæ ſacræ, Lipſ.* 1723, 4.
s) In *libro gemarico de Anni principio pag.* 11.

ſatis perſpeximus. Quot enim quantique eventus naturales, de quibus nemo dubitat, exiſtunt, quorum originem originisque modum adhuc ignoramus? Non eſt neceſſum, ut ob ignorantiam hujus modi, quo diluvium exſtitit universale, cum *Eduardo Stillingfletho* aliisque, illud haud fuiſſe universale, nobis perſuadeamus. Nec noſtrum eſt, jam ſcrinia B. *Joannis Franciſci Buddei* compilare, qui in Hiſtoria eccleſiaſtica V. T. univerſalitatem diluvii ſolide demonſtravit. Qui ſcientiam hydroſtaticam habent cognitam, & per omnem telluris ſuperficiem, monumenta diluvii foſſilia reperiri, recordantur, ii non poſſunt non univerſalitatem diluvii *Noachici* excipere & proſequi aſſenſu. Exſtant præterea non ſolum in ſacris, ſed etiam in exterorum, hiſtoriis exempla bene multa, e quibus, Deum, pœnis in ſceleratos conſtitutis, mala morali ratione impedire, facile eſt intellectu. Magnifica & commemorabilis eſt illa *Valerii Maximi* de *Dionyſio* ſeniori, Siculorum Rege, ſententia *Lib. I Cap. 2: Qui, tametſi debita ſupplicia non exſolvit, dedecore tamen filii, mortuus poenas rependit, quas vivus effugerat. Lento enim gradu ad vindictam ſui divina procedit ira, tarditatemque ſupplicii gravitate compenſat. Cæſar* eundem fere in modum *de B. G. Lib. I Cap. 14* judicavit, ita commentatus: *Conſueverunt Dii immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum ulciſci velint, his ſecundiores interdum res & diuturniorem impunitatem concedere.*

Re-

Refertiſſimus eſt ſacer Codex exemplis ejusmodi, hoc etiam nomine diviniorem originem oſtentans. Homines vero non ſolum per pœnas, a Deo immorigeris & flagitioſis irrogatas, ne ſimilibus delectentur peccatis, admoniti fuerunt, ſed etiam teſtimonia Auctorum, de poenis illis ad poſteros propagata, uſu ſcatent eodem. Quamobrem hiſce poenis, earumque memoria, Deus moraliter mala impedire ſtudet. Conf. *Jeſ. XLII, 22-25, Pſ. VII, 12-14.*

XLIX.

Deus nihil eorum omiſit, quibus homines ad notitiam legum ipſius pervenire poſſint. Quantum ad homines primos attinet, eis Deus tantum impertiverat perfectionis, quantum ipſi per vim ſuam finitam & humanam poterant recipere. Indiderat eis Deus imaginem ſuam, ſimulque notitiam legis naturæ inſtillaverat. Addiderat idem interdictionem de fructibus ſpeciei arborum cujusdam haud capiendis in cibum. Quo minus hanc interdictionem reputemus pro inutili vel ſupervacua, impedit cognitio primorum parentum finita, ac limitibus ſuis circumſcripta. Si ipſi intimam rerum naturam univerſe perſpexiſſent, & nihil ipſos latuiſſet, Deus interdictum illud cum illis haud communicaſſet. At quis jure exiſtimabit, ipſos fuiſſe omniſcios? Inſtat mens noſtra, in objectiones formandas propendens, ac quærit: cur Deus vetuit, quo minus homines primi ex fructibus illis ederent? Si fructus illi extiterunt ſalubres, cur Deus, ipſos in cibum

ſum adhiberi, noluit? An ipſe etiam ſalubria homini per bonitatem & ſapientiam interdicere poteſt? Sin vero fructus illi fuerunt inſalubres, cur Deus eos creavit? Si eos creare omiſiſſet, homini inde nulla metuenda fuiſſet labes. His objectionibus, veluti copiis, ſolent ſcioli inſtruere aciem. Eſt tamen, quod reſpondeam. Per vocem עץ, quæ proprie lignum deſignat, intelligitur non unica arbor, ſed arborum ſpecies, ut *Gen. I, 29*, alibique. Nec inficiari lubet, ea, quæ Deus creaverat, bona exſtitiſſe *Gen. I, 32.* Liceat autem monere, res creatas haud eſſe ſingulis perfectionibus, quæ exſtare poſſunt alicubi, præditas, nec omnigena ſcatere ſalutis copia. Creavit Deus flumina, montes, ſaxa. Quis vero exiſtimabit, hiſce promiſcuum & univerſalem ineſſe uſum? Permultæ exiſtunt herbæ & arbores, quarum fructus cibis ſunt inepti, hominibusque inſalubres. Quamvis enim ipſæ cibum haud præbeant; uſus tamen earum eſt multiplex & præclarus. Annæ primi parentes erant domini rerum ſupremi? Poterantne ipſi res ſingulas pro arbitratu ſuo uſibus ſuis adhibere, ſeu in eas dominari? Dominatus ipſorum pendebat a poteſtate & indulgentia domini ſuperioris. Reſervare idcirco ſibi Deus nonnihil poterat, a dominatu hominis disjunctum, ut exſtaret ſymbolum ſupremi dominatus. Suppetebant enim hominibus cibi, nec metuenda erat fames, licet arboreorum foetuum vetitorum ipſi nullos attingerent. Si utraque ratio vetandi conjungatur, nihil ſupere-

rit, quod menti haud pervicaci poſſit inſulſum apparere. Sed gradum ad alia, eaque non minus profutura, promovemus. Poterat omnino primus homo uterque implere & præſtare legem, tum naturalem, tum illam præterea ei ſuperadditam, ſiquidem Deus illos non niſi ad ea, quæ fieri ab eis poterant, obligaverat. Promiſit vero Deus primis progenitoribus noſtris, recens creatis, inſignia ornamenta, & excellentia felicitatis decora, ſi ipſi legem illam utramque ſervarent; ac hi viciſſim obſtrictos ſeſe crediderunt ad vivendum convenienter legi divinæ. Hanc promittentis & ſpondentium habitudinem ſcriptor divinus appellat בְּרִית, διαθήκην, *diſpoſitionem*, *inſtrumentum*, *fœdus*, *Hoſ. VI*, 7. Ut enim exercitio virtutum inhærent præmia; ita omiſſio earum cum pœnis eſt conjuncta. Diſpoſitionem illam de præmiis pœniſve tribuendis Theologi vocant *fœdus operum*, licet haud contendant, fœdere hoc induci æqualitatem Deum inter & homines; ſed largiantur, vocem Hebraicam ברית latius patere, quam Latinorum vocem *fœdus*. Norant parentes primi pœnas & naturales, & illas, interdicto fructui adhæſuras. Sanctio pœnalis illa: *Quo die ex ea arborum ſpecie comederis, morte morieris*, & *Adamo* & *Evæ* erat notiſſima. Corpus hominis tunc fuiſſe adhuc incorruptum, necdum morbis mortiſque periculo expoſitum, cum Deus legi ſuæ ſanctionem illam adjecit, perfacile eſt intellectu. Vita animæ conſiſtit in non impedito virium exer-

citio

itio, ſatiſque felicitatem. Quicquid huic ſtatui repugnat & oppoſitum eſt, illud nomine mortis venit, *Ex. X, 17, Rom. VIII, 6.* Cum vero ſanctio illa univerſaliter eſt conformata, mors utraque, & corpori & menti infeſta, mentione mortis fuit deſignata. Decuit enim dominum ſupremum jure legiſlationis uti, legibusque actiones hominum obligare. Decuit ſupremi domini ſapientiam, ut homines primi ad leges, ſanctitati divinæ conſonantes, adſtringerentur. Decuit Deum optimum ferre leges in uſus ac commoda eorum, quorum eſt ad ejus perſcriptum agere. Decuit Deum juſtiſſimum propoſuiſſe immorigeris pœnam imminentem, ac in rebelles animadvertiſſe. Quæ cum ita ſint, pateſcit denuo, *Deum moraliter peccatum primum impediviſſe*, eique, licet hominem ad bene agendum haud coegerit, poſuiſſe obicem.

II.

Inſtas porro, & objectionem nobis obmoliris, hunc in modum formatam: *Satius fuiſſet omnino, ſi Deus primos parentes vi aliquid appetendi & averſandi haud inſtruxiſſet, vel ipſos ad recte agendum perpetuo coegiſſet.* Liceat reſpondere pauca. Novit omnino Deus, quid ſit ſatius, quid præſtet, quippe qui eventus novit univerſos, ex libertate, ab homine applicata, pendentes. Ipſe elegit e pluribus, in ſe ſe poſſibilibus, rerum ordinibus, ac eventuum ſeriebus, convenientiſſima, finique ſuo aptiſſima

Sapientia ejus ita poſtulavit. Mundum vero & eventus mundi contingentes nemo ſanus credet per ſeſe ſtare, aliunde haud pendere, & prorſus eſſe neceſſaria. Simul atque hoc fuerit a te conceſſum, relinquitur nihil, niſi id, mundum, ſeriesque eventuum, mutationibus eſſe obnoxias, ac nexus alios aliasque ſeries viciſſitudinum mundi & actionum liberarum in eo æque eſſe poſſibiles. Poſſibilitatem internam hic in cenſum venire, videt quisque. Manet itaque illa doctrina & firma & inconcuſſa, quæ dictitat, *decuiſſe Deum, primos homines mente libera donare ac inſtruere* (§. 13).

LI.

Primi parentes noſtri exſtiterunt homines, non arbores, non fuerunt ſaxa vel metalla. Quis vero notionem hominis ita formabit, ut ab ea intellectum & voluntatem, atque libertatem ipſam, ſecernat & disjungat? Et cur Deus legem illis promulgaſſet, quibus detraxerat (id enim fingemus,) vim appetendi & averſandi? Lex ſane ei fruſtra præſcribitur, qui libertatis eſt exſors, & mente caret. Nec illi ulla imputari poteſt actio, cui deeſt libertas, vel qui prorſus externa quadam vi adductus ac impulſus agit. Illi vero, qui imputationis, ad ipſum ſpectantis, haud eſt capax, & cui nihil imputari poteſt, fruſtra lex præſcribitur ac deſinitur. *Decuit* itaque *legislatorem ſupremum, homines voluntate libera inſtruere, nec eam vi externa cogere.*

LII.

Eſt, qui contendit, *ſatius fuiſſe, nullos ex nihilo productos fuiſſe homines, quam eos exiſtere, qui poſſunt peccare.* At ſit pax rebus! Novit Deus omniſcius, ſanctus, & ſapientiſſimus, omnium optime, quid ſit ſibi conveniens, quid deceat, quid ſit ſatius, quid præſtet (§. 50). Condere ſtatuit Deus mundum ob finem ſapientiſſime electum. Scopus ille [t] in eo conſiſtit, ut mentes creatæ ex contemplatione mundi cognoſcerent Dei perfectiones, ipſasque, quæ imitationi patent, imitarentur ad felicitatem ſuam ſtabiliendam. Si itaque præfers mundum, in quo mentes non exiſtunt creatæ, mundo huic, in quo verſamur; in ea verſeris oportet penitus opinione, præſtantiorem eſſe mundum, in quo gloriam Dei nemo agnoſcit ac celebrat, illo mundo, in quo exiſtunt mentes, perfectionibus Dei agnoſcendis ac laudandis intentæ. At ea opinio repugnat ſolidiſſimæ excellentiſſimæque veritati. Ergo nihil eſt clarius atque evidentius, quam dogma illud, quod proxime inde emanat, æque erroribus falſisque doctrinis eſſe annumerandum.

LIII.

Objectionem aliam, veluti tragulam, denuo nobis immittunt Deiſtæ, contendentes,

(t) Ill. CHRISTIANUS WOLFIUS in *Theologia naturali P. I* §. *609, 610, 611, 629*; Cel. GEORGIUS RIBOVIUS in *Inſtitutionibus Theologiæ dogmaticæ Tom. I* §. *1367*.

primos homines ita creandos fuiſſe, ut peccare haud potuerint; hac enim ratione malum morale potuiſſe in tellure evitari; cum vero ipſi perhibeantur peccare potuiſſe; inde Moſis errorem ſatis elucere. Repellere licet illud telum, hunc in modum. Primi homines, cum crearentur, perfectionibus inſtructi fuerunt aut infinitis, aut finitis. Perfectiones infinitæ ſoli Deo ſunt propriæ. Mentes, quæ divinitus fuerunt conditæ, non potuerunt non perfectionibus gaudere finitis. Hinc vero colligitur ac luculentum eſt, primis parentibus defuiſſe omniſcientiam ac omnigenam ſapientiam. Unde porro efficitur cogiturque, vires parentum primorum fuiſſe mutabiles, ſiquidem ipſæ fuerunt limitibus circumſcriptæ.[u] Vires itaque mentium, quibus primi parentes fuerunt gaviſi, in majus & minus potuerunt mutari. Si potuerunt imminui eædem, nihil impedivit, quo minus aliquando judicium falli, & mens res damnoſas vetitasque appetere potuerit. Fingis fortaſſis, Deum decuiſſe confirmationem hominum recens creatorum in firma & perpetua virtute. Sumis autem hoc pacto aliquid, quod Deum haud decuit. Confirmatio enim illa, qua mentes finitæ ita firmantur extrinſecus in ſtudio virtutum, ut imputationi in pœnam porro haud ſit locus, referenda eſt (§. 24) ad claſſem præmiorum. Quis vero contendere auſit, homines, recens creatos, in cultura

vir-

u) Idem in *Ontologia* §. [illegible] *ſeq.*

virtutum jam inſignibus documentis fuiſſe illuſtres? Quis, ipſos ſpecimina amoris maximi, in Deum converſi, exhibuiſſe, affirmabit? Reſtat itaque, homines primos, recens conditos, in virtutum cultura haud fuiſſe confirmatos. Qui errorem *Moſi* tribuunt; illi errorem ſuum accuſent, neceſſum eſt. *Decuit* enim *Deum, primos parentes condere, qui finitæ perfectionis participes, necdum in cultura virtutum confirmati, eſſent.*

LIV.

Urgent ii, qui hiſtoriam peccati primi *Moſaicam* impugnant, alia quoque argumenta, quibus credibilitatem ejus expugnent. Monent ipſi, parentes primos, recens creatos, exſtitiſſe rudiores, ſimplices, ac infantes, nec filiorum eſſe, culpam luere parentis. Ruditatem illam ac imperitiam ipſi hinc inde exſculpere conantur, cauſam interſerentes, utrumque primorum parentum haud puduiſſe, ideoque ipſos de actionibus ſuis judicium facere vel noluiſſe, vel haud potuiſſe, ac utramque agendi rationem eſſe ſimpliciorem ac rudiorem. Quantum ad utramque objectionem attinet, mihi non licet eſſe tam lynceo, tamque acuto, ut vim ejus pondusque perſpiciam. Quis enim inficiatur, filiorum haud eſſe, parentum, qua privatorum, damna præſtare, vel peccata prorſus privata luere? Nobis hic res eſt cum prava actione, quam *Adamus*, quatenus ipſe univerſum genus humanum repræſentavit, nomine non ſolum ſuo, ſed publico

 etiam,

etiam, effectui dedit, quam filius ob conſenſum in imputationem omnino luere debuit. Non puduit, fateor, primos parentes, ante quam ipſi a ſerpente inſidiis circumventi ac decepti fuerunt. At, quid inde imperitiæ & ruditatis appareat, non video. Quem enim nullius rei pudet, is aut eſt integer vitæ ſceleriſque purus, aut eſt impudens & perfrictæ frontis. Poſterius eſt animi vitioſiſſimi, prius virtutis, proprium. Ediſſerere hæc lubet paullo fuſius atque copioſius.

LV.

Denegat *Moſes* primis parentibus pudorem hiſce verbis *Gen. II, 25: Erant ipſi ambo* ערומים, *ſagaces, nempe homo ille, & uxor ejus pudore ſe non affligebant.* Vox ערום notat *ſagacem* in utramque partem. Bene ſagax eſt ille, qui perſpicax eſt, & ad actiones & ſuas & aliorum attentus, ac ad pervidendas rationes recte prudenterque agendi aptus natus. Male ſagax eſt ille, qui invigilat damnis aliorum occulte. Hoc autem loco deſignatur ea ſagacitas, illud acumen, illa cavendi opera & circumſpectio, quacum nullus pudor, nulla actio pudore digna, conſiſtere poteſt. Indicium perſpicaciæ probæ & virtus integra, quæ pudorem omnem excludit, in ſententia illa exhibetur. Vox ערום æque legitur *Gen. III, 1,* ubi hæc verba ſunt præſto: *Serpens vero ille fuerat ſagax præ univerſitate animati cujusque in agro, quam Jehovah Deus fecerat.* Crediderim, ſignificatum vocis ערום eundem

hic

hic invenire locum, ac deſignari illius, qui adverſarius Dei & ſerpens, id eſt, callidus deceptor, factus eſt deinceps, ſtatum priorem, eumque integrum & exoptatum, ſtatu omnium terricolarum præſtantiorem. Vox חַיַּת referenda eſt ad omiſſam הַנֶּפֶשׁ, quæ notat id, quod Scholaſtici *ſuppoſitum* vocarunt. Ellipſin hanc notavit B. *Chriſtophorus Theodoſius Waltherus.* x) Maſculinum חַי haud minus ad homines, *Gen.* III, 20, quam ad animalia bruta, ſpectat. Comparatio inſtituitur verbis allatis inter ſagacitatem ſpiritus, qui poſtea degeneravit in ſerpentem, & inter ſagacitatem univerſæ viventium per terram ſocietatis ac multitudinis. Nolim ab hac multitudine eximere primos parentes, quippe qui peræque in agris vivebant, ac animatorum erant in numero. Nondum tunc ulla exſtabat domus, villa, urbs, pergula. In agro erant, quæ animam ferebant & ſpirabant, univerſa. Eadem ellipſis ineſt illi loquendi formulæ, כָּעֵת חַיָּה, *ſecundum tempus animati*, id eſt, circa tempus, quo ſubſtantia animata exiſtit & agnoſcitur, poſt octo vel novem menſes. Inde חַיָּה eſt *animatum id, quod ejus ad arbitrium agit.* *Ezech.* VII, 13, deſignatur hominum multitudo. Vox vero יִתְבֹּשָׁשׁוּ eſt index actionis, haud tranſeuntis in eum, qui eſt alius vel alter. Deſignatur itaque illa voce hæc *actio, qua quis pudorem in animo ſuo vel*

x) In *Ellipſibus Hebraicis* pag. 50. *Dresd.* & *Lipſ.* *1740*, 8.

vel excitat, vel ſentit. Pudor enim eſt ſenſio malæ actionis, ad judicium aliorum relatæ. Qui adeo eſt ſagax & circumſpectus, ut nullam pudoris rationem in conſcientia ſentiat, is tramiti virtutis conſtanter inſiſtit, nec malis operatur actionibus. Habemus proinde in loco illo *Gen. II, 25*, egregium integritatis primorum hominum monumentum, & confeſſionem de imagine Dei, in eos collocatæ, ſolidam. Nihil hic de ruditate, de imperitia, & infantum ſimplicitate, legitur. Profligavimus hoc modo objectionem poſteriorem.

LVI.

Progrediendum jam eſt ad objectionem priorem, quæ majus trahit momentum. Ut eam extricemus, paucula huc ex doctrinis de imputatione ſunt transferenda. Præmonendum eſt, conſenſum eſſe voluntatem ejusdem facti proclivem, quod ab altero ſuſcipitur, vel omittitur, aut ut ſuſcipiatur, vel omittatur, aut ut nobis imputetur. Qui igitur in factum alterius conſentit, is illius facti fiat moralis cauſa oportet. Factum porro ſecundum æſtimationem moralem dicitur noſtrum, quod ab altero ſuſceptum, vel omiſſum, idem eſt, ac ſi id a nobis ipſis re vera ſuſceptum eſſet, vel omiſſum. Conſenſu enim æſtimatio illa eſt determinanda. Cum itaque per conſenſionem omnino factum alienum fiat proprium, eodem id modo iisdemque ſub momentis circumſtantibus, ſub quibus proprium imputatur, poterit quoque alienum, in quod conſenſimus, imputari. Non ſolum

autem

autem illi, qui in ipſum factum conſenſit, id imputari poteſt, verum etiam in facti imputationem conſentienti illud merito imputatur. Qui enim in facti imputationem conſentit, ille vult pro ipſo facti alterius autore, quantum ad illius conſectaria attinet, reputari, licet factum ipſum haud approbet. Quodſi ergo imputans id etiam velit, tunc nihil obſtat, quo minus in facti imputationem id conſentienti imputetur. Nomine publico agere dicitur, qui, univerſam ſocietatem repræſentans, actiones edit, quæ totius eſſe ſocietatis exiſtimantur. Et, qui nomine publico agit, caput ſocietatis appellatur. Sic *Adamus*, quamdiu in ſtatu perfectionis divinitus obtentæ ſeu imaginis Dei, ſtrictim accepto, permanſit, exſtitit univerſi generis humani caput repræſentativum, egitque non ut privatus, ſed ut privatus & ſociatus ſimul. Poſtulavit ſane ſapientia Dei ſumma, ut omnes ſpiritus in ſocietates ſuas diſtribuerentur, nec partes invicem avulſæ & penitus exſortes exſtarent. Quamobrem Deus univerſum genus humanum voluit unam eſſe ſocietatem, cui *Adamum*, ut hic repræſentaret caput, præfecit, 1 *Cor. XV*, 22, 45, 48, 49, *Rom. V*, 12, 14 - 19. Facta vero capitis repræſentativi imputantur ſingulis illius ſocietatis membris, niſi ea diſſenſum ſuum declaraverint aperte. Equidem conſenſus iſte, quem hic ponimus, eſt neque expreſſus, neque tacitus. Ipſe tamen interpretandus eſt ex natura rei, propius conſiderata. Nulla enim ſocietas ſine omnium conſortium conſenſu dari vel cogitari

ri poteſt. Et, quando per caput aliquod repræſentativum res ejus aguntur, ipſi conſortes in actiones hujus capitis eo ipſo, quod ſeſe profitentur ſocietatis membra, conſenſiſſe exiſtimantur, ſive iidem phyſice, ſive moraliter tantum, exiſtant; ſive norint, negotia per caput illud repræſentativum expediri & expedita eſſe, ſive id ignorent. Hinc [y] facile intelliges rationem, cur lapſus primorum parentum imputetur poſteris ipſorum, & cur hi etiam careant imagine Dei ſtricte dicta per ortum ſuum. Si vero filius pro patre non puniendus eſſe dicitur, id de actione patris privata, in quam filius nequaquam conſenſit, eſt intelligendum.

LVII.

Quemadmodum vero *Adamus* peccavit, ut ſyndicus & caput univerſi generis humani, ac defectio illa, qua ipſe legem Dei violavit, ad omnia membra ſocietatis, quam ipſe repræſentavit, tranſit, eisque imputata fuit; ita Jeſus, alter *Adamus*, ſed cœleſtis ac puriſſimus, ſeſe repræſentavit caput generis humani ſalubre, ac legibus Dei patris ex aſſe ſatisfecit, pœnasque, ab *Adamo* priori, ejusque membris, ad perpetuitatem commeritas, licet delicta admiſſa haud approbaverit, in ſeſe ſuſcepit, ac loco hominum factus eſt [z] ἐπικατάρατος, felicitate vacuus & ignominiis plenus, non in perpetuum, ſed ad tem-

y) Cl. JOANN. ERN. SCHUBERTI *univerſa Philoſophia practica* §. 142 *ſeq.*

z) *Samlung von alten und neuen A. 1736 pag. 778 ſeq.*

tempus, ut imputationi priori vim adimeret [a], ac obedientiam juſtitiamque ſuam eisdem imputaret. Quæ ipſa imputatio poſterior vitam hominibus conciliat ſpiritualem, imaginemque Dei inſtaurat in eis, quamprimum ipſi inſtituta & œconomiam doctrinæ Jeſu ſequuntur. Hoc dogma per omnem ſacrum Codicem partim in vaticiniis [b], partim verbis clariſſimis, exhibetur. Si permiſſionem mali primi cum doctrina ac œconomia Jeſu, ab æterno decreta, contuleris, eam cum perfectionibus Dei haud pugnare cognoſces.

LVIII.

Permittit noſtra etiam ætate æquè ac antea Deus malum morale ſæpenumero. Cur ita agat, cur mala moralia haud prorſus impediat, rationes ſunt in promtu. Propoſuit ipſe hominibus præmia & pœnas. Præſcripſit impoſuitque eis leges. Inſtruxit eum in finem ipſos ita, ut libertate quadam gauderent. *Dedecet ipſum idcirco continua mali moralis impeditio phyſica, libertatis humanæ expultrix.* Bonitas Dei fertur in univerſos. At præmia grata ſpectant tantum ad legum divinarum cuſtodes. Confert itaque Deus felicitatem perennem eis tantum, qui ſtrenue calcarunt inſtitu-

a) *Rom. V, 15 ſeq. 2 Cor. V, 21. Gal. III, 13. Ebr. II, 9.*

b) *Jeſ. LIII, Pſ. XVI.* Conf. JACOBI WILDE *Præparationem hodegeticam ad Introd.* PUFENDORF. *§. 109 pag. 473.*

ſtituti ordinisque, divinitus præſcripti, tramitem, nec eo ſtudio ad finem [c] exciderunt.

LIX.

Quæ cum ita ſint, facile eſt intellectu, permiſſionem mali moralis Deo haud prorſus eſſe indignam, ſiquidem relatio illa, quæ Deum hominesque intercedit, ita poſtulat, atque eo luculentius ſeſe mentibus noſtris ingerit, quo attentius in complexum illum, quo regnum naturæ inſervit regno gratiæ, & regnum gratiæ inſervit regno gloriæ, introſpicimus atque intuemur. Non vacat in præſens ad hanc harmoniam illuſtrandam accedere, quam, Deo annuente, alias exponemus. Abſtinuiſſem me a doctrinis diviniorum litterarum, niſi incomparabilis doctrinæ viri, qui paſſim tamen humanos nævos prodiderunt ſuos, eas in armamentarium convertiſſent, cujus telis & Theologiam genuinam, & inprimis præcipua Philoſophiæ capita, tentaſſent expugnare. Congeſſi objectiones, quas enodare aggreſſus fui, e libris Philoſophorum ætatis noſtræ, non exterorum modo, ſed etiam noſtratium. Nominibus eorum peperci, ne quid honoris & obſervantiæ viderer ſubtraxiſſe. Res ipſas tractavi, & objectiones ita expendi, quaſi illas pauci ante me tractaſſent, &, haſce in ingenio meo obortas fuiſſe, credibile eſſet. Qui ſcripta aliorum diligenter verſant, eos haud fugiet, e quibus fontibus deſumſerim eas, quas ſolvere conatus fui, objectiones.

IV. JO-

c) *Ebr. III, 14.*

IV.

JOANNIS CONRADI SCHWARTZII OBSERVATIO DE CRETHÆIS ET PLETHÆIS, EORVMQVE PATRIA.

I.

Vetuſta jam eſt, & identidem revocata, quæſtio, *Crethæi* & *Plethæi* quid hominum fuerint, & unde extiterint. Nec ea difficiles haberet explicatus, ſi vetuſtiſſimi quique interpretes rem per ſe claram tenebris quibusdam involvere dubitaſſent, quas offundere nobis non potuiſſent, ſi vel tempora ipſorum dignitatem interpretationis Scripturarum ſacrarum perſpexiſſent, vel ipſi temporum ſuorum inſcitiam arte & ingenio ſuperare conati eſſent. Qua re poſteritatem ita ſibi devinxiſſent, ut, omnem laudem iis deberi, omnes faterentur.

II.

Nam LXX Interpretes *1 Reg.* XXX, *14, 16*, nomen illud, quod explicatione præcipue indigebat, explicare non ſunt conati. Καὶ ἡμεῖς, inquiunt, ἐπεθέμεθα ἐπὶ νότον τοῦ Χερεθεὶ, καὶ ἐπὶ τὰ τῆς Ἰουδαίας μέρη, καὶ ἐπὶ νότον Χελοὺβ, καὶ τὴν Σικελὰγ ἐνεπυρίσαμεν ἐν πυρί. Hanc obſcuritatem mox videntur illi quidem quodammodo tollere, ſed minus ſolerter. Vertunt enim v. 16: Καὶ κατήγεν αὐτὸν ἐκεῖ, καὶ ἰδοὺ οὗτοι διακεχυμένοι ἐπὶ πρόσωπον πάσης τῆς

γῆς,

γῆς, ἐσθίοντες καὶ πίνοντες καὶ ἑορτάζοντες ἐν πᾶσι τοῖς σκύλοις τοῖς μεγάλοις, οἷς ἔλαβον ἐκ γῆς ἀλλοφύλων καὶ ἐκ γῆς Ἰούδα. Eſt enim nomen ἀλλοφύλων ambiguum, etiamſi id ipſi Philiſtæis fere tribuere ſoleant. Pariter 2 *Reg. VIII*, 18, & 3 *Reg. I*, 38, & 1 *Paralip. XVIII*, 17, ipſa nomina illa interpretari non ſunt auſi. Sed *Sophon. LII*, 5 *Crethæos* converterunt in Κρῆτας. Οὐαὶ, inquiunt, οἱ κατοικοῦντες τὸ σχοίνισμα τῆς θαλάσσης, πάροικοι Κρητῶν· λόγος κυρίου πρὸς ὑμᾶς Χαναὰν γῆ ἀλλοφύλων, καὶ ἀπολῶ ὑμᾶς ἐκ κατοικίας. Quod idem fecerunt *Ezech. XXV*, 16: Ἰδοὺ ἐγὼ ἐκτενῶ τὴν χεῖρά μου ἐπὶ τοὺς ἀλλοφύλους, καὶ ἐξολεθρεύσω Κρῆτας, καὶ ἀπολῶ τοὺς κατοικοῦντας τὴν παραθαλάσσιαν. Ubi aliqui libri exhibent κρείτας Σιδῶνος.

III.

Accedamus ad Chaldæum interpretem, videamusque, an plus ab eo ſperandum ſit ad cauſam hanc explicandam ſubſidii. Is 1 *Sam. XXX*, 14, ita ſcribit: אֲנַחְנָא אִתְנְגֵידְנָא עַל דְּרוֹמָא כְּרֵיתִ Nihil ergo hic magnopere explicat. Rectius officio fungi queat videri 2 *Sam. VIII*, 18: וּבְנָיָהוּ בַּר יְהוֹיָדָע מְמַנָּא עַל קַשָּׁתַיָּא וְעַל קַלָּעַיָּא *Et Benaia, filius Jojada, ſagittariis & funditoribus præfuit.* Conſimilis Chaldæi verſio eſt 1 *Reg. I*, 38. Minus etiam præſidii locus habet *Ezech. XXV*, 16: הָא אֲנָא מָרִים יַת מָחַת גְּבוּרְתִּי עַל פְּלִשְׁתָּאֵי וְאֵשֵׁיצֵי יַת עַמָּא דְּחַיָּבִין לְאִשְׁתֵּיצָאָה וְאוֹבֵיד יַת שְׁאָר סְפַר יַמָּא *Ecce ego inſignite percutiam Philiſtæos, & exterminabo populum, cui exi-*

tium

tium debetur, & perdam reſiduum litoris. Hinc nihil omnino deflectit verſio *Zephaniæ II, 5.* Quare, ſi hujus interpretis ſtandum ſit ſententia, incertiores nunc, quam antea, ſumus. Nam ne ipſe quidem ſatis ſibi conſtat. Quid enim? Suntne *ſagittarii* iidem, qui *exitio digni?* Qui fit, ut nationem, quæ alibi terræ Palæſtinæ vindicatur, alibi *excidio dignam* interpretetur? Ita igitur Chaldæus interpres ſecum ipſe pugnat, neque cum illis LXX conciliari poteſt. Neque enim ratio apparet ulla, cur Philiſtæi quidam Cretenſes appellentur, &, ſi Cretenſes tractum quendam ſoli Philiſtæorum incoluerunt, cur ſagittandi arte tantopere valuerint, ut ſagittariorum nomen præcipuum quaſi & proprium haberent. Neque enim ſcriptores ſacri uſquam ſagittandi artem in eximia Philiſtæorum laude ponunt. Fundarum ſtudium, quod cum illo ſagittarum ſatis convenit, jam ſub ea tempora, cum Iſraelitae Cananæam occupare cœperant atque incolere, eximie floruit, *Jud. XX, 16. David,* quidem poſt ſecundam Philiſtæorum adverſus *Saulem* & Iſraelitas pugnam ſuos ad tela jacienda exerceri voluit; ſed ad hoc exercitium exarſiſſe videtur idcirco, quod Philiſtæis ars jaculandi proſpere ceſſerat, *2 Sam. I, 18.* Atque hoc ſtudium ad poſteros propagatum fuiſſe, intelligitur ex *2 Reg. III, 25,* ubi Iſraelitarum ſagittarii collaudantur. Neque Syri in hoc exercitii bellici genere ſibi defuerunt, quantum quidem ex *Achabi* hiſtoria colligi poteſt, *1 Reg. XXII, 34.*

Fuerunt alia quædam apud Philiſtæos gloriæ militaris ſubſidia. Currus falcatos, quibus gentes orientales maxime confidebant, quotiescunque bellum apparandum, & prælia ingredienda erant, opponebant hoſtibus etiam Philiſtæi; ſagittandi artificio vim a finibus ſuis propulſaſſe, aut in hoſtico terrorem hoſtibus incuſſiſſe, nusquam dicuntur. Non equidem nego, e falcatis curribus tela in hoſtes miſſa eſſe; ſed, præcipuam ejus rei gloriam Philiſtæis deberi, nunquam aſſeverarim, *Exod. XIII, 17, 1 Reg. XIII, 5, Jud. I, 19.* Neque Iſraelitis unquam aut ſagittæ, aut ſagittarum defuit ſtudium, cum cetera telorum genera eos maxime defeciſſent, *1 Sam. XIII, 19.* Nam, quod *Jonathani* carum & quotidianum fuit exercitium, id ſine dubio ceteris item militiæ ſtudioſis gratum fuit & commendatiſſimum, *1 Sam. XX, 36.* Cum præſertim apud multas nationes ſagittæ, quamvis acutæ & bonæ, ferro carerent, ut ex antiquis hiſtoriis certum eſt. Vide *Strabonem Lib. XI pag. 777, Lib. XIV pag. 1052, Lib. XVI pag. 1116.*

IV.

Jam cetera circumſpiciemus interpretationis felicioris ſubſidia. Adibimus conſultores ad celebriores Judæorum doctores, qui iidem in illuſtranda verſati ſunt Scriptura ſacra. *Salomo Jarchius* ad *1 Sam. XXX, 14,* hæc adſcribit. לדרום של פלשתים ומצינו במקום אחר פלשתים נקראים גוי כריתים יושבי חבל הים גוי כרתים: *Ad meridiem terræ Palæſtinæ. Nam invenimus alibi Philiſtæos appellatos* gen-

gentem *Crethæam*, & incolentes tractum maritimum *Crethæos*. Nihil a *Jarchio* diſſidet *Kimchius*, cujus iſta ſunt verba: כרתי שם משפחת פלשתים כמו שנאמר עליהם גוי כרתי והכרתי את כרתי כי בארץ פלשת ים ובארץ יהודה פשטו כמו שאמר לקחו מארץ פלשתים ומארץ יהודה: *Crethi eſt, nomen gentis unius cujusdam e Philiſtæis, quippe de qua dictum eſt* gens *Crethæa* & excidam *Crethæos*, quoniam in Palæſtinam & Judæam excurrerant, *ut paulo poſt ſubjungit*, quam (prædam) abegerant ex Palæſtina & Judæa. Hanc *Kimchii* ſententiam *Salomo Ben Melech* more ſuo in librum ſuum tranſtulit. Ipſa igitur trium ſcriptorum ſacrorum conſenſio, ad quam tres hi interpretes Judæi tanquam naufragi ad tabulam adhæſerunt, non ſinit nos dubitare, quin *Crethæi* pars gentis Philiſtææ fuerint. Sed miramur, ab hac tam certa, nec unquam pœnitenda, ſententia interpretes hoſce alibi reſilire. Etenim *Kimchius* ad 2 *Sam.* VIII, 18, וי״ם כרתי ופלטי שתי משפחות היו מישראל שהיו שרים אל משמעת המלך וראים פניו תמיד ובניהו היה בראשם ורבותינו ז״ל פירשוהו על־אורים ותומים: *Alii interpretantur, Crethæos & Plethæos eſſe duas familias Iſraeliticas, quæ præpoſitæ eſſent auditorio regis, & ſemper in eum ſpectarent. Pinceps illarum fuit Benaia. Sed magiſtri noſtri beatæ memoriæ interpretati ſunt de Urim & Thymmim.* Et *Jarchius* ad eundem locum addidit: *Jonathan vertit: Et Benaia filius*

lius Jejadæ, præfectus eſt ſagittariis & funditoribus. At doctores noſtri dixerunt Crethi & Plethi Urim & Thymmim. Levi, filius *Gerſonis,* eodem adſcribit: והכרתי והפלתי אמרו שהם היו שתי משפחות בישראל ורבותינו פירשושהם סנהדרין ואמרו כרתי שכורתין דבר יתכם פלתי שמופלאים במעשיהם: *Crethi & Plethi dixerunt eſſe duas familias Iſraelis. Sed doctores noſtri de ſynedrio interpretati ſunt, & Crethi putarunt dictos ob brevitatem ſententiarum, Plethi vero ob admirabilitatem operum.*

V.

Nobis difficilis videtur conjectura rationis, quæ Judæos in hanc opinionem adduxerit, ut nominibus *Crethæorum* & *Plethæorum* ſignificationem tam inſperatam affingerent. Niſi forte nomen *Benaiæ* eos induxit, ut a perſona illius alienum eſſe opinarentur principatum ſatellitum *Davidis.* Nam volunt eum e Levitarum eſſe genere, quod a militaribus fere abhorreret muneribus. Sed, ſi maxime *Benaia* ad genus illud retuliſſet originem ſuam, tamen nihil videmus cauſæ, quæ illum a munere hujus generis abſtraxerit, cum præſertim Levitas bello intereſſe oporteret, tametſi a gregariorum militum laboribus vacatio iis eſſet data. Et, quoniam honorificum erat munus, quod ſuſtinebat *Benaia,* facile carebat dignitate & vocatione Levitica. Quodſi officia civilia & magiſtratus a ſua perſona remotos non putarunt Levitæ, propterea, quod ea quoque

res

res Deo non poterat non grata videri; omnino ſuſpicari nobis licet, ad rempublicam eos nonnunquam acceſſiſſe. *Samuel* quidem genere ortus erat, cui ſacerdotii dignitas a Deo per *Moſen* fuerat affirmata; neque tamen *Samuel* ante creationem regis *Sauli* exercendis judiciis abſtinuit. Et quid tandem fuit ſynedrium illud magnum, quod Judæi tantopere prædicant, niſi conſeſſus judicum? Judices autem illi cognoſcebant crimina etiam civilia, & admiſtos habebant ſacerdotes. Illud fortaſſe majoris fuerit momenti, quod Urim & Thymmim potiſſimum ad rem bellicam ſpectaſſe dictitarunt eruditi quidam, quorum in numero exſtat *Spencerus de Leg. Hebraeor. rit. Lib. III Cap. I Sect. 2 pag. 1239.* Nam, quia *Crethaei* quoque & *Plethaei* de opinione quorundam eruditorum ad munia militaria ſunt adhibiti, & ad res eventusque bellicos Urim & Thymmim potiſſimum conſulebantur, idcirco fortaſſis in eam opinionem venerunt jam olim etiam Judaici doctores, ad *Benaiae* curam Urim & Thymmim pertinuiſſe. Verum per ſe cadit omnis hæc ſuſpicandi licentia, quæ, niſi in Judaicum ingenium, cadere vix poſſe videtur. Judæi ſunt enim, qui vocabulis quibusvis quamlibet poteſtatem temere & audacter affingant, & in ea re ſibi faveant, tanquam ſi divinitus eam edocti eſſent. Cum enim *Crethaeorum* communitas civitatis Philiſtæorum conſtet, nec ulla dubitatione labefactari poſſit, quæ 1 *Sam.* XXX, 14, 16, & duorum Prophetarum, *Ezechielis* & *Zephaniae*,

auctoritate, conſtabiliatur; licenter profecto ac temere cognationem Iſraeliticam iis tribuunt Judæi. Nam primum rex *David* a Philiſtæis multa, cum exularet, beneficia percepit, quibus ſe ita devinctum putabat, ut etiam caſtra Philiſtæorum ſequeretur, cum Iſraelitas illi impugnarent. Quamobrem Philiſtæos ne tum quidem odiſſe poterat, cum regno jam præeſſe cœpiſſet. Ipſum etiam oppidum Zicklagum, a Philiſtæis ei relictum, ſtimulare *Davidem* poterat ad tuendos ornandosque *Cretbæos*, quibus a multo tempore adjutoribus uſus erat. Quanquam autem *Cretbæi* a ſacris Judæorum olim abhorruiſſent; tamen & religionis Judaicæ ſanctitas, & veritatis majeſtas, a ſimulacrorum amore facile illos abſtrahere potuit, ut & regi & Judæis gratiores eſſe ſtuderent, & ſuperſtitionis odium crimenque devitarent. Et, quoniam Crethæi ſatellitum modo functi ſunt munere, quod nunquam ullo in populo invidendum & præclarum viſum eſt; *Davides* citra ullam reprehenſionem & invidiam eorum opera uti potuit, cum præſertim caritas veteris adjumenti beneficiique ſuaderet, ne ſalutem eorum deſereret, qui ſe inopem & extorrem nunquam deſeruiſſent. *Cretbæos* denique ad fidem *Davidi* ſervandam impellebat conſcientia defectionis a veteribus ſociis Philiſtæis. Cum enim ſemel *Davidem* in Judæam comitari cœpiſſent, eique, regnum adepto, fidem ſuam probaſſent; facile ſupicari poterant, fore, ut a Philiſtæis ad Judæos omnino deſciviſſe, ac pa-

triam

triam prodidiſſe, judicarentur. Quorum reconciliatio cum multis difficultatibus circumvallata videretur; facilius jam in animos inducebant ſuos, ut reditum in patriam aut ejurarent, aut nunquam ſaltem cogitarent.

VI.

Reliquum eſt, ut de origine *Crethæorum* pauca diſputemus, ne forte LXX Interpretum quemquam fallat auctoritas. Vidimus enim ſupra, *Crethæos* ab iis alias Κρῆτας, alias *παροίκους* Κρητῶν appellatos eſſe. Sed nominis ſimilitudinem aucupati videntur, quæ, ut fit, novi erroris ſenſim cauſa fuit. Laborarunt illi quidem communi Græcorum vitio, ut, ſicubi nominis ſimilitudinem conſpexiſſent, eam ſtatim ad Græcæ gentis nominisque auctoritatem & admirationem torquerent. Nota eſt fabula illa Græcorum de *Byrſa*, Carthaginienſium arce, quam nos ex *Themiſtio* ad *Cellarii Geogr. plen. Tom. II Lib. IV Cap.* 4 §. 53 *pag. 885* deſcriptam exploſimus. Ad eandem Græcorum perverſitatem retulimus etiam *ἀκρωτήριον* Κριοῦ *Tom. II Geogr. plen. Lib. IV Cap.* 4 §. 56 *pag. 887*. Quod idem monuimus ad flumina *Lycon* & *Capron*. Vid. *Cellar. Geogr. plen. Lib. III Cap.* 17 §. 7 *pag. 656*. De *Bochartο*, qui ſæpe idem queſtus erat, dicere jam nihil attinet. Neque *Diodorus Siculus* hanc moris pravitatem diffeſſus eſt, ubi narrat, Aegyptiis Græcos pæne omnia a ſeſe detraxiſſe viſos eſſe. Illud certe inter omnes ſatis conſtat, e terris orientem ſolem ſpectantibus multo plures in

Græciam miſſas eſſe colonias, quam e Græcia in orientem. Quamobrem nihil minus credibile eſt, quam ex Creta in agrum Philiſtæorum colonos eſſe deductos. Quid enim? Tam beata fuit Philiſtæorum regio, ut, qui in Creta victum & commoditates alias deſiderarent, ii Philiſtæorum regionem peterent, & eam præſertim partem, quæ rapaciſſimarum gentium fines attingeret? Probabile eſt, colonos, relicta patria, regiones præoptare pacatas, fertiles, ab hominibus vacuas. Talis autem non fuit regio *Crethæorum*. Philiſtæorum quidem jam *Moſis* temporibus bellicoſa gens eſt habita, quæ novos accolas ferre non poſſet. Quamobrem Iſraelitæ quidem in eam viciniam deducti ſunt, quamvis illa via in terram ipſis antiquitus promiſſam multo eſſet breviſſima, cum ex Aegypto in Arabiam commigraſſent. At enim *Minos*, cum fratribus *Aeaco* & *Rhadamantho* iſtuc profectus, Gazam ex nomine ſuo Minoam appellavit. Sic enim *Stephanus Byzantinus* memorat. Sed primum ex *Hieronymo* conſtat, non Gazam, ſed finitimum quoddam Gazæ oppidum, Minoam dictum fuiſſe. Quanquam *Stephanus* in *Minoa* Gazæ ipſi nomen illud tribuat. Deinde eadem iſta Græcorum prava conſuetudo, nomina externa e lingua interpretandi, hic quoque valuiſſe videtur. Longe vero credibilius eſt, Minoam vel Minoidem iſtam ex מנועה vel מנוע vel מינוע ex מנע; quemadmodum צפורה ex צפר, גבור ex גבר, & קיטור ex קטר, ductam eſſe, ita ut Græca termina-

minatio *ὰς* vel *ις* accederet. Neque vero, quia *Minos* ex Creta in regiones Philiſtæis affines profectus eſt, idcirco gens *Crethæa* inde nomen traxit. Nam verbum כרת linguæ Palæſtinæ domeſticum eſt, neque peregrinam originem deſiderat. *Creta* etiam ipſa nomen eſt recentius. Antiquioribus enim temporibus *Aeria*, *Curetes*, & *Idæa*, eſt appellata. Vid. *Cellarii Geogr. antiqu. Lib. II Cap. 14 §. 61 pag. 1025*, & quæ nos iſtuc ex *Diodoro Siculo* adjecimus. Quocirca nihil eſt cauſæ, cur homines literatiſſimi de conditore coloniæ *Minoæ* contentius ambigant. Nam tota iſta profectio *Minois* cum fratribus in viciniam terræ Philiſtæorum videtur conficta ex ſimilitudine nominum *Minois* & *Minoidis*, ſeu *Minoæ*. Nam *Minos* is, qui fratres habuit *Aeacum* & *Rhadamanthum*, non temere uſquam colonias deduxiſſe legitur; alter vero *Minos*, qui multarum coloniarum auctor prædicatur, in orientis partes nullas deduxiſſe memoratur. Etenim ipſe jam *Voſſius de Orig. & progreſſu idolol. Lib. I Cap. 14 pag. 117 edit. Francof.*, ad cujus auctoritatem hic maxime provocatur, ſubleſtam in tota hac re veterum ſcriptorum fidem notavit. Quæ autem veteribus incerta & obſcura fuerunt, minus hodie poſſunt a nobis explicari. Niſi forte illa quoque omnia, quæ *Bochartus* Phœnicibus ſuis colonis aſſignat, locorum nomina re vera iis vindicari poſſe credamus. Id quod tamen literati plerique adhuc facere non ſunt auſi. Illud jam occurrit nobis, Creticam

Grethæorum originem impugnantibus, quod numi quidam Gazæorum reperiuntur, in quibus *Marnas* Ζεὺς Κρηταγενὴς memoratur. Sed, quamvis *Jupiter* ille alios fortaſſe moveat, nos tamen nihil terret omnino. Vide, Lector, quam multum hic largiamur iis, a quibus hac in re diſſidemus. Fatemur, Gazæorum numum *Jove* Κρηταγενεῖ inſignem magnopere pro Cretica Gazæorum origine pugnare poſſe videri. Nam, ut *Jupiter Atabyrius* in numis Agrigentinorum Rhodiam prodit originem, quod Rhodus Atabyria quoque fuit appellata, (vid. *Spanhemii Diſſ. IX Sect. 3 pag. 572, Cellarii Geogr. plen. Lib. III Cap. 2 §. 35 pag. 25*,) ita Ζεὺς Κρηταγενὴς Creticam indicare poſſit coloniam, *Jovis*, veteris ſui Dei, cultricem. Verum ſuſpicioni huic repugnat nomen *Marnas*, quod e Creta profecto non eſt repetitum. Nam primum, etſi Cretenſes *μάρναν virginem* vocaſſe dicantur, tamen appellationem hanc falſitatis jam pridem convicere literati. Vid. *Berckelii Commentar. ad Stephani Gazam.* Deinde ratio nulla excogitari poteſt commode, cur, ſi maxime *Marnam* Cretenſes *virginem* appellarint, *Jupiter Cretenſis* nomen hoc ſuſtineat. An *Rhea*, *Saturni* conjux, & mater *Jovis*, virgo fuit, cum *Jovem* pareret, et is eam ob cauſam in nominis communitatem veniret, quaſi *partum virgineum* diceres? Denique difficile eſt creditu, homines Cretenſes nomen uſitatiſſimum *Jovis* ſui ipſos interpretatos eſſe. Fit enim hoc tantummodo in rebus ignobilioribus & obſcurio-

ribus,

ribus, quas exteri fere ignorarent, ſaltem minus capiant. Sic veteres fœminæ cuidam interdum addunt nomen *juſtitiæ*, propterea quod diffidebant prudentiæ ſuæ in exprimenda juſtitiæ forma. Nam ceteræ item virtutes fœminarum habitu veſtituque deſignabantur, parum a ceteris diſtinctæ. Vide *Montfauconii Antiqu. expliqu. Tom. I Part. II Lib. III Cap. 7 pag. 548 ſeq.* *Marnas* igitur nomen fuit Dei cujusdam, in Oriente culti, quod ex vocabulo הרה inflexum erat, ut ſignificaretur Deus, *fœminas reddens gravidas*. Quod nomen ex fœminarum opinione, precibus & votis ad Deum illum factis, natum eſſe videtur. Sic apud Romanos quondam *Venus Verticordia* [a] coli cœpit tum, cum Senatus conſilia, inſtituta, facta fœminarum Romanarum, converſa & immutata cuperet, ne familiæ & maximum fœminarum decus adulterarentur. Apud Philiſtæos quidem, etiam e Scripturis ſacris conſtare videtur, Deum quendam felicitatis ac frequentiæ partuum præſidem cultum fuiſſe, *1 Sam. V, 6, 9, 12, VI, 5.* Nam Deus Iſraelitarum, ut imbecillitatem Deorum Philiſtæorum declararet, contraria vi ac numine opinatam iſtorum vim infringebat. Neque enim hic audiendi ſunt Judæi, qui nequaquam acuti ſunt interpretes, uti nec *Abrabanel* hic quidquam vidit. Græci autem, cum literas gut-

a) Vid. VALER. MAXIM. *Lib. VIII Cap. 15 n. 12.* Add. BAILII *Diction. Critiq. in Sulpicia pag. m. 2817.*

gutturales orientalium gentium in medio vocabulorum ſcriptura ſua exprimere non valerent, literas iſtas fere in lingua ſua obliterarunt. Vide, quæ ad *Cellarii Geogr. antiqu. Lib. III Cap. 13 §. 231 pag. 518* de *Janyſo* monuimus. Ita igitur jam conſtare arbitror, *Marnas* quid ſignificarit, & unde nomen ſortitus ſit. Indidem ſimul apertum eſt, cur interpretatio adderetur, Ζεὺς Κρηταγενής. Ζεὺς videlicet commune omnium Deorum nomen fuit, quibus opinio hominum maximam quandam vim affingebat, quemadmodum a Latinis *Jovis* appellatio omnibus Diis majoribus dicabatur. Quod accuratior Inſcriptionum *Gruterianarum* & *Sponiarum* conſideratio ſatis docebit. *Marnas* auten Ζεὺς Κρηταγενὴς vocabatur idcirco, quia ex Creta, Philiſtæorum regione, natus erat. Omnes enim nationes & civitates Deos indigetes ac proprios maxime admirabantur & prædicabant. Sic Alabandenſes *Alabandum*, Itali ſuum *Janum*, alii alios, in primis omnium colebant. Hactenus de *Crethæis*.

VII.

Venimus jam ad *Plethæos*, quos haud dubitanter nationem quandam fuiſſe aſſevero. Primum enim ipſa nominis forma conſimilis eſt illi *Crethæorum*; *Plethæi* vero a Philiſtæis quidem ſejuncti, ſed tamen natio etiam ipſi fuerunt. Sedes eorum *Crethæis* proxima fuiſſe videtur, &, quantum per ſterilitatem vaſtitatemque regionum illarum fieri potuit, ad fines Ae-

gypti

gypti pertinuiſſe. Peluſium quidem gentis hujus coloniam fuiſſe, perquam eſt probabile vel ex ipſo nomine. Nam litera τ ſubſequentibus literis ιον vel ιος ſæpe in σ convertitur. Ita nomen Μιλήτου gignit Μιλήσιον, πλήτου πλήσιον, Κρήτης Κρήσιον, Ἀφροδίτης Ἀφροδίσιον. Scio, Græcos ſcriptores Peluſio Græcam aſſignare originem; ſed hic quoque, ut fere in ceteris, errant & labuntur.

V.

C. A. H.

RECENSIO EPISTOLARUM FAMILIARIUM JOANNIS TRITHEMII.

Rari ſunt literati homines, quorum oculos ſubierunt *Trithemii Epiſtolæ*. Ne *Fabricius* quidem eas tum habuit ob oculos, cum in *Bibliotheca* ſua *Latina medii ævi*, ad noſtrum delatus *Trithemium*, faciebat [a] earum mentionem. Non enim ſolum titulum earum verum non recitat, ſed indicat etiam, ſe harum *Epiſtolarum* notitiam hauſiſſe e *Rich. Simonii Epiſtolis*

a) *Lib. IX pag.* 459. Fuiſſe tamen has *Epiſtolas* in FABRICII Bibliotheca, cognovi ex ejus *Catalogi*, poſt mortem optimi viri editi, *Partis tertiæ pag.* 540.

ſtolis ſelectis. Et hic quidem [b] *Simonius* tum in *Bibliotheca* ſuæ *critica*, tum in *Epiſtolarum* ſuarum *ſelectarum*, *Libri quarti* (utriusque enim operis *Liber quartus* easdem exhibet *Simonii* Epiſtolas,) *Epiſtola vigeſima* ex his Epiſtolis, quas perraro occurrere ait, demonſtrare annititur, jam ante ortum Proteſtantium fuiſſe, qui literas colerent humaniores, quas vocamus, itemque ſacris literis e primitiva ſua lingua interpretandis navarent operam; hosque inter haud poſtremum locum tenere *Tritbemium*. Eo conſilio plura huc pertinentia verba ex his Epiſtolis profert in medium, id quod etiam facit in *Critique de la Bibliotheque des Aut. eccl. de M. du Pin Tom. I pag. 371 ſeq.* Recte vero judicabat vir celeberrimus, *Jacobus Burckhardus*, Ducali Bibliothecæ Guelferbytanæ præfectus, nunc Ducis Conſiliarius, *Simonianas* illos eclogas non ſedare ſitim doctorum virorum, ſed pergratum iis facturum, qui novis eas exſcribi curet typis. Ac ipſemet ſe accingebat ad præſtandum hoc officium. Cum autem reperire bibliopolam non poſſet, qui ſpem foveret, ea ſe editione rei ſuæ familiari conſulturum: id quod ipſe docet in *ſecunda* Parte ſuorum *de lingua Latina in Germania fatis* [c] *Commentariorum*; maximæ adhuc erudito-

rum

b) Non SIMONEM, ſed SIMONIUM, eſſe Latinum ſuum nomen, docet ejusdem in libri *Epiſt. 32 pag. 241.*

c) *Cap. IV pag. 163 ſeq.*

rum parti carere his *Trithemii* Epiſtolis neceſſe eſt.

Jam cum meis nunc ſint in manibus hæ *Epiſtolæ*, juſta earum notitia impertire ſtatui eos, quorum ſub oculos venire non contigit his *Epiſtolis*, ſimulque inde deſcribere loca cognitu digniora. Illud autem præfandum eſt, alium eſſe *Librum* illum *unum Epiſtolarum ad diverſos*, quem compoſuiſſe ſe docet *Trithemius* in ultimo *Capite Libri* ſui *de Scriptoribus eccleſiaſticis*. Hunc *Jo. Buſæus* denuo edidit inter *Opera Trithemii pia & ſpiritualia*, quæ Moguntiæ uno volumine formæ maximæ complexus, A. 1604 publicavit.

Ecce nunc titulum earum, quas ob oculos habeo, Epiſtolarum:

JOANNIS TRITEMII d), *Abbatis Spanhemenſis, Epiſtolarum familiarium Libri duo ad diverſos Germaniæ Principes, Epiſcopos, ac eruditione præſtantes viros, quorum catalogus ſubjectus eſt. Hagan oæ, ex officina Petri Brubachii 1536. Alph. 1 pl. 22 in 4.*

Initio exhibetur Edictum Imp. *Caroli V*, ne quis alius intra quatuor annos imprimat has Epiſtolas. Tum *Dedicatio* prodit editoris, *Jacobi Spiegelii*, (qui in ſubjecta brevi Epiſtola ad typographum ſe nominat *Doctorem, ſacrique Lateranenſis palatii Comitem,*) ad *Matthiam Held, Cæſareum Conſiliarium & Procancellarium Germaniæ*, A. 1530 d. 3 Martii ſcripta; in qua ait, mul-

d) Ita ſemper in hoc opere ſcribitur hoc nomen, non *Trithemius*.

multis annis familiariter ſibi notum fuiſſe Tritemium. Sequitur, interjecta illa, quam dixi, ad typographum Epiſtola, *Catalogus eorum, ad quos Tritemius ſcribit, & qui ad illum viciſſim.* Inter hos memoratu digniores ſunt, Principes, *Joachimus*, Elector a) Brandenburgenſis, *Philippus*, Dux Rheni Bavariæque, *Theodericus*, Epiſcopus Lubucenſis in Marchia, *Julius*, Papa, *Fridericus*, Elector Saxoniæ, *Hermannus*, Archiepiſcopus Colonienſis, *Matthæus Lang*, Epiſcopus Gurcenſis; viri docti, *M. Jacobus Tritemius*, frater, *Rogerius Sycamber*, *Jodocus Beiſelius*, *Matthæus Herbenus*, *Joan. Capellerius*, *Libanius Gallus*, *Carolus Bovillus*, *Hermannus Buſchius*, *Georgius Sybutus*, *Jac. Wimpfelingus*, *Nic. Gerbelius*, *Conr. Celtes*, *Bilibaldus Pirckenheimer*, *Joan. Virdungus*, *Conradus Peutingerus*.

Prior Liber hanc habet inſcriptionem: *Joannis Tritemii, Abbatis Spanhemenſis, Epiſtolarum familiarum Liber ultimus, ad Jacobum Tritemium, dulciſſimum fratrem.* Poſterior hanc: *Joannis Tritemii, Abbatis S. Jacobi Herbipolenſis, Epiſtolarum familiarium Liber primus, ad Jacobum Tritemium, dulciſſimum fratrem.* Scilicet *prior Liber* eas continet Epiſtolas, quas paulo ante ſcripſerat, quam eſſe Spanhemenſis monaſterii Abbas deſineret; *poſterior*

a) Hujus *quatuor* ad TRITEMIUM hic exhibentur Epiſtolæ, TRITEMII ad ipſum *quinque*.

ſterior eas, quas paulo poſt acceptum munus Abbatis Herbipolenſis exararat. Sunt autem utriusque *Libri* Epiſtolæ ex ordine annorum collocatæ & prima omnium ſcripta eſt A. 1506 d. 4 Novembris, ultima A. 1507 d. 16 Octobris. *Prior Liber* ſeptuaginta novem habet Epiſtolas, *poſterior* ſexaginta. Ex his excerpta en, quæ ſequuntur.

Pag. 8.

Hic ſcribit, *Rogerium Sycambrum ſex & triginta ſupra centum metro & proſa abſolviſſe opuſcula.* Pleno nomine is vocatur *pag. 292 Rogerius Venray, Sicamber. Rogerium de Venray* vocat, ejusque ſcripta recenſet, *Elſſius* in *Encomiaſtico Auguſtiniano pag. 610.*

Pag. 37.

Miſiſti nobis (JACOBE de MASECK,) *heſterno veſperi munus certe gratiſſimum,* KYRANI [f] *videlicet libros, antiquo atque pulcherrimo charactere pergameno inſcriptos: quos tota Germania pæne quærentes, nusquam integros reperire potuimus. Gratias tibi habemus ingentes.*

Pag. 45.

GEORGIUS SIBUTHUS, *Poëta, noviter manibus Regiis* (id eſt, Imperatoris,) *hic laureatus, juvenis quidem, ſed ingenioſus.*

H Pag.

f) Vid. MORHOFII *Polyhiſt. liter. Lib. I Cap. 11,* & FABRICII *Biblioth. Gr. Lib. I Cap. 9 §. 8,* & ipſe TRITHEMIUS in *Antipalo maleficiorum pag. 309* editionis Colonienſis 1624.

Pag. 61 & 62.

Noſtri concionatores majore in numero crebrius Philoſophos gentilium, quam Chriſti Apoſtolos allegant. Proh pudor! Tam celebris facta eſt verbi Dei præconibus Peripateticorum auctoritas, ut in cathedra Chriſti crebrius ARISTOTELES *citetur in medium, quam* PAULUS *aut* PETRUS. *Quid talium ſermones populo proficiunt, in quibus ad oſtentationem totum, ad compunctionem vero nihil, inducitur? - In ſchola Chriſti nihil aliud, quam doctrina Chriſti pura & immaculata, prædicetur.*

Ob hoc dictum *Flacius Trithemium* retulit in *Catalogum teſtium veritatis Cap. 395 pag. 825* editionis *Dietericianæ*. Aliud vero adjicere veritatis teſtimonium *Flacius* poterat e *Trithemii Lib. de Script. eccl. Cap. 213*, ubi hæc legas: *Ubi nunc his temporibus tale ſtudium literarum? Ubi amor ſcientiæ ſalutaris? Religioſi noſtri & Nobiles, Clerici quoque & Pontifices, non libros, ſed cenſus, cumulant, non literas, ſed avaritiam, colunt.* Ceterum cum priore teſtimonio *Trithemii* convenit, quod *Melanchthon* ſcripſit in *Apologia Auguſtanæ Confeſſionis pag. 62*, *Audivimus*, inquiens, *quosdam pro concione, ablegato Evangelio, Ariſtotelis Ethica enarrare.*

Pag. 129.

Hoc unum te monemus, ita vivendum, ne moribus deſtruas eruditionem. Non decet virum eruditum, etiamſi Poeta ſit, eſſe laſcivum, non ebrietatis ſectatorem, non muliebrem & luxui deditum.

Hæc

Hæc *Trithemius* ad *Hermannum Buſchium*, ad quem & *pag.* 230: *Tu ergo, Buſchi, fuge omnes animi peſtes, vinum & Venerem maxime.*

Pag. 161.

Venire mei viſendi gratia in Spanheim ex tota fere Germania, ex Italia & Gallia, ceterisque adjacentibus regnis, viri eruditi atque doctiſſimi in omni facultate conſueverunt. Miſerunt Principes atque potentes hujus ſeculi ſuos in re literaria nuntios & oratores ad me: ſicuti tota novit vicinitas.

Sic & *pag.* 193: *Ego ſum ille* TRITEMIUS, *Abbas quondam Spanhemenſis, quem docti ſimul & indocti tanquam oraculum Apollinis obſervabant, qui omnium ore laudatus, Bursveldianæ Congregationis videbar caput atque columen. Magnum me aliquid exiſtimabant Reges & Principes, Eccleſiarumque Præſules, ad famam nominis noſtri concitati: me videre, me alloqui, ac (me) ſuis intereſſe cupiebant arcanis. Nomen Spanhemenſis Abbatis per omnium ora cum laude volabat, ſeque putabant felices viri magni & eruditi, ſi quos in mei familiaritatem admiſiſſem. Confluebant ad me non ſolum ex Germania tota viri doctiſſimi atque ſpectabiles multi, ſed ex Italia quoque & tripartita Gallia plures. Principes quoque & Pontifices eccleſiarum ſuis me literis atque muneribus viſitabant.* Idem alius teſtatur infra *pag.* 330.

Pag. 175.

Inopiam librorum veteres allegare potuerunt: nos vero potius inopes copia fecit, quoniam impreſſoria noſtris diebus arte apud Moguntiacum

inventa, hodieque per orbem univerſum dilatata, tot veterum atque novorum volumina doctorum veniunt in lucem, ut ære jam modico doctus quilibet eſſe poſſit. Neque deſunt hodie bonorum præceptores ſtudiorum, ſed ubique terrarum abundant in omni varietate diſciplinæ, non ſolum in Latina, ſed in Græca lingua ſimul atque Hebraica. Hæc ſunt vere aurea tempora, in quibus bonarum literarum ſtudia, multis annis neglecta, refloruerunt.

Rurſus *pag. 305: Scatet hodie voluminibus mundus, totque in lucem quotidie veniunt libri, ut nemo ſit, qui legere omnes poſſit. Ars enim, quam impreſſoriam vocant, tempore infantiæ meæ apud Moguntiam, metropolim Francorum, inventa, infinita pæne & veterum & novorum volumina quotidie producit in lucem.*

Pag. 189.

Nonne HENRICUM *Northeimenſem, virum optimum, regularisque diſciplinæ zeloſiſſimum cuſtodem, invidia parvulorum* (e monaſterio Spanhemenſi) *ad Saxones redire compulit?*

Hoc eſt, in Saxoniam inferiorem, cujus oppidum eſt *Northemium*, *Nordheim*. Hic natus fuit *Henricus* ille, Poeta pro ſuo tempore eximius. Eum adhuc A. 1494 vixiſſe, teſtis eſt *Trithemius* noſter in libri *de Scriptoribus eccleſiaſticis Cap. 947*, ubi eum vehementer laudat. *Eſt*, inquit, *ingenio ſubtilis, & diſertus eloquio, metro excellens & proſa.* Ipſe ſe pro *Nordheimenſi* appellavit *Aquilonipolenſem*, quia Germanicum *Nord* eſt Latinis, *aquilo*; quæ res occaſionem *Fabricio* præbuit, ex uno

hoc

hoc *Henricos* duos faciendi, *Nordheimenſem* & *Aquilonipolenſem*, in *Bibliotheca Latina mediæ & infimæ ætatis Lib. VIII pag. 624 & 670.* E veteris Anonymi *Centuriæ Scriptorum*, a *Madero* editæ, *§. 88* diſcimus, vixiſſe eum adhuc A. 1514, ac magnum fuiſſe decus Academiæ Wittebergenſis. Imo is eum vocat *Grammaticum, Philoſophum, Rhetorem, & Poetam nulli illo ævo ſecundum.* Cum autem ait, eum *patria, diſciplina, & ſtudio, Wittebergenſem* fuiſſe, patriam ejus non fuiſſe ſibi cognitam, oſtendit. De eodem *Henrico*, ejusque carminibus, plura profert *Mollerus* in *Iſagoge ad Hiſt. Cherſon. Cimbr. P. I Cap. 6 §. 18.*

Pag. 196.

Abbatiam Spanhemenſem libris & ſtructuris effeci pulcherrimam, usque adeo, ut in tota Germania nusquam reperiatur Bibliotheca, in qua tot habeantur in omni ſcientia ſcripturarum nova ſimul & antiqua volumina pretioſa atque rariſſima, non ſolum Latina, ſed Hebraica quoque & Græca, charactere ſcripta vetuſtiſſimo. Nam, ut vidiſti, plus quam duo voluminum millia ex diverſis mundi regnis rara & antiquiſſima comportavi.

Statim hic adſcribo, quæ *pag. 310* & *311* lego: *Refert nobis* WILHELMUS, *Abbatem Burſfeldenſem nuper in Spanheim viſitationis peregiſſe officium, & præcepiſſe Abbati Nicolao, ſucceſſori meo, quatenus omnia linguæ Græcæ volumina, ſcripta ſimul & impreſſa, de monaſterio ſtudeat alienare & vendere, quæ nos cum magno labore, ut noſti, gravibusque expenſis ex Græcia & Italia comportavimus. Quæ ſi*

vera ſunt, maxime rogamus, quatenus ad monaſterium Spanhemenſe quantocius accedas, & ipſa volumina Græca ſimul & Hebraica pro nobis compares. - - Scis enim, quod plus quam mille quingentos auri ducatos pro libris expoſuimus in quatuor & viginti annis noſtræ g) *prælationis. Duo quippe millia numeravimus Volumina Bibliothecæ monaſterii Spanhemenſis ante hoc triennium, quorum nullum fuit in loco tempore introitus noſtri ad Abbatiam: In omni facultate ſcientiarum multa volumina comportavimus, non ſolum impreſſa, ſed etiam pergameno ſcripta complura, pretioſa & rara: ut confidenter auſim dicere, in tota Germania ſimilem non eſſe Bibliothecam, in qua tot rara & pervetuſta reperiantur volumina in omni varietate ſcripturarum, tam divinarum, quam ſecularium, diverſarum quoque linguarum, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Chaldaicæ, Arabicæ, Indianæ, Ruthenicæ, Tartaricæ. Taceo reliquas conſulto, quæ noſtris utuntur characteribus, ut Italicæ, Gallicæ, Bohemicæ, ac ſimiles. Scio enim, quod Græcorum voluminum, ſcriptorum ſimul & impreſſorum numerus centenarium excedit: pro quibus ut curam habens, te vehementer oramus. Et, ſi quidem venales ſunt, pro nobis comparentur. Dabimus juſtæ æſtimationis pretium, quod nemo alius daturus eſt: cum hodie ſciamus neminem in omni provincia Rhenenſium Græcarum* h) *literarum ſtudioſum & doctum.*

Pag.

g) Hoc eſt, quibus annis Abbas fui ſive *Prælatus;* qui ſtilus Clericalis eſt.

h) Idem *pag.* 310 teſtis eſt, nullum id ætatis monachorum monaſterii Spanhemenſis *Græcarum literarum peritum* fuiſſe.

Pag. 215.

Hic exhibentur literæ *Tritemii* ad *Dominam Helizabetham de Longovico, honeſtiſſimam dulciſſimamque matrem ſuam.*

Non matrem ſolum ſtirpis equeſtris habuit *Trithemius*, verum etiam patrem. Hic, enim erat *Joannes de Heidenberg*. Vid. *Vita Trithemii*, ejus *Steganographiæ* præfixa Noribergæ A. 1721, *Cap.* 1 & 2. Obſervo hic, imo & vehementer miror, *Melchiorem Adamum* in *Vitis* ſuis *Germanorum* omiſiſſe vitam noſtri *Trithemii*.

Pag. 225.

Multa, Rogeri, paucis annis ſcripſiſti opuſcula die noctuque. Laudo tuorum ſedulitatem ſtudiorum; collaudarem amplius, ſi, omiſſis ſecularibus, ad ſpiritualia te conferres. Centum ferme jam & quadraginta lucubraſti opuſcula, inter quæ ſunt pauciſſima, (neſcio tamen, ſi ſint aliqua,) quorum lectio vel ædificet ad fidem, vel mentem promoveat in ſpiritualis exercitii [i] *devotionem. Oro te, mi* [k] *Rogeri, transfer ſcribendi propoſitum, &, qui hactenus multa ſcripſiſti filiis mundi, deinceps jam aliquid edito cultoribus Dei.*

Pag. 245.

Hic literas ſuas ad *Tritemium* ita finit *Joachimus*, Elector Brandeburgicus: *Vale, Germa-*

i) Non ſolum hic locus, ſed complures Epiſtolæ teſtes ſunt ſummæ pietatis TRITHEMII. Quod ſemel dictum eſto. Nam hujus generis nihil inde excerpſi.

k) Eſt hic ROGERIUS ille *Sycamber*, de quo ſupra.

maniæ decus, totiusque arca ſapientiæ, mei memor ad Deum & amans, quia te vehementer amamus. Ex Berlin, manu propria, viceſima nona die menſis Maji anno Chriſtianorum M. D. VII.

Pag. 249 - 254.

Hic judicium fert *Tritbemius* de *Philoſtrati Vita Apollonii*, omniaque, quæ a *Philoſtrato* traduntur, mendacia eſſe cenſet, in præjudicium Chriſtianæ religionis efficta.

Pag. 269.

Hic *Joannes de Woesbrouck, Sereniſſimi Regis Caſtiliæ Monetarius, magnique telonei Brugis in Flandria Magiſter*, ita ſcribit ad *Tritemium:*

Magna eſt nominis tui fama nobiscum, & in ore laudaris omnium doctorum virorum, nobilium quoque & magnatum: & multi ſunt in omni terra noſtra, qui te videre cupiunt, tuaque optant eruditione doceri: inter quos eſt unus venerabilis Decretorum Doctor, NICOLAUS *nomine* de pulchro monte, *homo univerſaliter doctiſſimus in Philoſophia, in Mathematica, in Aſtronomia, in Medicinis, in Coſmographia, in Theologia quoque & in ceteris Scripturarum diſciplinis, multum excellenter peritus: qui fama nominis tui usque adeo inflammatus eſt, ut neque ſumtibus parcendum duxerit, neque periculis & laboribus terreretur itineris longiſſimi, quo minus ad tuam venire Paternitatem quantocius poſſit.*

Qui hic vocatur *Nicolaus de pulchro monte*, eſt *Nicolaus* ille *de Schœnberg*, Miſnia Saxo, qui Cardinalis mortuus eſt Romæ A. 1537. Satis multa de eo tradunt & *Olearius* in *Bibliothecæ eccleſiaſticae Tomo poſteriori pag.* 27, 28,

28, & *Echardus* in *ſecundo de Scriptoribus Dominicanis Tomo pag.* 103 *ſeq.*

Pag. 300.

Rogerius noſter Sycamber ſuo more librificat, ac fetus producit innumeros, ita, ut vel ſolos titulos recenſere mihi ſit tadioſum ſingulorum, quæ lucubravit, opuſculorum. Abſolvit enim, ut ſuo utar verbo, centum triginta ſex lucubrationum ſuarum opuſcula in codicibus quatuor: & nec hodie ſcribere ceſſat.

Pag. 302.

Manſi in Berlin cum ipſo [l] *Marchione menſibus novem, didaſcali functus officio. Tradidi enim præcepta & regulas Principi, quibus ſine magno labore in Latina lingua doctior evaſit. Scripſi etiam ad inſtantiam ejus quædam* [m] *ſynthemata; quorum lectione gaudebat. Jam enim Latine ſcribit ornate ſatis, & loquitur diſerte, at, quicquid legit, perfecte intelligit. Revertentem me tandem gratioſe remunerans, ducatos trecentos mihi donavit, ſeque majora daturum cum tempore, promiſit.*

Eadem pag. 302.

Sripſi Itinerarium totius vitæ meæ *a tempore nativitatis meæ usque in hunc annum.*

Pag. 303.

Magum me plerique arbitrantur, aſſeverantes, me ſuſcitaſſe mortuos, evocaſſe ab inferis dæmones, prædixiſſe futura, furesque reduxiſſe carminibus, & ligaſſe latrones. Quæ omnia conficta & ementita nec feci unquam, nec cogitavi quidem. Libros

 (fate-

l) Loquitur de *Joachimo*, Electore.

m) Hoc eſt, *libros quosdam.* Ita & infra loquitur *pag.* 323.

(fateor,) Magorum plerosque legi, non ut imitarer, ſed ut eorum ſuperſtitiones peſſimas aliquando redarguendo confunderem; quod, largiente Domino Jeſu Chriſto, brevi me facturum, confido. Quid putas de me opinabitur ſtulta hominum indoctorum futura temeritas, cum Steganographiam in lucem produxero? quæ talia confinxit de me mendacia, cum nihil adhuc viderit arcani.

Pag. 312 & 313.

Hic digniſſimam cognitu, eandemque fidei haud incertæ, narrationem [n] offendimus de magno illo, ſed & malæ famæ, Medico, *Doctore Fauſto*. Cui non ſit volupe audire *Tritemium*, in Epiſtola ad *Joannem Virdungum* [o] *de Hasfurt*, *Mathematicum doctiſſimum*, hoc de eo perhibentem teſtimonium?

Homo ille, de quo mihi ſcripſiſti, GEORGIUS SABELLICUS, *ſe principem necromanticorum auſus eſt nominare, gyrovagus, battologus, & circumcellio eſt: dignus, qui verberibus caſtigetur, ne temere deinceps tam nefanda & Eccleſiæ ſanctæ contraria publice audeat profiteri. Quid enim ſunt aliud tituli, quos ſibi aſſumit, niſi ſtultiſſimæ ac*

n) Nuper quoque hoc & præterea tria æque certæ fidei teſtimonia de *Fauſto* illo inſerui Ven. *Hauberi Bibliothecæ magicæ Tom. III pag. 188 ſeq.*

o) Ab hoc *Hasfurto*, Palatini Mathematico, patrem ſuum deſcribi ſibi, tum puerulo, curaſſe γενέθλια, refert *Melanchthon* in *Libro ſecundo Epiſtolarum* ſuarum, *a Peucero* editarum, *pag. 106 ſeq.*

ac veſanæ mentis inditia, qui [p] *ſe fatuum, non philoſophum, oſtendit? Sic enim titulum convenientem formavit: Magiſter* GEORGIUS SABELLICUS FAUSTUS JUNIOR, *fons necromanticorum, aſtrologus, Magus ſecundus, chiromanticus,* [q] *agromanticus, pyromanticus, in* [r] *hydra arte ſecundus. Vide ſtultam hominis temeritatem, quanta feratur inſania, ut ſe fontem necromantiæ profiteri præſumat, qui vere* [s] *omnium bonarum literarum ignarus, fatuum ſe potius appellare debuiſſet, quam Magiſtrum. Sed me non latet ejus nequitia. Cum anno priore de Marchia Brandenburgenſi redirem, hunc ipſum hominem apud Geilenhuſen oppidum inveni: de quo mihi plura dicebantur in hoſpitio frivola, non ſine magna ejus temeritate ab eo promiſſa. Qui mox, ut me adeſſe audivit, fugit de hoſpitio, & a nullo poterat perſuaderi, quod ſe meis præſentaret aſpectibus. Titulum ſtultitiæ ſuæ, qualem dedit ad te, quem memoravimus, per quendam civem ad me quoque deſtinavit. Referebant mihi quidam in oppido ſacerdotes, quod in multorum præſentia dixerit, tantam ſe omnis ſapientiæ conſecutum ſcientiam atque memoriam, ut, ſi volumina Platonis*

p) Pro *qui* reſcribendum credo *quibus*.

q) Videtur legendum *aeromanticus*.

r) Scribo *in hydromantia ſecundus*. De hac arte vid. *Auguſtinus Lib. VII de Civitate Dei Cap. 35*.

s) Cum infra, ſcholæ alicujus Rectorem fuiſſe *Fauſtum*, doceat *Trithemius*, hic *fere* eum, non *vere*, ſcripſiſſe neceſſe eſt.

nis & Ariſtotelis omnia cum tota eorum philoſophia in toto periſſent t) *ab hominum memoria, ipſe ſuo ingenio velut Ezras alter Hebræus reſtituere univerſa cum præſtantiore valeret elegantia. Poſtea, me Nemeti* u) *exiſtente, Herbipolim venit, eademque vanitate actus in plurimorum fertur dixiſſe præſentia, quod Chriſti Salvatoris miracula non ſint miranda; ſe quoque omnia facere poſſe, quæ Chriſtus fecit, quoties & quandocunque velit. In ultima quoque hujus anni quadrageſima venit* x) *Stauroneſum, & ſimili ſtultitia* y) *glorioſus de ſe pollicebatur ingentia, dicens, ſe in Alchimia omnium, qui fuerint unquam, eſſe perfectiſſimum, & ſcire atque poſſe, quicquid homines optaverint. Vacabat interea munus docendi ſcholaſticum in oppido memorato: ad quod* FRANCISCI ab SICKINGEN, *Balivi Principis tui, hominis myſticarum rerum percupidi, promotione fuit aſſumtus: qui mox nefandiſſimo fornicationis* z) *genere, cum pueris videlicet, voluptari cœpit: quo ſtatim deducto in lucem, fuga poenam declinavit paratam. Hæc ſunt, quæ mihi certiſſimo conſtant teſtimonio de homine illo, quem tanto venturum eſſe deſiderio præſtolaris. Cum venerit ad te, non philoſophum, ſed hominem fatuum & nimia temeritate agitatum, invenies. Vale 1507.*

Pag.

t) Scripſerat typographus *periſſet.*
u) Hoc eſt, Spiræ.
x) Significatur oppidulum Palatinatus *Crucenacum*, quod alibi quoque ita appellat *Tritbemius.*
y) Ita ſcripſi pro edito *ſtultitia.*
z) Male typographus ſcripſerat *formationis.*

Pag. 318-329.

Hoc paginarum tractu recenſet *Trithemius* ordine libros, a ſe compoſitos, partim editos, partim ineditos. Vocat eos *pag. 323 ſynthemata. Hæc*, inquit, *ſunt Synthemata mea, quæ in Abbatia Spanhemenſi me ſcripſiſſe, ad præſens memini.*

Pag. 338.

BILIBALDUS PIRCKENHEYMER *ſcripſit ad me, eam mihi conditionem a Regia Majeſtate* a) *diſpoſitam, qua, ſi velim, ſub certo ſufficientique ſtipendio, quoad vixero, libere mihi deinceps liceat in civitate Auguſtana philoſophari: domum quoque aptam cum ceteris vitæ neceſſariis copioſe fore conſtitutam.*

VI.

VOCES ALIQUOT LATINÆ, QUÆ IN LEXICIS VULGARIBUS FRUSTRA QUÆRUNTUR, EX PRISCIS AUCTORIBUS COLLECTÆ A FRID. OTTONE MENCKENIO.

PARS I.

Non me pudet aliquando in re parvula verſari, &, modo hoc contingat mihi, ut bonis literis utilis eſſe aliqua ex parte poſſim, facile patiar, tenuem putari & expertem omnis gloriæ laborem

a) Hoc eſt, ab Imp. *Maximiliano*.

rem noſtrum. Non enim ita ſum ignarus communis hominum de omni literarum genere judicii, ut non intelligam, vix poſſe minutius quidquam, & a ſplendore illo ſtudiorum, quem affectare hac ætate vel ſordidiſſimus quisque ſolet, ſejunctius, inveniri, quam nuda rerum nomina & vocabula inania, quorum ita eſſe parvam humilemque ſortem ſcimus, ut aptiſſima his addiſcendis ipſa non tam puerorum, quam infantum, ætas judicari, & ingenio hic tribui aut nihil prorſus, aut valde parum, ſoleat. Sed, ut recte mihi facere videntur, qui rem quamque vero magis pretio, & utilitate ſua, quam externa ſpecie, & opinione aliorum, æſtimandam putant, ita, ſi quem uſum habet hoc etiam vocum nominumque ſtudium, & in eodem ante me doctiſſimi viri non ſine quodam literarum commodo deſudarunt, non videtur deſperandum mihi, vel unum & alterum futurum, qui, cum Latinæ linguæ auctas magis, quam imminutas, a me copias, idque inprimis actum, videat, ne quid deinde lateat in libris veterum abſconditum, rem a me ſuſceptam nec inutilem, nec turpem, aut indecoram, putet. Nimirum, cum nulla eſſe ſine vocibus oratio poſſit, hujus autem elegantiam & dignitatem quidam verborum delectus efficiat, ſatis hinc apparet, curam hanc eorum, qui ſe literis dederunt, eſſe primam & quodammodo præcipuam debere, ut, quicquid Latinorum eſt vocabulorum, nec vulgaria tantum & ubivis obvia, ſed

ſed inprimis etiam inſolita, & quæ uſus rarioris ſunt, ex Auctorum generis & ævi qualiscunque ſcriptis colligant, & ex varia horum ſtructura veram componendi voces Latinas rationem cognoſcant. Præiverunt his laudabili exemplo viri illi boni ac induſtrii, qui magno animo ad condenda Latinæ linguæ Lexica ſe converterunt, eoque labore, inter plurimas herculei laboris moleſtias, ita ſunt perfuncti, ut Romani ſermonis ſtudioſi magna hinc & prorſus inſignia ſibi gaudeant ſubſidia parata. Habet autem inter libros hujus generis præcipuam, ni fallor, dignitatis commendationem, & ſuo quodam jure principatum tenet, notiſſimus ille, &, ſi famam ſpectes, vix parem ſui habens, *Baſilii Fabri Theſaurus*, nunc, poſt virorum in hac arte principum inſignes nobilesque curas, hoc nomine digniſſimus, iisque vocum Latinarum copiis inſtructus, ut nihil facile in aliorum libris, haud notatum *Fabro*, inveniatur, &, qui unum hunc *Theſaurum* teneat, is nullo ſuo incommodo ceteris poſſit, quæcunque ſunt, Latinæ linguæ *Lexicis* & *Promtuariis* carere. Sed eſt ſcilicet vaſtiſſimo mari ſimile hoc ſtudium, cui exhauriendo nulla unquam etiam diligentiſſimorum hominum induſtria ſufficiat; fitque interdum, ut, qui levi cura in veterum Auctorum lectione ſunt verſati, his inter legendum talia ſe offerant, quæ vel Criticorum omnis ævi, idque unice agentium per omnem vitam, acutiſſimos oculos effugerant. Qualia

ſi

ſi obſervare, & in proprios notare uſus, bonum judicatur, etiam, conferre in commune, & in lucem aliquam protrahere, præclarum eſt & ſalutare literis exiſtimandum. Pertinet enim hoc ad Latinæ linguæ quaſi gloriam & dignitatem, ut minutiſſimæ quæque ejus partes, & ſupellex univerſa vocum, ex antiquis monumentis, quæ magno noſtro commodo ad hanc ætatem ſunt tranſmiſſa, eruantur; nec quidquam eſt tam leve in hoc genere, quod non aliquando interpretanti veteres Auctores eſſe uſui inſigni poſſit. Qua in re, cum certo ſciam, conſentire mecum eos omnes, quibus vera eſt doctrinæ elegantioris ratio perſpecta; non eſt timendum mihi, ne quis meum hoc, inuſitata quædam, & ipſi illi *Fabro* parum cognita, vocabula hic colligendi, conſilium reprehendat, quippe eo animo ſuſceptum, ne nihil ex familiaritate illa, quam, contractam mihi olim cum Auctoribus antiquis, ad hunc usque diem non indiligenter colui, ad alios emolumenti redundaret, nec, qui magna & ſingularia de me promittere nunquam poſſum, literis negare videar hæc levia, quæ poſſum dare. Sed agenti hoc ipſum, verſantique in re jucunditatis parum, nec quidquam laureolæ, habente, ne favor aliquis Lectorum deſit, in dumetis his vocabulorum non tanquam in domicilio quodam commorabimur, ſed hæc leviter, ut ſolet tranſiens peregrinator, percurremus. Exequemur enim inſtitutum hoc per intervalla quædam, & univerſum illum, in adverſaria conjectum olim,

ver-

vocum nominumque apparatum in ſua velut genera diſpeſcemus, dicturi nunc de his, quæ ſolent *patronymica* & *gentilia* Grammaticis vocari, proxime de aliis, quocunque illa nomine vocentur. Ita autem de ſingulis dicemus, ut primum horum ſignificationem explicemus, deinde uſum oſtendamus, poſtremo, ſi qua alia notatu maxime ſunt digna, ea vel breviſſimis notemus; cetera autem, quæ vulgaria putantur, aut videntur ab hoc loco alieniora eſſe, eorum, qui talia inprimis curant, induſtriæ relinquamus. Accede jam, Lector, & de noſtro hoc, poſt meſſem *Fabri*, *Calepini*, *Stephani*, & aliorum, tenues legendi ſpicas conatu pro jure tuo libereque judica.

ÆOLIS. Locum datum in Lexico *Fabri* videmus *Æolo*, cum nominibus, inde ductis, *Æolia*, *Æoles*, *Æolides*, *Æolicus*, *Æolius*, *Æolipylæ*; ſed quibus addi debebat nomen *Æolis*, quod eſt Subſtantivum, & poetica ratione tribuitur *Canacæ*, filiæ quippe *Æoli*, regis ventorum, quam ab hoc, ob inceſtum, cum fratre *Macareo* commiſſum, interfectam, *Hyginus* teſtatur *Cap.* 238. Habet poeticum hoc *Æolidos* nomen unus, ni fallor, *Ovidius* in illa, quam *Canace Macareo* ſcripſit, *Epiſtola*, inter *Heroidas undecima*. Eſt hujus *verſus* 5:

Hæc eſt Æolidos *fratri ſcribentis imago;*

& *verſus* 24:

Prima mihi nutrix, Æoli, *dixit*, *amas*.

Sic etiam *Met. XI*, 574:

Æolis interea, tantorum ignara malorum,
Dinumerat noctes: &c.

Ubi *Æolis* eſt *Halcinoë*, *Æoli* filia.

ÆTOLIS. Simillimum, ſi formam, & compoſitionem, rationemque ſignificandi, ſpectes, paulo ante nominato *Æolis* vocabulum. Nihil de eo *Faber* te doceat, affinium huic vocum, *Ætolia*, *Ætolus*, *Ætolius*, *Ætolicus*, & *Panætolicus*, magis curioſus. Significatione patronymicum eſt, notans filiam *Ætoli*, ſeu regis Aetoliæ, propriumque *Dianiræ*, quæ fuit, ut ſatis ex Mythologicis conſtat, *Oenei*, regis Ætolorum, filia. Poſſis etiam *Ætolis* accipere pro ea, *quæ nata eſt in Ætolia*, ut accepit *Borch. Knippingius*; ut ſic hoc nomen, forma licet patronymicum, natura tamen & ſignificatione ſua ſit in numero gentilium ponendum. Grammaticis non ignota ſunt hujus generis vocabula. Invenire mihi licuit *Ætolidos* nomen in uno *Ovidii verſu 131 Ep. her. IX:*

Forſitan &, pulſa Ætolide *Deianira,*
Nomine depoſito pellicis, uxor erit.

Docet autem *Burmannus*, in uno Mediceo Codice pro *Ætolide* legi *Eonide*, unde forte legi poſſe *Oeneide Heinſius* crediderit; quod ipſum, ſi plurium Codicum auctoritate firmaretur, lubenter ego alteri *Ætolide* præferrem.

AMARYNTHIS. *Amarynthus*, Euboeæ inſulæ oppidum, nominatur in Lexico; ſed nihil de voce, inde ducta, *Amarynthis*, additur. Vocatur autem hoc nomine *Diana*, quod in hujus honorem *Amarynthi* ſacra anniverſa-

ria celebrari conſueverint, dicta hinc *ſacra Amarynthia*, quorum non adeo rara apud ſcriptores Græcos, *Pindarum*, *Heſychium*, *Pauſaniam*, mentio. Egit de his copioſe *Jo. Meurſius* in *Græcia feriatæ Lib. I*, ubi de voce Ἀμαρύνθια agit. Ipſa vox *Amarynthis* legitur in *Livii Lib. XXXV Cap. 38: Sacrum anniverſarium eo forte tempore Eretriæ* Amarynthidis *Dianæ erat: quod non popularium modo, ſed Caryſtiorum etiam, cœtu celebratur.* Ad quem locum nonnulla ex *Meurſii*, quem dixi, libro commemorantur in editione *Livii Drakenborchiana.*

APOLLONIAS. Non minori jure nominari in Lexico vox iſta merebatur, quam nominatæ ſunt *Apollonia*, *Apolloniatæ*, *Apolloniaticus*, *Apollonienſis*, *Apollonis*, & *Apollonidenſes*. Agnoſcit enim hæc ſtirpem ſuam nomen *Apollonia*, quippe notans *id, quod pertinet ad hanc urbem.* Mihi cognita eſt ex *Livio*, qui *agrum Apolloniatem* memorat *Lib. XLII Cap. 49: Cum iis Conſul Brundiſium ad exercitum, atque inde cum omnibus copiis, tranſvectus, ad Nymphæum in* Apolloniati agro *poſuit caſtra.* Compoſitionis uſitatiſſimæ vox eſt, ſolentque veteres ex nominibus urbium, quæ deſinunt in *a*, vel maxime voces, quarum ultima ſyllaba ſonat *as*, formare. Eſt autem nominis hujus numerus pluralis *Apolloniatæ*, notans *homines*, *ex Apollonia oriundos*, aut *eam incolentes*, ut bene *Faber* docet.

ARABUS, *a*, *um*. In Lexico Subſtantivi naturam habet hoc nomen, nec quidquam aliud, quam *incolam Arabiæ*, notat. Mihi

autem ipſis etiam videtur Adjectivis aggregandum, eandemque habere, quam *Arabicus*, hoc eſt, *pertinens ad Arabiam*, *oriundus ex Arabia*, ſignificationem. Nam, quæ natura eſt Adjectivorum, conjunctum hoc nomen cum Subſtantivis videmus in *Ovidii Ep. her. XV v. 76:*

Non Arabo *noſter* rore *capillus olet.*

Quam lectionem adverſus illam *Naugerii* & aliorum:

Non Arabum *noſter* dona *capillus olet*,

fortiter tuentur *Nic. Heinſius* & *Petrus Burmannus*. Sed, iidem, nollem, in rem ſuam traxiſſent Auctorum veterum exempla, in quibus *Arabus* idem eſt, quod *Arabs*, ſeu *incola Arabiæ*. Non enim illud quæritur hoc in loco, an *Arabus* pro *Arabe* dicatur, ſed, an idem valeat Auctoribus antiquis, quod *Arabicus*, ſeu, quod idem eſt, an vim Adjectivi habeat, hoc inprimis in controverſia eſt. Certe, ſi *Arabus* idem eſt, quod *Arabs*, vel hoc ipſo patet, ſignificationem Adjectivi minime habere: vix enim Auctoris veteris locum oſtendas, ubi *Arabs* vim, quam *Arabicus*, eandem habeat, aut aliud quidquam, quam *civem Arabiæ*, ſignificet. Quæcunque autem *Heinſius* ad firmandam vocis *Arabus* auctoritatem loca Auctorum attulit, ita comparata ſunt omnia, ut, *Arabum* eſſe *incolam Arabiæ*, probent; ut, etiam Adjectivi naturam eſſe huic nomini, appareat, his certe locis non efficies, quorum adeo nullus *Ovidiani* verſus lectionem hanc, quam ponit *Heinſius*, tuetur. Mihi certe, præ-

ter

ter hunc *Naſonis* verſum, exemplorum, ubi *Arabus* idem, quod *Arabicus*, ſignificet, nihil ſuccurrit; niſi hanc vim ei tribuas in loco *Plinii Hiſt. nat. Lib. XXXVI Cap.* 41: Arabus lapis *ebori ſimilis, dentifriciis accommodatur crematus*. Sic enim habere MStos omnes Codices, teſtatur *Jo. Harduinus*, qui &, *Arabus* hic poni pro *Arabicus*, eandemque hujus vocis in loco *Plinii*, quam in *Ovidii*, quem dixi, verſu, eſſe rationem ſignificandi, agnoſcit. Sed quid; ſi *Arabus* nomen eſſe proprium *lapidis*, poſitumque hic per appoſitionem, putetur? Ex *Plinio*, quod contra doceas, nihil habes. Sed juvat illud inprimis *Harduinum*, quod Græce etiam hic lapis vocetur ὁ λίθος Ἀράβιος, ut patet ex *Galeni Lib. IX de Fac. ſimp. med. pag.* 257. Eſſe autem Ἀράβιος in Subſtantivis ponendum, vix cuiquam veniat in mentem.

ARGEUS, *a, um.* Sita eſt in Achaja urbs valde nobilis, nomine *Argos*, unde Adjectiva deducta ſunt in Lexico, *Argivus*, *Argolicus*, *Argous*. His accedere ejuſdem ſignificationis vocabulum *Argeus* debebat, non ita Auctoribus antiquis, ſicut *Fabro*, incognitum. Videmus inprimis adjunctum hoc nomen a Poetis *Tiburi*, antiquiſſimæ urbi Italiæ, quippe a *Tiburto*, cive Argivo, conditæ. *Ovidius Amor. Lib. III Eleg.* 6 *v.* 46:

Tiburis Argei *ſpumifer arva rigas.*

Cui loco doctiſſimas Notas *Heinſius* & *Burmannus* addiderunt. *Horatius Lib. II Od.* 6 *v.* 5:

Tibur Argeo *poſitum colono.*

Martialis Lib. IV Ep. 17:

Tu colis Argei *regnum, Fauſtine,* coloni:

Quo te bis decimus ducit ab urbe lapis.

Ita enim legi in optimis membranis, non, quod libri vulgati habent, *Argivi coloni*, *Nic. Heinſius* in Nota, quam dixi, ad verſum *Naſonis* teſtatur. Eidem *Heinſio* in *Guntheri Lib. IV Ligurini* legendum videtur:

Inter & Argéas *pomoſi* Tiburis *arces,*

pro vulgari *Argoas famoſi* &c. Feliciſſima, ni fallor, ut ſolent *Heinſianæ* omnes, emendatio.

ASCRÆUS, Subſt. In Lexico Adjectivum legitur *Aſcræus*; non item Subſtantivum. Neque vero negaverim, proprie & natura ſua debere hanc vocem in Adjectivis poni; ſed illud mihi velim dari, habere eam commune hoc cum aliis Adjectivis, ut interdum gaudeat vi Subſtantivi. Nam, cum vulgati ſit uſus *Aſcræus vates*, *Aſcræum carmen*, ſit tamen interdum, ut *Aſcræus* ſimpliciter pro *vate Aſcræo*, quo nomine Poetæ vocant *Heſiodum*, ponatur. Idem *Ovidius*, qui habet *Aſcræas oves Lib. VI Faſt. v. 14:*

- - - Aſcræas *cum ſequeretur* oves,

Aſcræum, non addita alia voce, dixit *Heſiodum Lib. I Amor. El. 15 v. 11:*

Vivet & Aſcræus, *dum muſtis uva tumebit;*

& *Art. am. Lib. II v. 4:*

Præferar Aſcræo, *Mæonioque ſeni.*

Poeticam hic rationem non difficile agno-

ſcam;

ſeam; modo hoc concedatur, *Aſcræus* hic habere formam & naturam Suſtantivi.

AVENTINUM. In Lexico mons ille urbis Romæ *Aventinus* tantum dicitur. Itaque operæ fuerit pretium, notare, etiam neutro genere montem hunc *Aventinum* vocari. Docent hoc ipſum tria loca *Livii*, de quorum integritate haud licet dubitare. Nimirum *Lib. I Cap 33*: *Et, cum circa Palatium, ſedem veterum Romanorum, Sabini Capitolium atque arcem, Coelium montem Albani, impleſſent,* Aventinum *novæ multitudini datum.* Ubi neutro genere *Aventinum* poſitum, miratur *Glareanus*, &, neſcire ſe, ait, an ita quisquam alius. Sed huic reſpondet *Sigonius*, etiam *Dionyſio Halicarnaſſenſi* montem hunc paſſim τὸ Ἀβεντῖνον vocari. Eodem *Capite Livius*: - - *quibus, ut jungeretur Palatio* Aventinum, *ad Murciæ datæ ſedes.* Denique *Lib. III Cap. 67*: *Adverſus nos* Aventinum *capitur, adverſus nos ſacer occupatur mons.* Ad quem locum hæc notat *Doujatius*: Aventinus *mons maſculino plerumque genere effertur; hic neutro, quaſi ſubintelligatur* jugum. Non probat hæc Cl. *Arn. Drakenborchius*, nuperrimus *Livii* editor, hoc in *Doujatium* telo utens: *Verum ita ſtatuendum foret,* Aventinus *nomen adjectivum eſſe, quod genere maſculino adhiberetur, ſubintellecta voce mons, neutro vero, ſubintellecto* jugum. Satisne certa hæc ſit concludendi ratio, non definio. Mihi non videtur neceſſe hoc eſſe, ut, qui *Aventinum* in Adjectivis ponendum putat, is ſimul in eundem numerum referat alterum *Aventinus*. Poteſt enim *Aventinus* utrumque eſſe,

& Adjectivum & Subſtantivum, ut ſunt ſimilia multa nomina, quibus vim eſſe utramque, ſatis eſt cognitum. Fieri igitur poteſt, ut *Aventinus Livio* nunc ſit Subſtantivum, nunc, cum neutro genere uſurpatur, Adjectivum. Eſſe autem Subſtantivum *Aventinus*, facile concesſerim *Drakenborchio*, inprimis ob id, quod inde formetur Adjectivum *Aventinienſis*, (ita enim legi debere in *Valerii Maximi Lib. VII Cap. 3 §. 1*, non, quod *Sigonius* ad *Livii Lib. I Cap. 6*, & *Drakenborchius* ad *Livii Lib. III Cap. 67*, volunt, *Aventinenſis*, Codicum MStorum fide *Pighius*, *Vorſtius*, & *Torrenius* ad *h. l. Valerii*, & *J. F. Gronovius* ad *Livii Lib. XXVIII Cap. 26*, docent,) & ob verſum *Ovidii Faſt. Lib. IV v. 51*:

> *Venit* Aventinus *poſt hos, locus unde vocatus:*
> *Mons quoque: poſt illum tradita regna Procae*;

& *Metam. Lib. XIV v. 620*:

> *Fratre ſuo ſceptrum moderatior Acrota forti*
> *Tradit* Aventino: *qui, quo regnarat, eodem*
> *Monte jacet poſitus, tribuitque vocabula monti*;

& *Livii Lib. I Cap. 3*: *Is* (Aventinus), *ſepultus in eo colle, qui nunc eſt pars Romanae urbis, cognomen colli fecit.* Neque adeo mihi dubium videtur, quin *Aventinum* etiam poſſit inter nomina Subſtantiva locum tueri, inprimis cum non deſint ſimilia exempla, nec tantum *Saguntus*, *Ilios*, *Neritos*, ſed etiam *Saguntum*, *Ilion*, *Neriton*, dicatur. Ceterum mirari vix ſatis licet, qui factum ſit, ut, eſſe etiam Adjectivum *Aventinus*, negaverit, atque eo nomine *Doujatium* re-

pre-

prehenderit doctiſſimus *Drakenborchius*, cui ignota eſſe vix poterant manifeſta *Naſonis* loca: *Lib. VI Faſt. v. 728*:

Coepit Aventina *Pallas in* arce *coli*;

Eod. Lib. v. 82:

Cacus Aventinam *ſanguine tinxit* humum;

Lib. I v. 551:

Cacus, Aventinæ *timor atque infamia* ſylvæ;

Lib. III v. 329:

Conſtat, Aventinæ *tremuiſſe cacumina* ſylvæ;

Lib. IV v. 67:

Hoſpes Aventinis *armentum pavit in* herbis &c.

Eod. Lib. v. 816:

Alter Aventinum *mane* cacumen *adit*;

& *Lib. III v. 884*:

- - - - *Hujus quoque tempora menſis*
Finit Aventino *luna colenda jugo*.

Cujus poſtremi verſus auctoritate fortiter ſe tueri *Douiatius* adverſus *Drakenborchium*, atque hoc probare, poteſt, non adeo inepte ſub voce *Aventinum* in locis *Livianis* intelligi *jugum*. Ex his omnibus patet, ſive Subſtantivum, ſive Adjectivi genus neutrum, putetur *Aventinum*, neutram ſententiam certis ſuis ac idoneis rationibus carere.

BARCINUS, *a, um*. Nota mihi vox ex *Livio*, qui *Barcinæ factionis*, aut *familiæ*, rem Carthaginienſium publicam turbantis, variis in locis mentionem facit, ſed de ortu aut vocis, aut ipſius factionis, nihil addit. Non improbabilis conjectura eſt *Mureti Var. Lect. Lib. XIX Cap. 17*, *Barcinus* ortum eſſe a *Barcas*, aut *Bar-*

ca, quo cognomine uſum *Hamilcarem*, imperatorem Carthaginienſium, ex *Polybii Lib. I Cap.* 56, 62, *Appiani Iberic. pag. m.* 428, & *Cornelio Nep.* in *Hamilc. Cap.* 1, conſtat. Etiam *Frontino Barca*, dux Poenorum, memoratur *Lib. III Cap.* 10 §. 9. Docte diligenterque de hoc nomine, quod & *Barcha*, aut *Barobas*, nonnullis ſcribitur, egerunt *Franc. Oudendorpius* ad *Frontini l. c.* & *Auguſtinus van Staveren* ad *Nepotis l. c.* quibus, vix eſt, quod a me addi poſſit. Sed *Plutarcho* etiam in *Fabio pag. m.* 184 Βάρκας vocatur *Mabarbal*, *Himilconis*, ſive, quod aliis videtur, *Adherbal*, *Bomilcaris* filius, qui, *Hannibalem* uti victoria non poſſe, dixiſſe memoratur. Ab hoc æque, ac ab *Hamilcare*, ductum eſſe potuit *Barcinæ factionis* nomen. Sed forte ab alio, etiam, inter Carthaginienſes nobili, etſi nobis haud ſatis cognito; nam, gentilitium fuiſſe olim nomen *Barcas*, vel illa *Silii Lib. I v.* 72 docent:

- - - - - - - - - - - - - *ortus*
Sarrana priſci Barcæ *de gente* &c.

& alia *Virgilii Lib. IV Aen. v.* 632:

- - - - Barcen *genitricem affata Sichæi*.

Ubi *Servius*: *Hoc cognomen familiæ Annibalis fuit*. Mihi ſatis ſit, vocem *Barcinus* Latio, aut, ſi mavis, Lexicis Latinæ linguæ, reddidiſſe, &, quæ eam ſervant, loca adduxiſſe *Livii*; *Lib. XXI Cap.* 2: *Medius Hasdrubal inter patrem & filium octo ferme annos imperium obtinuit; flore ætatis (uti ferunt) primo Hamilcari conciliatus: gener inde ob altam indolem provecto annis adſcitus, &, quia gener erat*, factio-

nis

nis Barcinæ *opibus, quæ apud militem plebemque plus quam modica erant, haud ſane voluntate Principum, imperio potitus.* Ubi *Drakenborchius* in Nota: Barchinæ, *vel* Brachinæ, *tantùm non omnes MSti. Sed* Barcinæ *fere ſemper aliis locis ſcribere optimum Put. Cod. infra teſtatur* Gronov: ad XXIII, 12, 6. Ita exſcriptum tamen eſſe in Codice etiam Florentino, idem *Drakenborchius*, ad *Livii XXIII, 12, 6,* teſtatur. Accedant nunc alia *Livii* loca: *Lib. XXI Cap. 3: Hunc vixdum puberem Hasdrubal literis ad ſe arceſſierat: actaque res etiam in Senatu fuerat,* Barcinis *nitentibus, ut aſſueſceret militiæ Hannibal, atque in paternas ſuccederet opes. Eod. Lib. Cap. 9: Literas igitur nuntiosque ad principes* factionis Barcinæ *præmittit, ut præpararent ſuorum animos, ne quid pars altera gratificari pro Romanis poſſet. Cap. 10: Nec unquam, donec ſanguinis nominisque* Barcini *quisquam ſuperſit, quietura Romana fœdera.* In *Epit. Lib. XXIII: Poſt quem nuntium Hanno, vir ex Poenis nobiliſſimus, ſuadebat ſenatui Carthaginienſium, ut pacem a populo Romano peterent: nec tenuit, obſtrepente* Barcina factione. *Eod. Lib. Cap. 12: Secundum hæc dicta Magonis lætis omnibus, Himilco, vir* factionis Barcinæ, *locum Hannonis increpandi eſſe ratus,* &c. *Cap. 13: Haud multos movit Hannonis oratio. Nam & ſimultas cum* familia Barcina *leviorem auctorem faciebat* &c. *Lib. XXV Cap. 32: - - M. Cornelius cum tertia parte veteris exercitus, Celtiberis adjunctis, cum Hasdrubale* Barcino *bellum gereret. Cap. 39: In*

ea

ta fuiſſe clypeum argenteum pondo centum trigi
ta octo, cum imagine Barcini *Hasdrubalis. Li*
XXVIII Cap. 12: Ibi tum Hasdrubal Gisgoni
maximus clariſſimusque eo bello ſecundum Barc
nos *dux, regreſſus ab Gadibus*, &c. *Lib. XX*
Cap. 42: Inſignis tamen inter ceteros Hasdr
bal erat, - - pacis ſemper auctor, adverſusqu
factioni Barcinæ. *Lib. XXXIV Cap. 61: In*
maxime hæſitabat, quod cum Barcinæ *ſolum fa*
ctionis *hominibus collocutum eum arguebant.* Ni
hil ex his omnibus, qui, & unde orti, aut dicti
Barcini, intelligas, etſi, magnæ in Poeno
rum republica fuiſſe poteſtatis, ſatis hinc con
ſtare poſſit.

BASTARNA. Gentem *Baſtarnarum* nomina
& deſcribit *Faber*; ſed, an ſingulari etiam nume
ro *Baſtarna* dicatur, minime hinc diſcas. Do-
cebimus igitur Lectores, etiam *Baſtarnam*,
unum ex *Baſtarnarum* gente, memorari *Livio*
Lib. XL Cap 57: Inde pragreſſi, qui nuntiarent
Regi, Antigonus & Cottio: nobilis is erat Ba-
ſtarna.

BITHYNIS. Vocibus *Bithynia*, *Bithynus*, *Bi-*
thynicus, in Lexico adductis, accedere ex me-
rito debet *Bithynis*. Vocatur hoc nomine *Me-*
lia, Nympha, quam *Inachus*, aut, ſi mavis,
Neptunus, amavit, *Ovidio Amor. Lib. III El.*
6 v. 25:

Inachus in Melie Bithynide *pallidus iſſe*
Dicitur, & gelidis incaluiſſe vadis.

Quæ fuerit hæc *Melia*, aut *Melie*, ſatisne
etiam ſe recte habeat *Ovidiani* hujus verſus le-
ctio,

ſio, mire in eo diſcrepant interpretes, quorum ſententias in editione *Ovidii Burmanniana* collectas vides. Mihi ſatis ſit, bene ſibi conſtare in hoc verſu vocem *Bubynidos*; nec dubium eſt, ea notari *civem Bithynia*, aut *natam in Bithynia*. Ejusdem formæ ſunt *Æolis* & *Æolis*, paulo ante nominatæ. Græcis inprimis voces, hoc modo formatæ, familiares ſunt, quæ deinde in Latium migrarunt. Et ipſa quidem Βιθυνὶς Μελίη exſtat in *Apollonii Libro II*:

- - - - - ὅν ποτε Νύμφη
Τίκτε Ποσειδάωνι γενεθλίῳ εὐνηθεῖσα
Βιθυνὶς Μελίη.

Et *Apollodoro Amycus* dicitur *filius Bithynidos Biblioth. Lib. I*: Ἀμύκος Ποσειδῶνος παῖς καὶ Βιθυνίδος. Ubi vocem unam excidiſſe, ſcribendumque καὶ Μελίης Βιθυνίδος, *Nic. Heinſii* conjectura eſt in *Nota ad l. c. Ovidii.*

BOIUS. In Lexico nominantur *Boii*, gens univerſa conjunctim ſumta; ſingularem nominis numerum *Boius* fruſtra quæras. Explebimus igitur hanc lacunam, vel unum proferendo locum *Livii Lib. XXXIX Cap. 42*: *Forte, epulantibus iis, cum jam vino incaluiſſent, nunciatum in convivio eſſe, nobilem* Boium *cum liberis transfugam veniſſe.* Eſſe autem *Boium* unum ex Bojorum gente, vel me tacente intelligis.

CÆCUBUS, *a*, *um*. Si dudum in Lexico locum putavit *Faber* Subſtantivo *Cæcubum*, quod fuit oppidum Campaniæ, & huic ſimili *Cæcubum*, *vinum urbis* notanti; quæ cauſa eſt, cur omiſerit nomen adjectivum *Cæcubus*, notiſſimum

mum ſcriptoribus antiquis, certe magis notu[m] quam ipſum oppidum, cujus inter Græc[os] unus *Strabo*, Latinorum, quod ſciam, nu[l]lus, meminit? Habes *Cæcubam vindemiam* apu[d] *Martialem Lib. VI Ep. 27 v. 9:*

Cæcuba *non ſolos* vindemia *nutriat orbos*
agrum Cæcubum apud *Columellam de re ruſt. Lib. II Cap. 8 §. 5: Neque enim dubium eſt, Maſſici, Surren[t]inique, & Albani, atque* Cæcubi, agri *vite[s] omnium, quas terra ſuſtinet, in nobilitate vin[i] principes eſſe;* & apud *Plinium Hiſt. nat. Lib. I[I] Cap. 96: Quædam inſulæ ſemper fluctuant, ſicu[t] in* agro Cæcubo; *Lib. III Cap. 9: Hinc Setin[i] &* Cæcubi *protenduntur* agri; & *Lib. XIV Cap. 5: Digna opera, quæ in* Cæcubis *Setiniſque* agris *pro-ficeret;* porro *Cæcubas vites* apud eundem *Plinium Lib. XVII Cap. 3:* Cæcubæ vites *in Pontinis paludibus madent;* denique *vina Cæcuba* apud *Horatium Lib. II Sat. 8 v. 15:*

- - - *procedit fuſcus Hydaſpes,*
Cæcuba vina *ferens.*

Nec, quod *Cæcubum* in variis Auctorum locis, non addito *vini* nomine, pro *vino Cæcubo* accipitur, ideo Subſtantivum eſt *Cæcubum*, ſed retinet tunc naturam Adjectivi, omiſſo per ellipſin, ut plerumque fit, *vini* nomine. Eadem eſt ratio vocum *Maſſicus & Maſſicum*, ut vel ex Lexico diſcas. Dicta hæc ſibi *Faber* putet; non item *Stephanus*, *Fabro* hic diligentior, & ad nomen Adjectivum *Cæcubus* referens exempla ea omnia, quæ ad Subſtantivum *Cæcubum* a *Fabro* ſunt relata.

CÆNI-

CÆNINUS, CÆNINENSIS, Adjectiva. Non ignorat *Faber Cæninam*, ſeu *Cœninam*, urbem Sabinorum, Romæ vicinam, ſed, quæ inde ducta ſunt, nomina *Caninus* & *Caninenſis* nihil curat. Hæc forma magis, quam ſignificatione, differunt; notat enim utrumque horum civem urbis *Canina*, ſeu *ex urbe* illa *ortum*, aut *qui quomodocunque pertinet ad urbem illam. Caninenſes* adverſus Romanos bellum parare dicuntur *Livio Lib. I Cap. 10*: Cæninenſes *Cruſtuminique & Antemnates erant, ad quos ejus injuriæ pars pertinebat. - - - Ne Cruſtumini quidem atque Antemnates, pro ardore iraque* Cæninenſium, *ſatis ſe impigre movent.* Ex eodem *Livii Capite* vocis etiam *Caninus* ratio cognoſcitur. Eſt enim huic *nomen Caninum* idem, quod *populus Caninenſis*. Sic ille: *Ita per ſe ipſum* nomen Cæninum *in agrum Romanum impetum facit.* Ubi *nomen Caninum* eodem modo dicitur, quo *nomen Fabium Lib. II Cap. 45*: Fabium nomen, *Fabia gens, maxime emicuit*; & *Cap. 42*: *Inviſum erat* Fabium nomen *plebi propter noviſſimum Conſulem*; & eodem *Capite*: Fabium *inde* nomen *ingens - - - habitum*; *Cap. 46*: *ut* Fabio nomine *eſt dignum*; aut *Latinum nomen Lib. II Cap. 22*: *Nunquam alias ante publice privatimque* Latinum nomen *Romano imperio conjunctius fuit*; aut *Hernicum nomen Lib. IX Cap. 43*: *Incolumi* Hernico nomine *miſſitaverant ſimul cum iis Samniti auxilia*; aut *Volſcum nomen Lib. III Cap. 8*: *Ibi* Volſcum nomen *prope deletum eſt*; & *Lib. II Cap. 35*: *Longe is tum princeps* nominis Volſci *erat.*

nat. Nec ſolus *Livius*, ſed *Propertius* etian
uſus eſt nomine *Caninus*, isque *Lib. IV E*
10 v. 7:

Tempore quo portas Cæninum Acronta *petenter*
Victor in everſum cuſpide fundis equum.
Acron Herculeus Cænina *victor ab* arce,
Roma, tuis quondam finibus horror erat.

CEPHEIUS, *a, um.* A *Cepheus* adjectivum no
men *Cepheus* deducitur in Lexico, ſed de cujus in
tegritate valde ego dubitem, ſi non aliund
habeat auctoritatem, quam ex *Naſonis* verſu *Lib*
IV. Met. v. 668:

Aethiopum populos, Cepheaque *conſpicit arva.*

Eſſe enim corruptam hanc lectionem, & pro *Cepheaque* legendum *Cepheia*, fide optimorum Codicum oſtendit *Nic. Heinſius.* Non male igitur feceris, ſi deleas in Lexico vocem *Cepheus*, & in locum hujus reponas aliam *Cepheius*, a *Fabro* præter meritum neglectam, quam veteri Latio, præter hunc, quem attuli, hi etiam *Naſonis* verſus vindicant: *Ep. her. XV v. 35:*

Candida ſi non ſum, placuit Cepheia *Perſeo*
Andromede, *patriæ fuſca colore ſuæ;*

& *Lib. III Amor. v. 17:*

At non invidiæ vobis Cepheia virgo *eſt,*
Pro male formoſa juſſa parente mori.

Eſt autem *Cepheia Andromede, Cepheia virgo,* idem, quod *nata ex Cepheo*, quem fuiſſe patrem *Andromedes*, Mythographi docent.

CILNIUS, *a, um.* Legitur in Lexico Subſtantivum *Cilnius*, gentis Hetruſcæ nomen; cui, recte feciſſet *Faber*, ſi addidiſſet ejusdem formæ

adje-

adjectivum nomen. Habes enim hoc ipſum in duobus locis *Livii*, vitioſé olim exſcriptis, ſed nunc doctiſſimorum cura & ingenio interpretum ita emendatis, ut integerrima haberi poſſint. Horum alter eſt *Lib. X Cap. 2: Etruriam rebellare, ab Arretinorum ſeditionibus motu orto, nuntiabatur; ubi* Cilnium genus *prapotens, divitiarum invidia pelli armis cœptum* &c. Hic pro *Cilnium* olim *Licinium* legebatur; nec deſunt, in quibus ita exſcriptum eſt, MSti Codices. Primus autem ex vetuſtiſſimo libro *Cilnium* reſtituit *Juſtus Lipſius*; quem ſecuti ſunt doctiſſimi quique interpretum, & inter eos *Drakenborchius*, in cujus editione *Livii* ita, ut dixi, verba hæc exſcripta ſunt. Alter locus eſt *Lib. X Cap. 5: Habes auctores, ſine ullo memorabili prælio pacatam ab Dictatore Etruriam eſſe, ſeditionibus tantum Arretinorum compoſitis, &* Cilnio genere *cum plebe in gratiam reducto.* Reſtituit hunc etiam locum *Lipſius*, cum, quod *Drakenborchius* teſtatur, tantum non omnes Codices & editiones ante illam *Gruteri* haberent *Licinio.*

CLUILIUS, *a, um.* Inter Albanos fuiſſe Regem *C. Cluilium*, conſtat ex *Livii Lib. I Cap. 22: Imperitabat tum C.* Cluilius *Albæ.* Proprium hoc Regis nomen ortum dedit adjectivo *Cluilius.* Ex ejusdem enim, quem dixi, *Livii Lib. I Cap. 23* diſcimus, originem traxiſſe ab hujus Regis nomine *foſſam Cluiliam*, qua caſtra ſua, haud procul urbe Roma poſita, circumdederant Albani. *Albani*, ait ille, *priores ingenti exercitu in agrum Romanum*

impetum fecere. Caſtra ab urbe haud plus quinque millia paſſuum locant; foſſa circumdant; foſſa Cluilia *ab nomine ducis per aliquot ſecula appellata eſt, donec cum re nomen quoque vetuſtate abolevit. In his caſtris* Cluilius, *Albanus Rex, moritur.* Ejusdem *foſſæ* mentio occurrit in *Livii Lib. II Cap. 39: Ad* foſſas Cluilias *quinque ab urbe millia paſſuum caſtris poſitis, populantur inde agrum Romanum:* &c. A *Livio* diſſentiunt quodammodo *Dionyſius Halic. Lib. VIII pag. m. 496,* & *Plutarchus* in *Coriolano pag. m. 227,* quibus *foſſæ* hæ vocantur *Clœliæ. Feſtus* etiam voce *Clœliæ, foſſas Clœlias* a *Clœlio,* Albanorum Rege, traxiſſe nomen, ſcribit. Quorum ſcriptorum auctoritas tantum valuit apud *Car. Sigonium,* ut, emendanda verba *Livii,* putaret, & in his pro *Cluilius* legere nos *Clœlius,* pro *Cluilia Clœlia,* juberet. Sed, nulla hic opus eſſe emendatione, judicabis, ſi conjecturam ſequaris valde probabilem *Jac. Perizonii* & *Arn. Drakenborchii,* utrumque nomen eidem genti, nec minorem auctoritatem *Livio,* quam *Dionyſio* ac ceteris, tribuentium, illius in *Diſſertat. de Prætorio* §. 10, hujus in *Nota ad Livii Lib. I Cap. 22* §. 4.

CYTHEREUS, *a, um.* Ita docent Lexicographi ad unum omnes, nomen illud *Cytherea, Veneri* tribui a Poetis ſolitum, ponendum in Subſtantivis eſſe; quod nihil ipſis cognitum ſit exemplorum, ubi non ſimpliciter *Cytherea* pro *Venere* dicatur. Non eſt alioqui moris mei, a majorum tramite temere deflectere; ſed hoc in loco non deeſſe mihi rationes videntur, quæ,

haben-

habendum potius in Adjectivis eſſe, quam in Subſtantivis, nomen *Cytherea*, mihi perſuadere poſſint. Nam, quod plerumque ſolum hoc vocabulum, non addito *Veneris* nomine, uſurpatur, fieri hoc magis putem elliptica quadam ratione, Poëtis, ut omnes ſciunt, uſitatiſſima, quam quod ea ſit natura vocis, ut idem prorſus valeat, quod *Venus*, neque adeo cum voce hac conjungi poſſit. Eſt eadem ratio nominis *Cytheria*, quod Subſtantivi vim habere, omnes vident, in verſu *Ovidii Metam. X*, 640:

— — Cytherea, *comprecor*, *auſis*
Adſis, *ait*, *noſtris*;

ſed quod Adjectivorum numero excludi minimo patiuntur ejuſdem *Naſonis* verſus *Metam. X*, 529:

Capta viri forma non jam Cythereia *curat*
Litora;

XIII, 625:

Fert humeris venerabile onus Cythereius *heros*;

XIV, 584:

Tempeſtivus erat cœlo Cythereius *heros*;

Faſt. III, 611:

Senſit, *&* *alloquitur trepidam* Cythereius *heros*;

& *IV*, 195:

— — menſis Cythereius *illi*
Ceſſit.

Ut igitur *Cythereius* eſt adjectivum nomen; ſic mihi etiam a *Cythera* ductum videtur *Cythereus*, *a*, *um*, non inuſitata componendi ratione. Quod vero fœmineo magis, quam maſculo, genere, nomen hoc Scriptoribus antiquis uſurpatum ſit,

 id

ctum caſu quodam putari debet, & in aliis nominibus, quæ certo conſtat adjectiva eſſe æque fieri, ac in hoc, potuit. Præbet autem imprimis conjecturæ meæ firmum aliquod præſidium verſus ille *Horatii Lib. I Od. 4, 5*:

Jam Cytherea choros ducit Venus;

ubi additum eſt voci huic Subſtantivum illud, quod ab aliis Poetis per ellipſin poeticam omiſſum eſt. Quis enim non malit ita accipere hæc verba, ut *Cytherea Venus* idem ſit, quod *Venus, quæ in inſula Cythera colitur*, quam cum *Th. Bentleio* Angl. *illud Venus plane otioſe poſitum* putare? Parum certe ponderis habet ratio *Bentleiana*: *Neque enim ipſe Horatius alibi, nec ullus Poetarum Latinorum*, Cytherea Venus *dixit, ſed ſimpliciter* Cytherea. Commode hoc fieri potuit, ut Poetæ ſimpliciter *Cytherea* pro *Cytherea Venus* ponerent, quod nemo facile lectorum dubitaret, ſub voce hac intelligi *Venerem*, quippe quæ una nobilitavit inſulam *Cytheram*, & una adeo voci *Cythereus* accommodari poteſt. Satis eſt, addi etiam poſſe nomen *Veneris*, idque additum ab *Horatio*, cui tribuere voculas inutiles & otioſe poſitas, idem eſt, ac Latinæ linguæ vim & rationem ignorare. Accedat autem verſui *Horatiano* alius *Ovidii Faſt. IV, 15*, unde his, quæ diximus, roboris haud parum poteſt:

Et vatem: & *menſes, ſcis, Venus, eſſe tuos.*
Mota Cytherea *leviter mea tempora myrto*
Contigit.

In cujus verſus lectione niſi non conſentiant

 omnes,

omnes, *Heinſio* inprimis, fide aliquot Codicum, pro *Cytherea* legentes *Cytheriaca*; habent tamen antiquiores editiones, quarum multæ in caſtigatiſſimis ſunt habendæ, conſtanter *Cytherea*, nec a probanda hac lectione alienum ſe præbet *Andr. Naugerius*, cum quo etiam feciſſe *Douſam*, teſtatur *P. Burmannus*, docens præterea, in Codice Berneſi legi *Cytherea*. Non injucundum Lectori putem, auctiora hic legiſſe, quæ jam olim de voce *Cytherea* a me dicta ſunt in *Specimine ſecundo Animadverſionum in Baſ. Fabri Theſaurum Latinæ linguæ.*

DANAUS, a, um. Habet *Faber* Subſtantivum *Danaus*, quod eſt nomen proprium Regis Ægypti: habet & aliud *Danai*, notans *Græcos*; ſed de Adjectivo *Danaus*, notante *id, quod pertinet ad Danaos*, nihil ille quarentem docet. At plena ſunt hujus vocis carmina *Naſonis*; ut mirum ſit, nihil horum locorum cognitum fuiſſe *Fabro*. Sunt autem hæc. *Ep. her. VIII v. 14.*

Cum Danaus *Phrygias ureret igne rates*;

& v. 24.

Nec tu mille rates ſinuoſaque vela pararis,
Nec numeros Danai militis: *ipſe veni.*

Ep. III v. 66.

Quid lacerat Danaas *impiger Hector* opes?

Rem. Amor. v. 66.

Nec manibus Danais *Pergama victa cadent.*

Ita enim legi in optimis Codicibus, non, quod libri vulgati habent, *Danaum*, *Nic. Heinſius* teſtatur. Porro *Met. Lib. XIII v. 59.*

Prodere rem Danaam *finxit*; &c.

ea fuiſſe clypeum argenteum pondo centum triginta octo, cum imagine Barcini *Hasdrubalis. Lib. XXVIII Cap.* 12: *Ibi tum Hasdrubal Gisgonis, maximus clariſſimusque eo bello ſecundum* Barcinos *dux, regreſſus ab Gadibus*, &c. *Lib. XXX Cap.* 42: *Inſignis tamen inter ceteros Hasdrubal erat, - - pacis ſemper auctor, adverſusque* factioni Barcinæ. *Lib. XXXIV Cap.* 61: *In eo maxime hæſitabat, quod cum* Barcinæ *ſolum* factionis *hominibus collocutum eum arguebant.* Nihil ex his omnibus, qui, & unde orti, aut dicti, *Barcini*, intelligas, etſi, magnæ in Poenorum republica fuiſſe poteſtatis, ſatis hinc conſtare poſſit.

BASTARNA. Gentem *Baſtarnarum* nominat & deſcribit *Faber*; ſed, an ſingulari etiam numero *Baſtarna* dicatur, minime hinc diſcas. Docebimus igitur Lectores, etiam *Baſtarnam*, unum ex *Baſtarnarum* gente, memorari *Livio Lib. XL Cap* 57: *Inde progreſſi, qui nuntiarent Regi, Antigonus & Cotto: nobilis is erat* Baſtarna.

BITHYNIS. Vocibus *Bithynia*, *Bithynus*, *Bithynicus*, in Lexico adductis, accedere ex merito debet *Bithynis*. Vocatur hoc nomine *Melia*, Nympha, quam *Inachus*, aut, ſi mavis, *Neptunus*, amavit, *Ovidio Amor. Lib. III El. 6 v. 25*:

Inachus in Melie Bithynide *pallidus iſſe*
Dicitur, & gelidis incaluiſſe vadis.

Quæ fuerit hæc *Melia*, aut *Melie*, ſatisne etiam ſe recte habeat *Ovidiani* hujus verſus lectio,

ctio, mire in eo diſcrepant interpretes, quorum ſententias in editione *Ovidii Burmanniana* collectas vides. Mihi ſatis ſit, bene ſibi conſtare in hoc verſu vocem *Bithynidos*; nec dubium eſt, ea notari *civem Bithyniæ*, aut *natam in Bithynia*. Ejusdem formæ ſunt *Æolis* & *Ætolis*, paulo ante nominatæ. Græcis inprimis voces, hoc modo formatæ, familiares ſunt, quæ deinde in Latium migrarunt. Et ipſa quidem Βιθυνὶς Μελίη exſtat in *Apollonii Libro II*:

- - - - ὅν ποτε Νύμφη
Τίκτε Ποσειδάωνι γενεθλίῳ εὐνηθεῖσα
Βιθυνὶς Μελίη.

Et *Apollodoro Amycus* dicitur *filius Bithynidos Biblioth. Lib. I*: Ἀμύκος Ποσειδῶνος παῖς καὶ Βιθυνίδος. Ubi vocem unam excidiſſe, ſcribendumque καὶ Μελίης Βιθυνίδος, *Nic. Heinſii* conjectura eſt in *Nota ad l. c. Ovidii*.

BOIUS. In Lexico nominantur *Boii*, gens univerſa conjunctim ſumta; ſingularem nominis numerum *Boius* fruſtra quæras. Explebimus igitur hanc lacunam, vel unum proferendo locum *Livii Lib. XXXIX Cap. 42*: *Forte, epulantibus iis, cum jam vino incaluiſſent, nuntiatum in convivio eſſe, nobilem* Boium *cum liberis transfugam veniſſe.* Eſſe autem *Boium* unum ex Bojorum gente, vel me tacente intelligis.

CÆCUBUS, *a*, *um*. Si dandum in Lexico locum putavit *Faber* Subſtantivo *Cæcubum*; quod fuit oppidum Campaniæ, & huic ſimili *Cæcubum*, *vinum urbis* notanti; quæ cauſa eſt, cur omiſerit nomen adjectivum *Cæcubus*, notiſſimum

mum ſcriptoribus antiquis, certe magis notum, quam ipſum oppidum, cujus inter Græcos unus *Strabo*, Latinorum, quod ſciam, nullus, meminit? Habes *Cæcubam vindemiam* apud *Martialem Lib. VI Ep. 27 v. 9*:

Cæcuba *non ſolos* vindemia *nutriat orbos*; *agrum Cæcubum* apud *Columellam de re ruſt. Lib. III Cap 8 §. 5: Neque enim dubium eſt, Maſſici, Surrentinique, & Albani, atque* Cæcubi, agri *vites omnium, quas terra ſuſtinet, in nobilitate vini principes eſſe*; & apud *Plinium Hiſt. nat. Lib. II Cap. 96: Quædam inſulæ ſemper fluctuant, ſicut in* agro Cæcubo; *Lib. III Cap. 9: Hinc Setini &* Cæcubi *protenduntur* agri; & *Lib. XIV Cap. 5: Digna opera, quæ in* Cæcubis *Setiniſque* agris *proficeret*; porro *Cæcubas vites* apud eundem *Plinium Lib. XVII Cap. 3*: Cæcubæ vites *in Pomtinis paludibus madent*; denique *vina Cæcuba* apud *Horatium Lib. II Sat. 8 v. 15*:

- - - *procedit fuſcus Hydaspes,*
Cæcuba vina *ferens*.

Nec, quod *Cæcubum* in variis Auctorum locis, non addito *vini* nomine, pro *vino Cæcubo* accipitur, ideo Subſtantivum eſt *Cæcubum*, ſed retinet tunc naturam Adjectivi, omiſſo per ellipſin, ut plerumque fit, *vini* nomine. Eadem eſt ratio vocum *Maſſicus* & *Maſſicum*, ut vel ex Lexico diſcas. Dicta hæc ſibi *Faber* putet; non item *Stephanus*, *Fabro* hic diligentior, & ad nomen Adjectivum *Cæcubus* referens exempla ea omnia, quæ ad Subſtantivum *Cæcubum* a *Fabro* ſunt relata.

CÆNI-

CÆNINUS, CÆNINENSIS, Adjectiva. Non ignorat *Faber Cæninam*, ſeu *Ceninam*, urbem Sabinorum, Romæ vicinam, ſed, quæ inde ducta ſunt, nomina *Caninus* & *Cæninenſis* nihil curat. Hæc forma magis, quam ſignificatione, differunt; notat enim utrumque horum civem urbis *Canina*, ſeu *ex urbe* illa *ortum*, aut *qui quomodocunque pertinet ad urbem illam*. *Cæninenſes* adverſus Romanos bellum parare dicuntur *Livio Lib. I Cap. 10*: Cæninenſes *Cruſtuminique & Antemnates erant, ad quos ejus injuria pars pertinebat. - - - Ne Cruſtumini quidem atque Antemnates, pro ardore iraque* Cæninenſium, *ſatis ſe impigre movent.* Ex eodem *Livii Capite* vocis etiam *Caninus* ratio cognoſcitur. Eſt enim huic *nomen Cæninum* idem, quod *populus Cæninenſis*. Sic ille: *Ita per ſe ipſum* nomen Cæninum *in agrum Romanum impetum facit.* Ubi *nomen Cæninum* eodem modo dicitur, quo *nomen Fabium Lib. II Cap. 45*: Fabium nomen, *Fabia gens, maxime enituit*; & *Cap. 42*: *Inviſum erat* Fabium nomen *plebi propter noviſſimum Conſulem*; & eodem *Capite*: Fabium *inde* nomen *ingens - - - habitum*; *Cap. 46*: *ut* Fabio nomine *eſt dignum*; aut *Latinum nomen Lib. II Cap. 22*: *Nunquam alias ante publice privatimque* Latinum nomen *Romano imperio conjunctius fuit*; aut *Hernicum nomen Lib. IX Cap. 43*: *Incolumi* Hernico nomine *miſſitaverant ſimul cum iis Samniti auxilia*; aut *Volſcum nomen Lib. III Cap. 8*: *Ibi* Volſcum nomen *prope deletum eſt*; & *Lib. II Cap. 35*: *Longe is tum princeps* nominis Volſci *erat.*

nat. Nec ſolus *Livius*, ſed *Propertius* etiam, uſus eſt nomine *Caninus*, isque *Lib. IV El.* *10 v. 7*:

Tempore quo portas Cæninum Acronta *petentem*
Victor in everſum cuſpide fundis equum.
Acron Herculeus Cænina *victor ab* arce,
Roma, tuis quondam finibus horror erat.

CEPHEIUS, *a, um.* A *Cepheus* adjectivum nomen *Cepheus* deducitur in Lexico, ſed de cujus integritate valde ego dubitem, ſi non aliunde habeat auctoritatem, quam ex *Naſonis* verſu *Lib. IV. Met. v. 668*:

Aethiopum populos, Cepheaque *conſpicit arva.*

Eſſe enim corruptam hanc lectionem, & pro *Cepheaque* legendum *Cephēia*, fide optimorum Codicum oſtendit *Nic. Heinſius.* Non male igitur feceris, ſi deleas in Lexico vocem *Cepheus*, & in locum hujus reponas aliam *Cepheius*, a *Fabro* præter meritum neglectam, quam veteri Latio, præter hunc, quem attuli, hi etiam *Naſonis* verſus vindicant: *Ep. her. XV v. 35*:

Candida ſi non ſum, placuit Cepheia *Perſeo*
Andromede, *patriæ fuſca colore ſuæ;*

& *Lib. III Amor. v. 17*:

At non invidiæ vobis Cepheia virgo *eſt,*
Pro male formoſa juſſa parente mori.

Eſt autem *Cepheia Andromede*, *Cepheia virgo*, idem, quod *nata ex Cepheo*, quem fuiſſe patrem *Andromedes*, Mythographi docent.

CILNIUS, *a, um.* Legitur in Lexico Subſtantivum *Cilnius*, gentis Hetruſcæ nomen; cui, recte feciſſet *Faber*, ſi addidiſſet ejusdem formæ

adje-

adjectivum nomen. Habes enim hoc ipſum in duobus locis *Livii*, vitioſe olim exſcriptis, ſed nunc doctiſſimorum cura & ingenio interpretum ita emendatis, ut integerrima haberi poſſint. Horum alter eſt *Lib. X Cap. 2: Etruriam rebellare, ab Arretinorum ſeditionibus motu orto, nuntiabatur: ubi* Cilnium genus *præpotens, divitiarum invidia pelli armis cœptum* &c. Hic pro *Cilnium* olim *Licinium* legebatur; nec deſunt, in quibus ita exſcriptum eſt, MSti Codices. Primus autem ex vetuſtiſſimo libro *Cilnium* reſtituit *Juſtus Lipſius*; quem ſecuti ſunt doctiſſimi quique interpretum, & inter eos *Drakenborchius*, in cujus editione *Livii* ita, ut dixi, verba hæc exſcripta ſunt. Alter locus eſt *Lib. X Cap. 5: Habes auctores, ſine ullo memorabili prælio pacatam ab Dictatore Etruriam eſſe, ſeditionibus tantum Arretinorum compoſitis, &* Cilnio genere *cum plebe in gratiam reducto.* Reſtituit hunc etiam locum *Lipſius*, cum, quod *Drakenborchius* teſtatur, tantum non omnes Codices & editiones ante illam *Gruteri* haberent *Licinio.*

CLUILIUS, *a, um.* Inter Albanos fuiſſe Regem *C. Cluilium*, conſtat ex *Livii Lib. I Cap. 22: Imperitabat tum C.* Cluilius *Albæ.* Proprium hoc Regis nomen ortum dedit adjectivo *Cluilius.* Ex ejusdem enim, quem dixi, *Livii Lib. I Cap. 23* diſcimus, originem traxiſſe ab hujus Regis nomine *foſſam Cluiliam*, qua caſtra ſua, haud procul urbe Roma poſita, circumdederant Albani. *Albani*, ait ille, *priores ingenti exercitu in agrum Romanum*

impetum fecere. Caſtra ab urbe haud plus quinque millia paſſuum locant; foſſa circumdant; foſſa Cluilia *ab nomine ducis per aliquot ſecula appellata eſt, donec cum re nomen quoque vetuſtate abolevit. In his caſtris* Cluilius, *Albanus Rex, moritur.* Ejusdem *foſſæ* mentio occurrit in *Livii Lib. II Cap. 39: Ad* foſſas Cluilias *quinque ab urbe millia paſſuum caſtris poſitis, populatur inde agrum Romanum:* &c. A *Livio* diſſentiunt quodammodo *Dionyſius Halic. Lib. VIII pag. m. 496*, & *Plutarchus* in *Coriolano pag. m.* 227, quibus *foſſæ* hæ vocantur *Clœliæ. Feſtus* etiam voce *Clœliæ, foſſas Clœlias* a *Clœlio*, Albanorum Rege, traxiſſe nomen, ſcribit. Quorum ſcriptorum auctoritas tantum valuit apud *Car. Sigonium*, ut, emendanda verba *Livii*, putaret, & in his pro *Cluilius* legere nos *Clœlius*, pro *Cluilia Clœlia*, juberet. Sed, nulla hic opus eſſe emendatione, judicabis, ſi conjecturam ſequaris valde probabilem *Jac. Perizonii* & *Arn. Drakenborchii*, utrumque nomen eidem genti, nec minorem auctoritatem *Livio*, quam *Dionyſio* ac ceteris, tribuentium, illius in *Diſſertat. de Prætorio §. 10*, hujus in *Nota ad Livii Lib. I Cap. 22 §. 4.*

CYTHEREUS, *a, um.* Ita docent Lexicographi ad unum omnes, nomen illud *Cytherea, Veneri* tribui a Poetis ſolitum, ponendum in Subſtantivis eſſe; quod nihil ipſis cognitum ſit exemplorum, ubi non ſimpliciter *Cytherea* pro *Venere* dicatur. Non eſt alioqui moris mei, a majorum tramite temere deflectere; ſed hoc in loco non deeſſe mihi rationes videntur, quæ, haben-

habendum potius in Adjectivis eſſe, quam in Subſtantivis, nomen *Cytherea*, mihi perſuadere poſſint. Nam, quod plerumque ſolum hoc vocabulum, non addito *Veneris* nomine, uſurpatur, fieri hoc magis putem elliptica quadam ratione, Poëtis, ut omnes ſciunt, uſitatiſſima, quam quod ea ſit natura vocis, ut idem prorſus valeat, quod *Venus*, neque adeo cum voce hac conjungi poſſit. Eſt eadem ratio nominis *Cythereia*, quod Subſtantivi vim habere, omnes vident, in verſu *Ovidii Metam.* X, 640:

> Cythereia, *comprecor, auſis*
> *Adſis, ait, noſtris;*

ſed quod Adjectivorum numero excludi minime patiuntur ejuſdem *Naſonis* verſus *Metam.* X, 529:

> *Capta viri forma non jam* Cythereia *curat*
> Litora;

XIV, 625:

> *Fert humeris venerabile onus* Cythereius heros;

XIV, 584:

> *Tempeſtivus erat cælo* Cythereius heros;

Faſt. III, 611:

> *Senſit, & alloquitur trepidum* Cythereius heros;

& IV, 195:

> menſis Cythereius ille
> *Ceſſit*

Ut igitur *Cythereius* eſt adjectivum nomen; ſic mihi etiam a *Cythera* ductum videtur *Cythereus*, *-a*, *-um*, non inuſitata componendi ratione. Quod vero fœmineo magis, quam maſculo, genere, nomen hoc Scriptoribus antiquis uſurpatum ſit,

 id

ctum caſu quodam putari debet, & in aliis nominibus, quæ certo conſtat adjectiva eſſe, æque fieri, ac in hoc, potuit. Præbet autem imprimis conjecturæ meæ firmum aliquod præſidium versus ille *Horatii Lib. I Od.* 4, 5:

Jam Cytherea *choros ducit* Venus;

ubi additum eſt voci huic Subſtantivum illud, quod ab aliis Poetis per ellipſin poeticam omiſſum eſt. Quis enim non malit ita accipere hæc verba, ut *Cytherea Venus* idem ſit, quod *Venus, quæ in inſula Cythera colitur*, quam cum *Th. Bentlejo* Angl. *illud Venus plane otioſe poſitum* putare? Parum certe ponderis habet ratio *Bentlejana*: *Neque enim ipſe Horatius alibi, nec ullus Poetarum Latinorum*, Cytherea Venus *dixit, ſed ſimpliciter* Cytherea. Commode hoc fieri potuit, ut Poetæ ſimpliciter *Cytherea* pro *Cytherea Venus* ponerent, quod nemo facile lectorum dubitaret, ſub voce hac intelligi *Venerem*, quippe quæ una nobilitavit inſulam *Cytheram*, & una adeo voci *Cythereus* accommodari poteſt. Satis eſt, addi etiam poſſe nomen *Veneris*, idque additum ab *Horatio*, cui tribuere voculas inutiles & otioſe poſitas, idem eſt, ac Latinæ linguæ vim & rationem ignorare. Accedat autem verſui *Horatiano* alius *Ovidii Faſt.* IV, 15, unde his, quæ diximus, peti roboris haud parum poteſt:

Et vatem; & menſes, ſcis, Venus, eſſe tuos.
Mota Cytherea *leviter mea tempora myrto*
Contigit.

In cujus verſus lectione nisi non conſentiant

 omnes,

omnes, *Heinſio* inprimis, fide aliquot Codicum, pro *Cytherea* legentes *Cythereiaca*; habent tamen antiquiores editiones, quarum multæ in caſtigatiſſimis ſunt habendæ, conſtanter *Cytheræa*, nec a probanda hac lectione alienum ſe præbet *Andr. Naugerius*, cum quo etiam feciſſe *Douſam* teſtatur *P. Burmannus*, docens præterea, in Codice Bernenſi legi *Cytherea*. Non injucundum Lectori putem, auctiora hic legiſſe, quæ jam olim de voce *Cytheræa* a me dicta ſunt in *Specimine ſecundo Animadverſionum in Baſ. Fabri Theſaurum Latinæ linguæ*.

DANAUS, a, um. Habet *Faber* Subſtantivum *Danaus*, quod eſt nomen proprium Regis Ægypti: habet & aliud *Danai*, notans *Græcos*; ſed de Adjectivo *Danaus*, notante *id, quod pertinet ad Danaos*, nihil ille quærentem docet. At plena ſunt hujus vocis carmina *Naſonis*; ut mirum ſit, nihil horum locorum cognitum fuiſſe *Fabro*. Sunt autem hæc: *Epiſt. VIII. v. 14.*

Cum Danaus *Phrygias ureret ignis opes*;

& *v. 24.*

Nec tu mille rates ſinuoſaque vela pararis.
Nec numeros Danai *militis; ipſe veni*.

Ep. III. v. 66.

Quid lacerat Danaas *impiger Hector opes?*

Rem. Amor. v. 66.

Nec manibus Danais *Pergama victa cadent*.

Ita enim legi in optimis Codicibus, non, quod libri vulgati habent, *Danaum*, *Nic. Heinſius* teſtatur. Porro *Met. Lib. XIII v. 59.*

Prodere rem Danaam *finxit*; &c.

Græcis autem τὴν Ἰτωνίαν Ἀθηνᾶν memorat *Pauſanias* in *Bœot. Cap. 34*: Πρὶν δὲ ἐς Κορώνειαν ἐξ Ἀλαλκομενῶν ἀφικέσθαι, τῆς Ἰτωνίας Ἀθηνᾶς ἐς τὸ ἱερόν. *Straboni* autem *Itonia* tantum, non addito *Minervæ* nomine, vocatur *Lib. IX*: Τοῦ δὲ ὑπέρκειται ὁ Ἴτων, ὅπου τὸ τῆς Ἰτωνίας ἱερὸν &c.

LEDÆA. Ab Adjectivo *Ledæus* ſeparandum eſt Subſtantivum nomen *Ledæa*, quod eſt proprium *Helenes*, quippe ex *Leda*, ut eſt in fabulis, progenitæ. Habes hoc in *Ovidii Ep. her. XVI v. 1*:

Hanc tibi Priamides mitto, Ledæa, *ſalutem*;

& *Ep. XIII v. 61*:

His ego te victam, conſors Ledæa, *gemellis*
Conſpicor, &c.

Quibus in locis ſi putes Poetarum ratione factum, ut *Ledæa* pro *Helena Ledæa* diceretur, nihil abnuo, modo, illud *Ledæa* habere hic vim Subſtantivi, idque ipſum, ut notetur in Lexico, dignum eſſe, agnoſcas mecum.

LEONTINI, Subſt. Non eſt negligendum hoc ſubſtantivum nomen, diverſum ab adjectivo *Leontinus*, etſi ex hoc, quod facile conceſſerim, formatum. Notatur hoc nomine non *populus* tantum *Leontinus*, ſed, quod inprimis notandum, urbs ipſa etiam *Leontium*. Unde recte *Cellarius* in *Geograph. T. I Lib. II Cap. 12 §. 16*: *Leontini, plurali numero urbs prope Teriam* &c. De *populo Leontino* explicari poſſunt illa *Livii Lib. XXIV Cap. 30*: *Marcellus cum omni exercitu profectus in* Leontinos; & paulo poſt:

Cete-

ſibi hoc nomen eſſe, *Dukerus* ait, hæc etiam addens: *Quia & hoc & ſuperiore Libro frequens mentio* Demetriadis *facta erat, facile alicui in mentem venire potuit, pro* Maliaco *ſcriptum eſſe* Demetriaco. Non habet me diſſentientem *Dukerus*, modo illud agnoſcat, ſi quis hoc in loco error eſt, eſſe hunc ipſius potius *Livii*, (quod non deerunt, qui difficile ſibi perſuadeant,) quam librariorum, quorum tantus in ſcriptura hujus vocis conſenſus eſt, ut vix unum invenias, qui hæc aliter exſcripſerit. In eundem autem errorem librarios ad unum omnes incidiſſe, vix auditi unquam res exempli fuerit. Ego ſane, vicinos ſibi fuiſſe duos *ſinus*, *Maliacum* & *Demetriacum*, etſi horum alterum non adeo fama celebratum, malim exiſtimare, quam erroris accuſare Hiſtoricorum principem & in narrando ſatis alioqui accuratum. Utcunque tamen hæc ſe habeant, mihi ſufficit, inveniſſe vocem hanc in *Livio*, inventamque in notitiam Lectorum adduxiſſe.

EDESSÆUS, *a*, *um*. Invenit locum in Lexico *Edeſſa*, urbs Macedoniæ, & alia ejusdem nominis, in Meſopotamia ſita; ſed adjectivi nominis *Edeſſæus*, *oriundum urbe Edeſſa* notantis, nulla ibidem facta mentio. Habet gentile hoc nomen unus, ni fallor, *Livius Lib. XLII Cap. 51*: *Ceterorum cetratorum trium ferme millium hominum duxerat Antiphilus* Edeſſæus. Et ita Græci etiam. *Stephanus* voce Ἔδεσσα: κατὰ μὲν τῆς ἐγχωρίας, Ἐδεσσηνός, παρὰ δὲ τοῖς πλείοσι τῶν Ἀρχαίων, Ἐδεσσαῖος. *Heſychius*: Ἐδεσσαῖος, ὁ Ἡρα-

χλῆς ἐν Ἐδέσσῃ. In numis autem *Auguſti*, *Commodi*, & *Severi*, legi ἘΔΕΣΣΑΙΩΝ, docet, qui tales vidit, *Ez. Spanhemius.*

FLACCIANUS, *a*, *um*. A cognomento Romano, *Flaccus*, homini adjectivo *Flaccianus* origo. Talia annotare in Lexico, operæ pretium videtur, ut veterum Romanorum, formandi voces, nominibus propriis affines, ratio conſtet. Eſt autem in rarioribus numeranda vox *Flaccianus*, uni, quod ſciam, *Valerio Maximo* uſurpata *Lib. VI Cap. 3 §. 1: Ideoque & M. Flacci, & L. Saturnini, ſeditioſiſſimorum civium, corporibus trucidatis, penates ab imis fundamentis eruti ſunt. Ceterum* Flacciana area, *cum diu penatibus vacua manſiſſet, a Q. Catulo Cimbricis ſpoliis adornata eſt.* Nec quidquam turbatur hic locus narratione *Ciceronis*, rem eandem de domo *Fulvii* referentis in *Orat. pro Domo ſua.* Ejuſdem enim hominis nomen utrumque, & *Fulvii* & *Flavii*, fuiſſe, patet ex *Epit. Lib. LXI Livii: C. Gracchus - - - pulſus, interemtus eſt & cum eo* Fulvius Flaccus *Conſularis, ſocius ejuſdem furoris*; & ex ipſius *Ciceronis Or. pro Domo Cap. 38: Ut domus M. Tullii Ciceronis cum domo* Fulvii Flacci *ad memoriam pœnæ publice conſtitutæ conjuncta eſſe videatur.* Eſſe autem *aream Flaccianam* eam, *quæ fuerat Flacci*, aut *in qua ſteterat domus Flacci*, ipſa verba *Valerii* docent.

GNOSIAS. Vocibus, *Gnoſiacus*, *Gnoſius*, *Gnoſus*, & *Gnoſis*, a *Gnoſos*, urbe Cretæ, formatis, & in Lexico nominatis, accedat nunc demum

Gnoſias,

Gnoſias, nomen patronymicum fœmininum, *Ovidio* uſurpatum *Art. am. Lib. I v.* 556:

Pone metum, Bacchi, Gnoſias, uxor eris.

Vocatur hoc nomine Poëtæ *Ariadne* ab urbe *Gnoſo*, cui imperavit *Minos*, pater *Ariadnes*. Idem *Ovidius* juvencas *Gnoſiades*, hoc eſt, *natas in urbe Gnoſo*, habet *Art. am. Lib. I v.* 293:

Illum Gnoſiadesque Cydoneæque juvencæ
Optarunt tergo ſuſtinuiſſe ſuo.

GORDIENSIS. Gentile nomen, petitum a Phrygia urbe, *Gordieum Stephano de Urbibus*, *Gordium Straboni*, *Juſtino*, *Curtio*, & *Livio*, nuncupata. Non, qui voce hac uſus ſit, mihi ſcriptor eſt cognitus, præter *Scribonium Largum*, cui *Zopyrus*, Medicus, vocatur *Gordienſis*, hoc eſt, *Gordii natus*, *Compoſ. med. Cap.* 23 §. 172: *Hoc ego cum quærerem ab hoſpite meo, legato inde miſſo, nomine Zopyro* Gordienſe, *Medico, quid eſſet, pro magno munere accepi.* Ita libros habere omnes, teſtatur *Jo. Rhodius* in *Commentario ad h. l. Scribonii*, ſed qui addit, *Holſtenio* pro *Gordienſe* legendum videri *Gortynienſe*, quod *Zopyrum*, Medicum, *Gortyna*, Cretæ metropolis, Romam delegaverit. Id ipſum unde compertum fuerit *Holſtenio*, non itidem docemur a *Rhodio*, qui illud etiam tacet, num perſcripſerit hoc *Holſtenius* in libro quodam ſuo, an per literas cum ipſo communicaverit. Certe in *Commentariis Holſtenii ad Stephanum de Urbibus*, ubi commode hæc diſputari poterant, ego horum nihil inveni. Ceterum, ſi ea legatio, a *Zopyro* Romam ſuſcepta, & a Gortynen-

ſibus ipſi demandata, teſtem habet idoneum ac fide dignum, haud difficile a me impetraverit *Holſtenius*, ut ipſius conjecturæ, quod ad veram verborum *Scribonii* lectionem, aſſenſum præbeam. Jam, cum teſtimonia Scriptorum me deſtituant, nec de ipſis hujus *Zopyri* rebus quidquam mihi aliunde ſit perſpectum, doctioribus inveſtiganda hæc relinquo. Inquirant hi etiam, an *Zopyrus* hic idem fuerit, cujus memoriam ſervat vetus Inſcriptio, a *Rhodio* allata in *Commentario cit. pag.* 252:

ZOPYRUS A

ALEXANDRI

F. ALEXANDER

MEDICUS

& cujus *Antidoton* mire celebrant *Scribonius* *Compoſ. med. Cap.* 42 §. 169, *Galenus de Antidot. Lib. II Cap.* 1, 8 & 17, *Celſus Lib. V Cap.* 23, *Aegineta Lib. VII Cap.* 11; cujus & alia medicamenta deſcribit *Oribaſius Coll. med. Lib. XIV.* Ceterum, Medicorum laude floruiſſe *Gortynam* urbem, teſtari etiam τεύφων ille Γορτυνάτης poteſt, quem *Galenus de Comp. med. ſec. locæ Lib. IX Cap.* 2 haud mediocriter laudavit. Huic igitur jungendus eſt *Zopyrus*, ſi quid valere putas *Holſtenii* conjecturam.

ICARIUS, *a, um.* *Icarium*, &, quæ inde ducta ſunt, nomina *Icaris* & *Icariotis*, nominat *Faber*, ſed, quod mireris, de voce *Icarius*, in Poetarum libris frequentiſſime obvia, ne verbum quidem. Prodeant igitur, quæ mihi ſunt cognita, Auctorum loca, ut magis cognita Lectoribus

ctoribus vox ipſa fiat. *Statio aſtrum Icarium* vocatur *Sirius Lib. IV Theb. v. 717:*

- - Icarii *quamvis juba fulguret* aſtri.

Idem notat *canis latrius* in *Ovidii Amor. II, 16, 4:*

Et micat Icarii *ſtella proterva* canis;

in *Nuce v. 118:*

Finditur Icario *cum cane terra*, &c.

& *Faſt. Lib. IV v. 939:*

Eſt canis (Icarium *dicunt*), *quo ſidere moto*
Toſta ſitit tellus, præcipiturque ſeges.

Propertio Icarii boves ſunt *ſeptentriones*, qui Urſam flectunt, *Lib. II El. 33 v. 24:*

Flectunt Icarii *ſidera tarda* boves.

Nota ſunt etiam *pelagus, mare, littus Icarium, pontus Icarius, aquæ Icariæ, fluctus Icarii, mons Icarius. Hyginus* in *Fab. XL:* Icarus, *altius volans, a ſole cera calefacta, decidit in mare, quod ex eo* Icarium pelagus *eſt appellatum.* Ad quem locum vide *Thom. Munckerum*, originem vocis ex Auctoribus Græcis illuſtrantem. *Plinius Hiſt. Nat. Lib. IV Cap. 18: Item* Icarium (mare), *quod eſt inter Samum & Myconum. Ovidius Triſt. V, 2, 28:*

Icariæ *numerum dicere coner* aquæ;

& *F. 1. 90:*

Dum petit infirmis nimium ſublimia pennis
Icarus, Icariis *nomina fecit* aquis.

Auſonius Epiſt. XIX:

Audax Icario *qui fecit nomina* ponto.

Ovidius Ep. her. XVIII v. 50:

Icarium *quamvis hic prope litus adeſt.*

Horatius

Horatius Lib. I Od. I v. 15:

Luctantem Icariis fluctibus *Africum*
Mercator metuens, &c.

Inde etiam per poeticam ellipſin *Icarium* ſimpliciter pro *mari Icario* dicitur. *Manilio Lib. IV v. 619:*

Icarium *Ægeumque ſecat*;

& *Ovidio Faſt. Lib. IV v. 283:*

Tranſit & Icarium, lapſus ubi perdidit alas
Icarus, & vaſtæ nomina fecit aquæ;

& *v. 566:*

Ioniumque rapax, Icariumque, *legit*.

Denique *montis Icarii* mentionem facit *Plinius Hiſt. nat. Lib. IV Cap. 11: In Attica* - - *montes: Brileſſus, Ægialeus*, Icarius, &c. Eundem montem nominat *Solinus Cap. 7 pag. m. 23.*

ILLYRIUS, *a*, *um*. Subſtantivo *Illyrii*, *gentem Illyriorum* notanti, cui locum in Lexico *Faber* dedit, jungamus Adjectivum *Illyrius*, quo, *quicquid pertinet ad Illyrios*, ſignificatur. Eſt mihi cognitum hoc nomen ex *Livii Lib. XLIV Cap. 23: Medeone Labeatidis terra Pantauchus Regi* Illyrio *occurrit*. Et paulo poſt: *qui Rhodum irent cum* Illyriis legatis. Idem *Lib. eod. Cap. 32:* Bello Illyrio *intra triginta dies perfecto*, &c. & *Cap. 35: Sed jam & pueri quidam viſi ab ſuis erant inter* obſides Illyrios *ducti*; & *Lib. XLV Cap. 43: centum viginti millia* Illyrii argenti.

INTERAMNAS, Adject. A civitate Italiæ, *Interamna*, quam vel duobus verbis *Faber* tetigit, formatur hoc adjectivum nomen, notans *hominem*, vel *rem, ad urbem hanc pertinentem.*

Sed

Sed neſcio, an ſingulari numero voce hac quiſquam Scriptorum veterum ſit uſus, præter *Livium*, qui *agri Interamnatis* meminit *Lib. X C.* 39: *Prior Sp. Carvilius, cui veteres legiones, quas M. Atilius, ſuperioris anni Conſul, in* agro Interamnati *reliquerat, decreta erant.* Sed plurali numero nomen hoc naturam Subſtantivi habet, quo *cives urbis Interamnæ* deſignantur. De his *Plinius Hiſt. nat. Lib. III Cap.* 9: *Gabini* Interamnates *Succaſini, qui & Lirinates vocantur:* &c. ubi *Succaſinos* & *Lirinates* non eſſe nomina, ſed horum *Interamnatium* cognomina, docet *Jo. Harduinus in Notis & emendat.*, probans hoc, ut alias ejus rationes taceam, vetuſta inprimis Inſcriptione, a *Grutero pag.* 431 adducta, in qua legitur: REIP. INTERAMNAT. LIR. IN. Idem *Plinius* alios *Interamnates* memorat *Lib. III Cap.* 12: Interamnates, *cognomine Nartes.* Servat & horum memoriam Inſcriptio vetus apud *Gruterum pag.* 411 *n.* 5: PATRONO MUNICIPI INTERAMNAT. NART. & alia apud eundem *pag.* 422: CIVITAS INTERAMNATIUM NARTIUM. Adde locum *Plinii Lib. III Cap.* 17, ubi *Interamnates* cum Fidenatibus, Nurſinis, Nomentanis, plurimisque aliis, conjunguntur. Etiam *Tacito Interamnates* nominantur *Lib. I Annal. Cap.* 79: *Congruentia his* Interamnates *diſſeruere*; & ipſi *Tullio Lib. IV ad Attic. Ep.* 15: *His rebus actis, Reatini me ad ſua* τέμπη *duxerunt, ut agerem cauſam contra* Interamnates *apud Conſulem & decem legatos*; &c.

ISTHMI-

ISTHMICUS, *a*, *um*. Ex ſtirpe *Iſthmus* nata ſunt non tantum nomina *Iſthmia*, *Iſthmius*, *Iſthmiacus*, de quibus in Lexico; ſed *Iſthmicus* etiam, uni, quod quidem ſcio, uſurpatum *Valerio Maximo*, *ſpectaculi Iſthmici* mentionem facienti *Lib. IV Cap.* 8 §. 5: *Philippo enim*, *Macedonum Rege*, *ſuperato*, *cum ad* Iſthmicum ſpectaculum *tota Græcia conveniſſet*, *T. Quinctius Flamininus*, *tubæ ſigno ſilentio facto*, *per præconem hæc verba recitari juſſit*: &c. Olim in editione *Aldi* pro *ad Iſthmicum* legebatur: *ad id tam inſigne*; ſed primus *Oliverius* reſtituit veram lectionem, quem deinde ſecuti ſunt, Codicum MSforum auctoritate, *Glareanus*, *Pighius*, *Colerus*, *Vorſtius*, *Perizonius*, & *Torrenius*. Firmatur ea lectio inprimis teſtimonio *Livii*, rem eandem referentis *Lib. XXXIII Cap.* 32: Iſthmiorum *ſtatum ludicrum erat*; *ſemper quidem & alias frequens*. *Polybius* etiam in *Exc. legat. num. IX pag.* 1108: τῆς Ισθμίων πανηγύρεως ἐπελθούσης. Docet autem *Livius*, hoc ludicrum Corinthi fuiſſe peractum; neque adeo fallitur *Vorſtius*, *Iſthmicum ſpectaculum*, & *Iſthmicum ludum*, eſſe eum, qui Corinthi in Iſthmo fuit celebratus, docens in *Nota ad l. c. Valerii*.

ISTRICUS, *a*, *um*. Ab *Iſtria Fabro* derivatur *Iſtri*, & *Iſtriani*. His recte addidiſſet adjectivum *Iſtricus*, quo, *quicquid ſpectat ad Iſtriam*, notatur. Uſum eo vides *Livium Lib. XLI Cap.* 6: *Sedato tandem* Iſtrico *tumultu*, *Senatusconſultum factum eſt*. Et *oſtrea Iſtrica* memorantur *Plinio Lib. XXXII Cap.* 21: *Cyzicena*

(oſtrea)

(oſtrea) majora Lucrinis, dulciora Britannicis, ſuaviora Medulis, acriora Leptitis, pleniora Lucenſibus, ſicciora Coryphantenis, teneriora Iſtricis, candidiora Circenenſibus.

ITHACUS, a, um. Ignorat hanc vocem Faber meus, non niſi Subſtantivum nomen *Ithacus*, proprium *Ulyſſis*, habens cognitum. Vix autem proſcribere illam finibus Latii auſit, ſi hæc *Ovidii* leges *Amor. III, 12, 29*:

Æolios Ithacis *incluſimus* utribus *Euros*;

& alia *Met. XIII, 511*:

- - - *quæ me data penſa trahentem*
Matribus oſtendens Ithacis, &c.

item hæc *Lib. II Ex Ponto Epiſt. VII v. 60*:

Non Ithacæ *puppi ſævior unda fuit.*

Quibus accedat *Propertii* verſus *Lib. III El. 10, 29*:

Lampetiès Ithacis *veribus mugiſſe juvencos*, &c.

Ubi *veru Ithacum* idem eſt, quod *veru Ithaci*, ſeu *Ulyſſis*, ut ex fabula notum eſt.

ITONIUS, a, um. Haud longe a Thebis ſitus eſt mons *Iton*, qui *Minervæ Itoniæ* nomen fecit, quod in monte illo *Minerva* ſolennibus ſacris coleretur. Ex Latinis ſcriptoribus non mihi ſuccurrit, qui nominaverit *Itoniam Minervam*, præter *Livium Lib. XXXVI Cap. 20*: *Ibi ſtatua Regis Antiochi, poſita in templo* Minervæ Itoniæ, *iram accendit*; &c. Ubi vocem *Itoniæ*, quæ exulaverat in vetuſtioribus editionibus, & nunc etiam in multis Codicibus fruſtra quæritur, Moguntini ex ſuo Codice reſtituerunt, approbatam id præter alios *Drakenborchio*. Ex

Græcis

Græcia autem τὴν Ἰτωνίαν Ἀθηνᾶν memorat *Pauſanias* in *Bœot. Cap.* 34: Πρὶν δὲ ἐς Κορώνειαν ἐξ Ἀλαλκομενῶν ἀφικέσθαι, τῆς Ἰτωνίας Ἀθηνᾶς ἐστὶ τὸ ἱερόν. *Straboni* autem *Itonia* tantum, non addito *Minervæ* nomine, vocatur *Lib. IX*: ταύτῃ δὲ ὑπέρκειται ὁ Ἴτων, ὅπου τὸ τῆς Ἰτωνίας ἱερὸν &c.

LEDÆA. Ab Adjectivo *Ledæus* ſeparandum eſt Subſtantivum nomen *Ledæa*, quod eſt proprium *Helenes*, quippe ex *Leda*, ut eſt in fabulis, progenitæ. Habes hoc in *Ovidii Ep. her. XVI v.* 1:

Hanc tibi Priamides mitto, Ledæa, *ſalutem*;

& *Ep. XIII v.* 61:

His ego te victam, *conſors* Ledæa, *gemellis Conſpicor*, &c.

Quibus in locis ſi putes Poetarum ratione factum, ut *Ledæa* pro *Helena Ledæa* diceretur, nihil abnuo, modo, illud *Ledæa* habere hic vim Subſtantivi, idque ipſum, ut notetur in Lexico, dignum eſſe, agnoſcas mecum.

LEONTINI, Subſt. Non eſt negligendum hoc ſubſtantivum nomen, diverſum ab adjectivo *Leontinus*, etſi ex hoc, quod facile conceſſerim, formatum. Notatur hoc nomine non *populus* tantum *Leontinus*, ſed, quod inprimis notandum, urbs ipſa etiam *Leontium*. Unde recte *Cellarius* in *Geograph. T. I Lib. II Cap.* 12 *§.* 16: *Leontini*, *plurali numero urbs prope Teriam* &c. De *populo Leontino* explicari poſſunt illa *Livii Lib. XXIV Cap.* 30: *Marcellus cum omni exercitu profectus in* Leontinos; & paulo poſt:

Cete-

Leontinorum *militumque aliorum nemo, poſt captam urbem, violatus fuerat.* Cap. item 29: *Profectus & ipſe in* Leontinos, *quia ſatis eos adverſus populum Romanum concitatos cernebat*: &c. Et paulo poſt: *Renuntiandum igitur eis eſſe,* Leontinos *quoque aequum cenſere liberos eſſe*: &c. De *urbe* autem hæc intelligenda ſunt loca *Livii*: *Lib. XXIV Cap.* 29: *Cum ex* Leontinis *legati, præſidium finibus ſuis orantes, venerunt*; *Cap.* 30: *Nec, ut* Leontinos *irent, - - perpelli potuere.* Ubi *Sigonius*, ignarus hujus ſignificationis, voculæ *ut* allinendam aliam *in*, invitis libris omnibus, contenderat. *Eod. Lib. Cap.* 31: *Recte tum atque ordine feciſſe, quod in* Leontinis *nulli pepercisset.* Eodem *Capite*: *Militem nancti ex eo numero, qui in* Leontinis *circumſeſſi erant. Cap.* 32: *Perbene detectam eſſe in* Leontinis *avaritiam & crudelitatem Romanorum. Cap.* 33: *Ex* Leontinis *mota ſunt extemplo caſtra ad Syracuſas - - nequaquam idem eſſe Syracuſas ac* Leontinos *oppugnare. - - - ſicut* Leontinos *terrore ac primo impetu ceperunt*, &c. *Cap.* 39: *Marcellus retro in* Leontinos *redit. Lib. XXVI Cap.* 30: Leontinis *crudeliter direptis.* Addo loca *Melæ Lib. II Cap.* 7: *Interius* Leontini, *Centuripinum, & Hybla*; *Plinii Hiſt. nat. Lib. III Cap.* 8: *Oppida* Leontini, *Megaris*; ipſius etiam *Tullii Lib. IV in Verr. Cap.* 66: Leontinis, *miſera in civitate atque inani, tamen iſtius in Gymnaſio ſtatua disjecta eſt. Lib. III Cap.* 24: *C. Matrinium, - -* Leontinis, *in publico, biduum tenuit*; - - *biduum* Leontinis, *in foro, cuſtodiis Apronii retentum* &c.

Eandem ſignificandi rationem eſſe vocum *Oeniadæ*, *Pariſii*, *Audes*, I. F. *Gronovius* ad *Livii Lib.* *XXIV Cap.* 30 obſervat.

LIGUSTINUS, *a*, *um*. Variis, quæ a regione *Liguria*, tanquam a ſtirpe ſua, proveniunt, nominibus, in Lexico collectis, ſuo quodam jure adjungendum eſt adjectivum hoc nomen, *Livio* inprimis familiare, cui, *quæcunque pertinent ad Ligures*, *Liguſtina* dicuntur. Ita *bellum Liguſtinum* habet *Lib. XXXV Cap.* 4: *Cum bellum* Liguſtinum *ad Piſas conſtitiſſet*, &c. *Lib. XL Cap.* 38: *nullum alium ante finem rati fore* Liguſtini belli; & *Cap.* 52: *ut ſibi dedicationis templorum Reginæ Junonis & Dianæ*, *quæ* bello Liguſtino *ante annis octo voviſſet*, *pecunia ad ludos decerneretur*. Porro *tumultus Liguſtinus* legitur *Lib. XLI Cap.* 19: *Et* tumultus *quidem Gallicus &* Liguſtinus, *qui principio ejus anni exortus fuerat*, *haud magno conatu brevi compreſſus fuerat*. *Ager* item *Liguſtinus* eſt *Lib. XLII Cap.* 4: *Cum* agri Liguſtini *& Gallici*, *quod bello captum erat*, *aliquando vacaret*; *montes vero Liguſtini Lib. XXXIV Cap.* 8: *Prætervecti* Liguſtinos montes, *ſinumque Gallicum*; & *ſcutum Liguſtinum Lib. XLIV Cap.* 35: *Comminus ſtabilior & tutior*, *aut parma aut* ſcuto Liguſtino, *Romanus erat*. Etiam *populi Liguſtini*, *Ilvates*, nominantur *Livio Lib. XXXI Cap.* 10: *excitis Salyis*, Ilvatibus*que*, *& ceteris* Liguſtinis populis. Iidem *Ilvates* dicuntur *Liguſtini Lib. XXXII Cap.* 31: *Inde in* Liguſtinos Ilvates, *qui ſoli non parebant*, *legiones ducta*. Et ipſos Ligures vocat *Liguſtinos Plinius*

nius Hiſt. Nat. Lib. X Cap. 34: Tradit & Fabius Pictor in Annalibus ſuis, cum obſideretur præſidium Romanum a Liguſtinis, *hirundinem a pullis ad ſe allatam.* Sed nomen etiam proprium, *Spurius Liguſtinus*, (niſi malis, *Spurium* eſſe cognomen, *Liguſtinum* nomen gentile,) exſtat in *Livii Lib. XLII Cap. 34*, ubi ejusdem ad populum oratio legitur.

MÆSIUS, *a*, *um.* Unde originem traxerit hoc nomen, & quid proprie notet, in magno Auctorum ſilentio non liquet. Id unum conſtat, ſylvam quandam Italiæ, ab *Anco Martio* Vejentibus ademtam, dictam fuiſſe *Mæſiam.* Ejus memoriam ſervavit *Livius Lib. I Cap. 34: Sylva* Mæſia *Vejentibus ademta*, &c. & a *Plinio Hiſt. Nat. Lib. VIII Cap. 83: In* ſylva Mæſia *Italiæ non niſi in parte reperiuntur hi glires.* Quo in loco ſita fuerit hæc ſylva, definire laborarunt *Phil. Cluverius* & *Luc. Holſtenius.* Illum vide in *Ital. antiq. Lib. II Cap. 3 pag. 537;* hujus ſententiam paucis expoſuit *Chriſt. Cellarius* in *Geograph. ant. T. I Lib. II Cap. 9 §. 219 pag 591.*

MAGNETIS. Tolle in Lexico *Fabri* vocem *Magneſis*, & in hujus locum repone *Magnetis.* Prorſus enim nihili illa vox eſt, nec *Magneſida*, ut exſcriptum eſt in Lexico, ſed *Magnetida*, omnium Codicum & editionum conſenſu legitur in verſu *Ovidii Ep. her. XII, 9:*

Cur unquam Colchi Magnetida *vidimus Argo;*

Ita, inquam, conſtanter editiones omnes, ut plane non videam, qui excuſari poſſit error *Fabri.* Ceterum *Magnetis* idem eſt, quod *Theſ-*

ſolia; parva enim Theſſaliæ regio Magneſia fuit. Præter *Ovidium*, dubito, an quiſquam veterum uſurpaverit hoc nomen.

METHYMNIAS. Eſt civitas Lesbi, nomine *Methymna*, unde, rara componendi ratione, *Ovidio* formatur patronymicum *Methymnias*, notans *oriundam hac urbe*. Eſt verſus in *Epiſt. her. XV*, 15:

Nec me Pyrrhiades, Methymniadesve *puellæ*,
Nec me Lesbiadum cetera turba juvant.

Ita nimirum verba exſcripſit *Aldus*, habentque ſic expreſſa ſenſum commodum, ob id inprimis, quod, urbes eſſe Lesbias *Pyrrham* & *Methymnam*, ſat certo conſtet. Hanc igitur *Aldi* lectionem editores Ovidii nobiliſſimi quique, inque his *Heinſius* & *Burmannus*, ſervarunt. Fuit autem inprimis *Jo. Bapt. Egnatius*, qui ferendam negaret hanc lectionem, quod, a Pyrrha & Methymna formari patronymica *Pyrrhias* & *Methymnias*, nec uſus, nec ratio Latinæ linguæ, pateretur. Quam rem iis & rationibus, & exemplis, probat *Egnatius*, ut, inſolitum aliquid habere hanc formam, non ſit negandum. Placet igitur huic viro vetus lectio, quæ ſic habet:

Nec mihi Pyrino *ſubeunt, Mnaisve puellæ*, &c.

quam *Burmannus* etiam cum aliis recepit. Sed *Egnatio* docte reſpondit *Jac. Micyllus*, non negans, ἀνωμαλίαν vocabulis *Pyrrhias* & *Methymnias* aliquantum repugnare, ſed hoc etiam dadens, multa alia veterum contra analogiam & Grammaticorum regulas varie uſurpata, ceterum *Egnatii* illam lectionem, ſi genus dicendi *Ovidianum*

Ovidianum ſpectes, poſtponendam *Aldinæ* judicans. Sed idem *Micyllus*, re in utramque partem diſputata, ipſum tandem locum pro corrupto ac dubio relinquit. Idem & noſtrum eſt judicium, nec vocem *Methymnias* hic ut certam & prorſus incorruptam, ſed ut talem, quæ in editionibus *Naſonis* caſtigatiſſimis legitur, & a viris doctiſſimis defenditur, attulimus.

NEMAEA, *orum*. A ſylva Peloponneſi *Nemea* vocantur *Nemeæa*, ſeu *Nemæa*, ludi ſolennes, *Herculi* ſacri, ſæpiſſime memorati ſcriptoribus Græcis, & his Νεμεῖα, Νεμαῖα, & Νεμεαῖα, dicti. Res ipſa vel tironibus eſt notiſſima; nominis autem Latini, non in Lexico adducti, ut ratio pateat, exemplum attuliſſe vel unum & alterum juvabit. *Plinio* hi ludi vocantur *Nemeæa Lib. XXXV Hiſt. nat. Cap. 40: Alcimachus Dioxippum, qui pancratio Olympia citra pulveris tactum (quid vocant aconiti) vicit: coniti* Nemeæa. *Livius* autem *Nemea* dixit *Lib. XXVII Cap. 30: Jam enim* Nemeorum *appetebat tempus, quæ celebrari volebat præſentia ſua;* & *Cap. 31; Per hæc flagitia ſolenni* Nemeorum *peracto, paucisque additis diebus, Dymas eſt profectus,* &c. *Lib.* item *XXXIV Cap. 41: Læta civitas celeberrimum feſtorum diem ac nobile ludicrum* Nemeorum, *die ſtato propter belli mala prætermiſſum, in adventum Romani exercitus ducisque indixerunt, præfeceruntque ludis ipſum imperatorem.* Et paulo poſt: *Teſtata quoque ipſo* Nemeorum *die voce præconis libertas eſt Argivorum.* De

ludis *Nemeis* doctiſſime egit *Henr. Dodwellus* in *Annal. Stat. pag.* 227, & in libro *de Cyclis Diſſert. VII.*

NEPESINUS, *a, um.* A *Nepete* urbe dictum vocabulum, & ex *Livio* mihi cognitum, qui *agri Nepeſini* mentionem facit *Lib. V Cap.* 18: *In* agro *primum* Nepeſino *cum Faliſcis & Capenatibus ſigna confert.* Inde etiam *Nepeſini* ſunt ipſe *urbis populus*, de quo tribus verbis *Faber.*

NISIAS. Patronymicum nomen, in uno obvium *Ovidii* verſu *Ep. her. XV*, 54:

At vos erronem tellure remittite noſtrum,
Niſiades *matres*, Niſiades*que nurus.*

Ubi poſteriore loco pro *Niſiades* legendum nonnulli putant *Sicelides.* Sed elegantiam geminationis agnoſcunt *Egnatius*, *Micyllus*, & optimi quique editores. *Domitius Calderinus* pro *Niſiades* legit *Neſiades*, eidemque nomen ſive a *Neſide*, inſula Campaniæ, ſive a *Neſia*, quam ipſe circa Ætnam locat regionem, ortum videtur. Sed idoneæ inprimis rationes ſunt, quibus, haud ſatis felicem in conjectando fuiſſe *Domitium*, *Micyllus* docet, hanc etiam probabiliorem vocis etymologiam ponens, quod a *Niſo*, Rege Megarenſium, dictæ ſint *Niſiades*, hoc eſt, Megarenſes fœminæ. Fuiſſe enim urbem etiam Megaram ſub Ætna ſitam in Sicilia, *Strabo* & *Thucydides* teſtantur. A *Niſo* autem potuiſſe, quæcunque ab eo ortum duxerunt, fœminas, aut illius regionis cives, *Niſiades* appellari, quis dubitare auſit? Probatur hæc conjectura pleris-

que

que interpretum, ipſi etiam, ut ex ejus ſilentio judicare licet, *Burmanno*.

NUMIDA, Adj. Legitur in Lexico Subſtantivum *Numida*, notans *unum ex gente Numidarum*. Sed diverſum ab hoc ejusdem formæ Adjectivum eſt, rebus, *quacunque ſunt ex Numidia*, aut *quomodocunque pertinent ad Numidas*, conjungi ſolitum. De quo ne dubites, en habes *Ovidii dentem Numidam Lib. IV Ex Ponto Ep. IX*, 286:

Signa quoque in ſella noſſem formata curuli,
Et totum Numidæ *ſculptile* dentis *opus*.

Ita optimi Codices; in nonnullis autem eſt *Numidi*. Habes etiam *leones Numidas* in ejusdem *Ovidii Art. Am. Lib. II v.* 183:

Obſequium tigresque domat Numidas*que* leones.

Habent & hic Codices nonnulli *Numidosque*, ſed qui ceteris, noſtram lectionem tuentibus, & numero & præſtantia inferiores ſunt. Et *Numidæ urſi* apud *Juvenalem* leguntur *Sat. IV*, *v.* 100:

- - - - - - *quod cominus* urſos
Figebat Numidas.

Eodem modo *Pœnos leones* dixit *Ovidius Lib. IV Triſt. El.* 6 *v.* 5, *Virgilius* in *Ecl. V v.* 27, & in *Ciri*, & *Claudianus de Rap. Proſ. III v.* 166. Et ſimilia exempla plura collegit *Nic. Heinſius* in *Notis ad Ovidii Art. Am. II*, 183.

OSCENSIS, Adject. *Liviana* vox eſt, huic ſcriptori variis in locis, ſed ubique cum adjecto *argento*, uſurpata. Nimirum ſingulare

 quoddam

quoddam argenti genus fuit *Oſcenſe*, quod ab *infecto* & *ſignato* diſtinguit *Livius Lib. XXXIV Cap. 10:* Argenti infecti *tulit* (Helvius) *in ærarium quatuordecim millia pondo ſeptingenta triginta duo: & ſignati bigatorum ſeptendecim millia viginti tria; &* Oſcenſis argenti *centum viginti millia quadringentos triginta octo.* Sic etiam *Lib. eod. Cap. 46: Tulit* (M. Porcius Cato) *in eo triumpho* argenti infecti *viginti quinque millia pondo*, bigati *centum viginti tria millia*, Oſcenſis *quingenta quadraginta: auri pondo mille quadraginta.* Sed, fuiſſe utique ſignatum hoc argentum, ex ejusdem patet *Livii Lib. XL Cap. 43: Tulit* (Q. Fulvius Flaccus) *in triumpho coronas aureas centum viginti quatuor: præterea auri pondo triginta unum; &* ſignati Oſcenſis *nummum centum ſeptuaginta tria millia ducentos.* Loca illa ut recte intelligas, legenda inprimis commendo ea, quæ ad hæc doctiſſimus *Drakenborchius* annotavit. Dictum autem fuiſſe hoc argentum ab Hiſpaniæ urbe *Oſca*, nemini facile videatur dubium, lectis iis, quæ doctiſſime in hæc *Livii* loca commentatus eſt *Marcellus Donatus* in *Scholiis, ſive dilucidationibus, in Latinos Hiſt. Rom. Scriptores pag. 38.* Et, ex judicio Cl. *Drakenborchii*, ſententia hæc inde inprimis ſummum robur accipit, quod argenti hujus *Livius* non niſi in rebus Hiſpanicis mentionem fecit. De urbe ipſa, Geographis notiſſima, & ſatis olim celebri, non eſt, quod hic memorentur multa. Ejus incolæ *Oſcenſes* vocantur *Cæſari de Bel. civ. Lib. I Cap. 60: In-*

terim

ſerim Oſcenſes *& Calagurritani, qui erant cum* Oſcenſibus *contributi, mittunt ad eum* (Cæſarem) *legatos, ſeſeque imperata facturos pollicentur.* Et *Plinius Hiſt. Nat. Lib. III Cap.* 4: Oſcenſes, *regionis Veſcitaniæ.*

PÆON. In Lexico *Pæonum*, ipſius gentis, mentio fit; an ſingulari numero dicatur *Pæon*, minime hinc diſcas. Itaque ex *Livio* hoc diſcas, cui *civis Pæoniæ* dicitur *Pæon Lib. XLII Cap.* 51: Pæones, *& ex Parorea & Parſtrymonia* (*ſunt autem ea loca ſubjecta Thraciæ*) *& Agrianes, admiſtis etiam Thracibus incolis, trium millium ferme & ipſi expleverunt numerum. Armaverat contraxeratque eos Didas* Pæon, *qui adoleſcentem Demetrium occiderat.*

PARTHUS, *a, um.* Et Subſtantivum *Parthus* eſt, notans *civem Parthorum*, & Adjectivum, *res Parthorum proprias* ſignificans. Notum vocabulum lectoribus *Ovidii*, utentis eo variis in locis: *Lib. III Art. am. v.* 248:

Inque nurus Parthas *dedecus illud eat.*

Rem. am. v. 157:

Vince Cupidineas pariter Parthas*que* ſagittas.

Faſt. Lib. V v. 580:

Perſequitur Partha *ſigna retenta* manu.

Triſt. Lib. II v. 228:

- - - *nunc porrigit arcus*
Parthus eques, &c.

Etiam *Virgilius Parthum cornu* dixit in *Ecl. X v.* 59:

- - *libet* Partho *torquere Cydonia* cornu
Spicula: &c.

Et *Propertius* hac voce frequenter uſus: *Lib.* *III El. 4 v. 6:*

Aſſueſcent Latio Partha trophæa *Jovi.*

Lib. III El. 3 v. 67:

Sed tua ſic domitis Parthæ telluris *alumnis,*
Pura triumphantes haſta ſequatur equos;

& *El. V v. 26:*

Murreaque in Parthis *pocula cocta* focis;

El. item *III v. 36:*

Quot ſine aqua Parthus *millia currat* eques.

Addo *Martialem Lib. IX Ep. 104 v. 19:*

Sæpe recuſato Parthos *duxiſſe* triumphos, &c.

& *Lucanum Lib. VIII v. 323:*

- - - - - *ſi civilia* Partho
Milite *bella geras;*

& *Lib. IX, v. 267:*

- - - - Parthi militis *arcus.*

PAPIRIANUS, *a, um.* Vocabulum, a nomine *Papirius*, Romanorum civium haud paucis proprio, ita formatum, ut a *Manlius Manlianus*, a *Paulus Paulianus*, a *Sempronius Sempronianus*. *Papirianam ſævitiam*, quæ qualis fuerit, vel tironibus in hiſtoria Romana ignotum eſſe non poteſt, memoratur *Livio Lib. X C. 3: Qui terror non eo tantum a Fabio abhorret, quod, ſi qua alia arte cognomen ſuum æquavit, tum maxime bellicis laudibus: ſed etiam, quod memor* Papirianæ ſævitiæ, *nunquam, ut Dictatoris injuſſu dimicaret, adduci potuiſſet. Horologium Papirianum* a *Plinio* nominatur *Hiſt. nat. L. VII Cap. 60: Deportatum inde poſt XXX annos, quam de* Papiriano horologio *traditur, anno urbis*

491.

491. Et ipſe *Cicero domus Papiriana*, quam a *Papirio* quodam *Trebatius* redemerat, mentionem facit *Lib. VII ad Div. Ep. 20: Tu, ſi me audies, quem ſoles, has paternas poſſeſſiones tenebis, - - neque Haletem, nobilem amnem, relinques, nec* Papirianam domum *deſeres*. Jureconſultis etiam celebratur *Jus Papirianum*, a *S. Papirio*, qui leges regias in corpus integrum redegerat, ita dictum, in quod Commentarium ſcripſerat *Granius Flaccus*, memoratum in *l.* 144 Π. *de V. S.*: *Granius Flaccus in libro de* jure Papiriano *ſcribit, pellicem nunc vulgo vocari, quæ cum eo, cui uxor ſit, corpus miſceat.*

PELASGIS. Nomen *Pelaſgis*, in Lexico adductum, Subſtantivum eſt, proprium regioni Arcadiæ, a *Plinio* deſcriptæ. Sed differt ab hoc aliud, in adjectivis numerandum, *natam in Græcia* ſignificans. Vocatur hoc nomine *Naſoni Sappho* in *Ep. her. XV v.* 217:

Sive juvat longe fugiſſe Pelaſgida *Sappho*, &c.

Nata autem, ut omnes ſciunt, *Sappho* hæc fuit in inſula Lesbo, quæ Poetis etiam *Pelaſgia* vocari ſolet.

PERGAMUM. Nomen eſt urbis Aſiæ, quæ *Fabro Pergamus* tantum, & plurali numero *Pergama*, vocatur. Sed, ut *Pergama* non eſſe poteſt a *Pergamus*; ita facile hinc intelligitur, ſingulari etiam numero *Pergamum* dici. Nimirum ex Græco Πέϱγαμον, quo nomine Scriptorum Græcorum plerisque vocatur, factum eſt Latinorum *Pergamum*. *Plinius* nunquam *Pergamus*, ſemper *Pergamum*, dixiſſe obſervatur.

tur. *Lib. V Hiſt. nat. Cap. 33: In ea Pioniæ, - - - longeque clariſſimum Aſiæ* Pergamum. *Lib. XXXV Cap. 46: Retinet hanc nobilitatem - - in Aſia* Pergamum. Eidem alia Cretæ urbs vocatur *Pergamum Lib. IV Cap. 20: Oppida ejus (Cretæ) inſignia* - - Pergamum, &c. *Plinio Seneca* accedat, cui ipſa Troja vocatur *Pergamum* in *Troad. I v. 14:*

Exciſa eſt ferro Pergamum.

Quem locum ob id inprimis notandum putem, quod hic *Pergamum* efferatur genere fœmineo, præter morem aliorum Scriptorum, & ipſam Latinæ linguæ rationem. Sed ipſam etiam Græcorum appellationem *Pergamon* in Latium traductam video a *Corn. Severo* in *Ætna v. 18:*

Quis non Argolico deflevit Pergamon *igni*
Impoſitum, &c.

& *v. 586:*

Miramur Trojæ cineres, & flebile victis
Pergamon, &c.

Inde ſcilicet *Pergama* eſt plurali numero, hocque uſitatiſſimum Poetis inprimis nomen eſſe, probe ſcio.

PERSIS, Adject. In Lexico Subſtantivum eſt nomen *Perſis*, proprium regioni illi, quæ & *Perſia* vocatur. Neque vero, in adjectivis etiam ponendum eſſe, & idem, quod *Perſica*, notare, dubites, ſi legeris *Ovidii* verſum *Art. am. Lib. I, 172:*

Quid modo cum belli navalis imagine Cæſar
Perſidas *induxit Cecropidaſque rates?*

Nihil enim *rates Perſides* a *Perſicis* differunt.

PHALA-

PHALASARNEUS. Cretæ oppidum *Phalaſarna* eſt, memoratum variis Scriptoribus, & deſcriptum a *Cellario* in *Geogr. orb. ant. T. I Lib. II Cap. 14 §. 68 p. 1027.* Inde nomen gentile *Phalaſarneus eſt*, hominem denotans, *urbe illa oriundum*. Mihi notum eſt e *Livio*, cujus hæc ſunt *Lib. XLII Cap. 51: Cretenſium par pæne numerus ſuos duces ſequebatur, Suſium Phalaſarneum, & Syllam Gnoſſium.*

PHYLLEIUS, *a, um.* Nominat quidem hanc vocem *Faber*, ſed ad eam probandam exemplo tali utitur, unde nihil minus probari poteſt. Habet enim non *Phylleius*, ſed *Phyllæus*, verſus ille *Ovidii Met. XII, 479:*

Nudaque Phyllæi *juvenis ferit oſſa ſariſſa.*

A *Phyllæus* autem quantum differat compoſitione *Phylleius*, omnes vident. At rectius attuliſſet *Faber* alium ejusdem *Naſonis* verſum *Lib. III Art. am. v. 783:*

Nec tibi turpe puta, crinem, ut Phylleia mater,
Solvere, &c.

Sic enim conſtanter legunt MSti Codices; etſi, quæ ſit *mater Phylleia Ovidio*, & unde ita dicta, non ſatis conveniat inter eruditos. *Laodamiam* intelligit *Nic. Heinſius*, & hanc conjecturam iis rationibus, quæ plurimum habere ponderis videntur, probat in *Nota ad Ovidii Ep. her. XIII v. 35.*

PISISTRATIDÆ. In Athenienſium republica magnum nomen habuit *Piſiſtratus* tyrannus, omnium fere Scriptorum Græcorum monumentis

numentis celebratus. Hujus liberi & poſteri, ac domus univerſa, *Piſiſtratidæ* vocantur *Livio Lib. XXXI Cap.* 44: *Poſtremo incluſum, ut omnia, quæ adverſus* Piſiſtratidas *decreta quondam erant, eodem in Philippo ſervarentur.* Poetis hujus formæ patronymica familiariſſima ſunt; parcius autem uſurpata his, qui proſa oratione utuntur.

POPILLIUS, *a, um.* Illuſtris in Romanorum republica gens *Popilliorum* fuit, ex quibus *Cajus* inprimis & *Marcus*, ut vel ex *Livio* conſtat, ſummos Conſulatus honores geſſerunt. Dedit hoc nomen originem Adjectivo *Popillius, omne id, quod eſt Popilliorum*, deſignanti. Inde eſt *familia Popillia* apud *Livium Lib. XLII Cap.* 22: *M. Popillius rogatione Marcia bis apud C. Licinium cauſam dixit; tertio Prætor, gratia Conſulis abſentis, &* Popilliæ familiæ *precibus, victus, Idibus Martiis adeſſe reum juſſit.* De *tribu Popillia* ſcribit *Feſtus de V. S. Lib. XIV:* Popillia tribus *una quinque & triginta tribuum, tot enim fuerunt, a* Popilliæ *fæmina felici nomine appellata, quomodo tribus quoque Pinaria a ſorore Pinarii ſive ab ejus nomine.* Addit *Paulus* in *Epitome Feſti:* Popillia tribus *a progenitrice traxit vocabulum.* Sed diſputant inter ſe viri docti, an ſatis recte *Feſtus* originem nominis a fœmina duxerit. Legendæ igitur ad hunc locum Notæ ſunt *Ant. Auguſtini, Juſti Scaligeri, & Andr. Dacerii.* Etiam lex illa *Papia* de Veſtalibus, cujus mentionem facit

cit *Gellius Lib. I Cap.* 12, in Codicibus æque ac editionibus nonnullis *Popillia* vocatur.

POTITIUS, *a*, *um*. De gente *Potitiorum*, *Herculis* miniſtra, & miris ejus fatis, nihil hic docemus Lectores, dudum cognita hæc ex *Livio* inprimis & *Valerio Maximo* habentes. Mihi ſatis eſt, adjectivi nominis, cui originem dedere *Potitii*, indicium feciſſe Lectori ex *Valerii Maximi Lib. I Cap.* 1 *§.* 17: *Omnes, qui erant numero ſuper XXX puberes, intra annum exſtincti ſunt, nomenique* Potitium, *in duodecim familias diviſum, prope interiit.* Præterea in *Livii* loco *Lib. IX Cap.* 29: *Eodem Appio auctore* Potitii *gens, cujus ad aram Maximam Herculis familiare ſacerdotium fuerat, ſervos publicos miniſterii delegandi cauſa, ſolennia ejus ſacri docuerat*, pro *Potitii* in variis Codicibus legitur *Potitia*.

ROMULARIS, Adject. A *Romulo* vox eſt *Romularis*; non igitur excludi hæc in Lexico a numero reliquarum, quæ communem illam agnoſcunt ſtirpem, debebat. Hoc nomine appellata olim fuit Romanis ficus quædam, haud procul ab urbe ſita, alio nomine *Ruminalis* etiam vocata. Locus eſt in *Livii Lib. I Cap.* 4: *Ita velut defuncti regis imperio, in proxima alluvie, ubi nunc lacus Ruminalis eſt*, (Romularem *vocatam ferunt*) *pueros exponunt.* Quæ ad *h. l.* *Duckerus* & *Drakenborchius* notarunt, inprimis legi merentur. Quam vocavit *Romularem Livius*, *Romulam Ovidius* vocavit *Faſt. Lib. II v.* 412:

Romula *nunc* ficus *Rumina ficus erat.*

SCHOR-

SCHOENEIS. Patronymicum eſt nomen, a Poetis datum *Atalantæ*, filiæ *Schœnei*, Regis Scyri, non ignobilis Inſulæ. Loca ſunt in *Claudiani Car. XXIX v. 170:*

Hippomenes trepidus curſu ferroque ſecutam
Aurato volucrem flexit Schœneida *pomo;*

& in *Ovidii Ep. her. XVI v. 267.*

Ut tulit Hippomenes Schœneida, *præmia curſus;*

& *Ep. XXI v. 123:*

Cydippen pomum, pomum Schœneida, *cepit;*

item *Amor. I, 7, 13:*

Sic formoſa fuit, talem Schœneida *dicunt,*
Mænalias arcu ſollicitaſſe feras.

Sed, quod recte ad *h. l. Micyllus* docet, confundit hic nomina *Ovidius*, & alteram *Atalantam*, quæ *Jaſii* filia fuit, *Schœneida* dixit.

SCHOENEIUS, *a*, *um*. Eandem, quam *Schœneis*, ſtirpem hoc Adjectivum habet, ſi ſignificationem ſpectes, inter patronymica referendum. Idem enim *Schœneia virgo* eſt, quod *Schœneis*, Schœnei filia. Vocatur hoc nomine *Atalanta Ovidio Met. Lib. X v. 660:*

- - - - - dubium, Megareius heros
Gaudeat, an virgo *magis his* Schœneia *dictis;*

& *Triſt. II v. 399:*

Quid loquor Hermionen? Quid te, Schœneia virgo?

Abſolute etiam *Schœneia* pro *Atalanta* dicitur eidem *Ovidio Met. X, 609:*

Talia dicentem molli Schœneia *vultu*
Adſpicit: &c.

SENTINAS. Situm eſt in Umbria oppidum, *Ptolemæo* Σεντῖνον, *Frontino* in libro de *Coloniis Sentis*, appellatum. Hujus cives dicti ſunt *Sentinates Plinio Hiſt. nat. Lib. III Cap.* 19: *Peleſtini*, Sentinates, *Sarſinates*; & in antiqua Inſcriptione apud *Gruterum pag.* 467 legitur: ORDO. ET. PLEBS. SENTINATI. Sed vim etiam Adjectivi habet iſta vox in *Livii Lib. X Cap.* 27: *Hujus populationis fama Etruſcos ex* agro Sentinate *ad ſuos fines tuendos movit*; & *Cap.* 30: *Magna ejus diei, quo in* Sentinati agro *bellatum, fama eſt*; *Cap.* item 31: *Proximo anno Samnites in* Sentinati agro, &c. *Frontinus* autem *in Sentinati* pro *in Sentinati agro* dixit *Strateg. Lib. I Cap.* 8 §. 3: *Contra quos & ipſe trans Apenninum in* Sentinate *caſtra communiebat*, &c. Ita *in Antiate*, *in Cærite*, *in Vejente*, *in Hoſtico*, *in Capenate*, *in Cruſtumino*, *in Tuſculano*, *in Mutinenſi*, ſæpiſſime *Livius* & *Iul. Obſequens*, ut variis exemplis oſtenderunt *Jo. Fr. Gronovius* & *Arn. Drakenborchius* ad *Livii Lib. XXII Cap.* 1.

SESTUS, *a*, *um*. Nota eſt amoribus *Herus* & *Leandri* urbs *Seſtus*, ad Helleſpontum ſita. Inde, inſolita ratione, & licentia, ni fallor, poetica, gentile *Ovidio* formatur *Seſtus*, cum potius formandum eſſet *Seſtius*. Ita enim *Stephanus*: ὁ πολίτης Σήςιος, & in nummo quodam *Gordiani* legitur Σηςιων. At *Seſta puella Ovidio* dicitur *Hero* in *Ep. her. XVIII*, 2:

Mittit Abydenus, quam mallet ferre, ſalutem,
Si cadat ira maris, Seſta puella, *tibi.*

 Inuſitate,

Inuſitate, inquit *Micyllus*, *dictum* Seſta, *pro* Seſtia, *ſive figuram malueris dicere*, *ſive Poetæ auctoritati tribuere*, *cui*, *verſus gratia*, *poſſeſſivum hoc ita incidere licuerit.* *Heinſius* autem, ſi per libros antiquos liceat, malle ſe *Seſti*, ait, ut *Lesbi* in *Epiſtola Sapphus Ovidiana* pro *Lesbia* dicatur. At repugnant, ut ipſe *Heinſius* agnoſcit, huic conjecturæ MSti Codices; nec mihi ullum notum eſt Auctoris veteris exemplum, unde voci *Seſtis* peti aliquid auctoritatis poſſit. Vulgare autem urbis hujus nomen gentile *Seſtius* eſt, *Statio* & *Sidonio Apollinari* uſurpatum.

SILVIUS, *a*, *um*. Vel ex antiquiſſimis Romæ nondum conditæ temporibus notum eſt *Silviorum* nomen, commune, ut *Livius* refert *Lib. I Cap. 3*; *omnibus*, *qui Albæ regnarunt.* Inde adjectivum nomen eſt *Silvius*, uſurpatum eidem *Livio* eodem *Capite*: *Numitori*, *qui ſtirpis maximus erat*, *regnum vetuſtum* Silviæ *gentis legat.* In ejusdem *Capitis* verbis: *Manſit* Silviis *poſtea omnibus cognomen*, *qui Albæ regnarunt*, pro *Silviis*, *Silvium* legendum videbatur *Lipſio* & *Grutero*, quorum ille huc trahenda putabat varia exempla *Livii*, in quibus *nomen Tarquinium*, *Fabium*, & ſimilia, leguntur. Nihil autem huc valere illa, quæcunque ſunt, exempla, docuit *I. F. Gronovius*, quod in his univerſæ cujusdam gentis nomen, non cognomen viri, ſignificetur a *Livio*; in quo facile asſenſum præbebunt *Gronovio*, quicunque ſunt generi dicendi *Liviano* aſſueti. Idem *Gronovius* in aliis, quæ *Lipſius* adduxerat, exemplis

Livii:

Livii: Aſcanium *dixere* nomen, L. Tarquinium Priſcum *edidere* nomen, & quæ his ſimilia ſunt, recte agnoſcit epexegeſin, ſeu compoſitionem quaſi Subſtantivi cum Subſtantivo, non Adjectivi cum Subſtantivo.

SYGAMBRA. Notatur hac voce *fœmina ex gente Sygambrorum*. Habet eam unus, quod ego quidem ſciam, *Ovidius*, isque ſemel tantum, *Lib. I Amor. Eleg.* 14 *v.* 49:

Neſcio quam pro me laudat nunc iſte Sygambram.

Et, ita ſcribendum, non *Sicambram*; quod multi volunt, non tantum Codicum probatiſſimorum conſenſus, ſed Græcæ etiam ſcripturæ ratio, docet. *Ptolemæo* enim populus vocatur Συγαμβροι.

TARQUINIUS, *a*, *um*. Ita ſolet plerumque *Livius*, ut ex nominibus, quæ ſunt virorum, gentium, urbium, propria, ejusdem formæ Adjectiva effingat. Alia exempla aliunde diſces; nunc docuiſſe hoc ſatis ſit vel uno nomine *Tarquinius*, quod, natura ſua in Subſtantivis ponendum, etiam Adjectivum fecit *Livius Lib. I Cap.* 47: *Dii te penates patriique, & patris imago, & domus regia, & in domo regale ſolium*, & nomen Tarquinium, *creat vocatque regem*. Idem *gentem Tarquiniam* memorat *Lib. II Cap.* 2: *Ita perſuaſum eſt animis*, cum gente Tarquinia *regnum hinc abiturum*. Et paulo poſt: *Brutus ex Senatusconſulto ad populum tulit*, *ut omnes* Tarquiniæ gentis *exules eſſent*: &c.

VICILINUS. Hic veniam mihi dari velim a Lectore, ſi nominavero tantum vocem ,, non ſimul, quid ea ſignificet, docuero. Nam, cum ante me doctiſſimi quique viri, id ipſum ſe ignorare, profeſſi ſint, mihine, ignorare, turpe putetur? Habet hoc nomen unus *Livius*, cui *Jupiter Vicilinus* nominatur *Lib. XXIV cap.* 44: *Navium longarum ſpecies in flumine Tarracinæ, quæ nullæ erant, viſæ, & in* Jovis Vicilini *templo, quod in Compſeno agro eſt, arma concrepuiſſe;* &c. Tacet hic, præter morem ſuum, *Gronovius*, niſi quod, in Codice optimo exſtare *Viſilini*, doceat. Etiam *Drakenborchio* ſatis eſt, varietatem lectionum annotare. Libere autem *Glareanus*:

> *Quis ſit* Jupiter Vicilinus, *aut unde ita dictus, non equidem memini.*

Pag. 148 *lin.* 1 vitioſe exſcriptum eſt *ctum* pro *id factum; ead. pag. lin.* 12 *Angl.* pro *Anglo; pag.* 162 *lin.* 22 *vero* pro vero; *pag.* 163 *lin.* 15 *a Plinio* pro *Plinius; pag.* 164 *lin.* 30 *dadens* pro *docens; pag.* 165 *lin. ult. lusid* pro *ludis.*

MISCELLANEA
LIPSIENSIA
NOVA,

AD INCREMENTVM
SCIENTIARVM,
AB HIS,
QVI SVNT IN COLLIGENDIS
ERVDITORVM NOVIS
ACTIS
OCCVPATI,
PER PARTES PUBLICATA.

VOLUMINIS SECUNDI PARS SECUNDA.

LIPSIÆ,
APVD IO. FRID. GLEDITSCHIVM.
MDCCXLIV.

I.

PETRI ZORNII,

IN GYMNASIO THORUNENSI RECTORIS, PROFESSORIS PRIMARII, ET BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ PRÆFECTI,

DISSERTATIO
DE
חבלי משיח, SIVE DOLORIBUS MESSIÆ,
EX
ANTIQUORUM ET RECENTIORUM EBRÆORUM IUDICIO.

I.

Scriptoribus ſacris admodum familiare eſt, *motus mundi*, *quibus gentes ad regnum Chriſti adducendæ erant*, *partum & partitudinis dolores* vocare [a]. Nolumus hic repetere, quæ præter JOSEPHUM MEDUM, [b]

a) Vide *Jeremiæ XXX, 6, 7, Michæ V, 1, 2, Joannis XVI, 21, ad Romanos VIII, 19, 22.*

b) Vide hujus *Clavem Apocalypticam pag. 150.*

CAMPEGIUM VITRINGAM, [c] & GEORGIUM LUDOVICUM RHODIUM, [d] alio loco & tempore obſervavimus. [e] Inprimis apud *Eſaiam* *LXVI*, 7, 9, introducitur *Eccleſia*, quæ, *tanquam doloribus partus diſtricta*, ſubito admodum & præter exſpectationem *pepererit* זכר, *fœtum maſculum*, & cum eo integram gentem uno die. Ea res proponitur ut mirabilis, & eventura dicitur poſt ſpretos abjectosque Judæos carnales. Præterquam autem, quod *Ebræi veteres* apud HIERONYMUM A SANCTA FIDE [f] ex illo *Eſaiæ* vaticinio collegerunt, *Meſſiam ante excidium Hieroſolymorum naſciturum*, etiam iidem Ebræi

c) In *Anacriſi Apocalypſeos pag.* 715.

d) In *Diſſertatione ſacra ad illuſtrationem verborum ad Romanos VIII*, 19 - 22, §. *XL pag.* 489; *Tomi II Miſcellaneorum Duisburgenſium Faſciculo III.*

e) In *Hiſtoria* noſtra *Bibliorum mandalium, ex Antiquitatibus Eccleſiarum ſecundum decem Seculorum ſeriem illuſtrata, Capite VIII, Nota IV, pag.* 80 *ſeq.*

f) *Libri I contra Judæos Capite II*, indicio IOANNIS LIGHTFOOTI in *Horis Hebraicis & Talmudicis ad Marci XIII*, 9, *pag.* 641: *Habetur in Geneſi magno antiquiſſimo. Dixit* R. Samuel bar Nahaman: *unde probabis, quod in die, qua fuit deſtructio Templi, natus fuit Meſſias? Ab hoc, quod habetur Eſaiæ ultimo:* Antequam parturiret, peperit, antequam veniat partus ejus, peperit maſculum. *In eadem hora, qua facta eſt* Templi deſtructio, *clamabat* Iſrael tanquam parturiens. *Et* Jonathas *in Chaldaica translatione dixit: Antequam veniret ejus anguſtia, ſalva facta*

Ebræi ſubinde loquuntur de חבלי משיח, *doloribus Meſſiæ*; id eſt, de calamitatibus, quas exſpectarunt ad adventum Meſſiæ futuras.

II.

Et vero hæc *Ebræorum de doloribus Meſſiæ* ſententia digna utique eſt notatu. Audiamus hanc in rem IO. HENR. HOTTINGERUM: „g De triſti temporum, quibus Meſſias in hanc „lucem edi debuit, facie non obſcure loquuntur „hinc inde ipſi Ebræorum Magiſtri. *Talmudici* „ſane *dolores Meſſiæ* ita magnifice exaggerant, „ut non parum mirari ſubeat, qua fronte verti„ginoſi verpuli halcyonia, omniumque rerum af„fluentiam, polliceri ſibi audeant h. Aliter longe veteres

eta eſt; & ante, quam ei venirent dolores partus, *Meſſias revelatus eſt*, *Chald.* יחבלי מלכה. Ceterum confer paulo inferius hujus Diſſertationis *Notam* x).

g) In *Enneade, ſeu Parte prima*, *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ pag.* 2.

h) Namque ex depravata & erronea opinione perſuaſi erant, *Meſſiam non moriturum*, in eaque re a fide Eccleſiæ priſcæ Judaicæ defecerant. *Bechai in Legem fol.* 21, 1: *Meſſias non moriturus eſt; ſed victurus in æternum.* MAIMONIDES de Rege Meſſia ſub finem *Capitis I*, (quæ verba in quibusdam editionibus omiſſa ſunt, ex aliis tamen codicibus a viris doctis reſtituta,) apud LEYDEKKERUM in *Appendice* ad illud *Caput pag.* 215: *Et, ſi non huc usque proſperetur*, (ſcilicet ut templum reſtituat, & unam religionem per totum orbem terrarum introducat,) *aut occida-*

„veteres ſenſerunt Talmudici [i]. Unde ABAR-„BANEL [k] ſcribit, *audiviſſe Chriſtianos a Judæis*, „quod graviſſimæ ſint in orbe futuræ calamitates „tempore Meſſiæ.„ HOTTINGERO addimus laudatum RHODIUM, cujus verba itidem repetere operæ pretium fuerit: Norunt etiam Judæi „חבלי משיח„, *dolores Meſſiæ*, quos regnum ejus „& adventum comitaturos eſſe aiunt. Et ego „quidem puto, eos hoc nomine complecti to-„tum tempus regni, quod glorioſum ſtatum an-„tecedit, etſi ipſi id, ut multa alia, quæ a piis „Patribus accepere, & quoad literam repetunt, „non intelligant. [l] Quæ cum ita ſint, facile in-telligi-

cidatur, manifeſtum eſt, quod non ſit ille, quem promiſit. - - Etiam de Jeſu Nazareno, qui putavit, ſe Meſſiam eſſe, & occiſus eſt per Synedrium, olim ſic vaticinatus eſt Daniel Cap. XI v. 35, & filii effractorum populi tui efferent ſe ad ſtabiliendum viſionem, & cadent. Hactenus obſervatio CHRISTIANI SCHOETTGENII in *Horis Hebraicis & Talmudicis in univerſum Novum Teſtamentum pag. 931.*

i) Teſtimonia Talmudicorum, ad quæ provocat HOTTINGERUS, vide paulo inferius *Nota* r).

k) In *Commentario in Danielem.*

l) Hinc impiæ preces: *veniat Meſſias, at non videbo eum*, Gem. Sanhedrin *Cap. XI §. XXXV*, & alius Canon *Schabb fol. 118*: *Qui ter convivatur in Sabbatho, a tribus malis conſervabitur, a doloribus Meſſiæ, a cruciatu inferni, & a bello Gog & Magog.* Vide MELCH. LEYDEKKERUM ad MAIMONIDEM de Rege Meſſia, *Faſciculorum* THOMÆ CRENII *Tomo IX pag. 193*, I. C. WAGENSEILIUM in *Telis igneis Satanæ pag. 541*, & IOANNEM

„telligimus, quid ſibi Chriſtus velit, quando „ἀρχὴν ὠδίνων *Matthæi XXIV*, 8, 9, & *Marci* XIII, 8, nominat. Sunt denique, qui cum CHRISTIANO LUDOVICO MIEGIO [m] exiſtiment, in abolitione Oeconomiæ veteris per bellum etiam Judaicum innui conſummatam ἀρχὴν tantum ὠδίνων, *initium commotionum*, quæ *perfectioris ſtatus partum* promovent; at Græcam vocem alia ratione explanat GOTTFRIDUS OLEARIUS. [n] Nempe haud infrequens eſt id genus loquendi Scriptoribus *Ebraizantibus*, ex Linguæ Ebraicæ indole ductum, in qua ראש, itemque ראשא, [o] quibus respondet

N 3 Græca

ANNEM LIGHTFOOTUM in *Horis Hebraicis & Talmudicis ad Marci XIII*, 9.

m) In *Diſſertatione ad Haggai II*, 6, 7, *de ventura poſt commotiones externas, internas, deſiderio gentium*, §. *XXVI*.

n) In *Obſervationibus ſacris in Evangelium Matthæi pag.* 679.

o) Notum, ראש, *caput*, paſſim apud Ebræos pro *initio* ſumi. Sic 1. *Paralipom. XIV*, 15: Cum audieris inceſſum בראשי הבכאים, *in capitibus mororum*, id eſt, in initiis, non in cacuminibus, ut volunt; neque enim in mororum cacumine quisquam incedit. In *Eſaia LI*, 20, in *Threnis Jeremiæ II*, 19, *in Nahumo III*, 10, legimus כל חוות בראש, *in capite omnium platearum*, id eſt, in principio. Et in *Ezechiele XVI*, 25, 31, *XXI*, 24, & *XLII*, 12, ראש דרך, *caput viæ*, eſt initium viæ. Denique in *Jeremia XXII*, 6, *Galaad vocatur* ראש הלבנן, *caput Libani*, quia Libanus incipit inde, ubi deſinit Galaad. Vide SAMUELEM BOCHARTUM in *Parte I Geographiæ ſacræ*,

Græca vox ἀρχὴ non *caput* tantum & *initium rei*, ſed ejus *excellentiam* quoque & dignitatem, notat. Sic Behemoth *Jobo XL*, 19, ἀρχὴ πλάσματος κυρίου, hoc eſt, creatura Dei excellentiſſima, & timor Domini *Pſalmo CX*, 9, ἀρχὴ σοφίας, hoc eſt, præſtantiſſima ſapientia, vocatur: quæ expendenti novum videri non poſſit, ἀρχὴν ὠδίνων *dolores maxime inſignes* interpretari. Audivimus adhuc OLEARIUM. Quod ad IACOBUM GUSSETIUM attinet, is in *Veſperis Groninganis pag.* 235 ἀρχὴν ὠδίνων reddit *initium dolorum*, prænuntiorum doloris illius ingentis, quem toleraturus erat populus Judaicus in ſuo excidio & urbis Jeruſalem everſione. Denique PETRUS KEUCHENIUS in *Annotatis in IV Evangeliſtas & Acta Apoſtolorum pag.* 105 diſquirit, cur *Marci XIII*, 8, ταραχαὶ & ὠδῖνες coniungantur. Nimirum verbum חול varias habet ſignificationes. Denotat enim *parturivit*, *doluit*, *timuit*, &c. Ab hoc autem verbo derivatur vox Ebraica חלחלה, quæ *dolorem intenſum* & *cruciatum* deſignat. Obſer-

ſacræ, ſive Phaleg, Libro IIII, Capite XIII. Porro autem per ראש *excellentia* alicujus rei denotatur. *Cantici IV*, 14, ראשי בשמים *capita aromatum*, id eſt, præſtantiſſima aromata. ראש מר *caput myrrhæ*, LXX, τὸ ἄνθος σμύρνης flos myrrhæ. בראש כל בשם *capite omnis aromatis*, id eſt, præſtantiſſimo quoque aromate, *Ezech. XXVII*, 22, בשמים ראש *aromata præcipua Exodi XXX*, 23, שמן ראש *oleum capitis*, id eſt, præſtantiſſimum, *Pſalmo CXLI*, 5, ראשית שמנים *principium*

Obſervandum autem porro, vocem hanc a LXX Interpretibus verti *ταραχὴν* *Ezechielis* XXX, 4, 16, *Eſthera IV*, 4, itemque conjunctim *ταραχὴν* & *ὠδῖνας Eſaia XIII*, 8. Conſimili igitur ratione hic a *Marco* tot tantisque bellorum fluctibus *ταραχαὶ* ſubiunguntur, hoc eſt, *animi perturbationes*, *metus*, inprimis vero etiam *cruciatus & dolores graviſſimi*, quales parturientium eſſe ſolent, unde merito ab Evangeliſta *ταραχαὶ* & *ὠδῖνες* conjunguntur. Ne autem quiſpiam forte exiſtimet, ſimul ac vehementes hi motus & dolores excitarentur, mox finem laborum futurum eſſe, *Chriſtus appoſite monet, hæc tantum dolorum & parturitionis principium facere.*

III.

Quicquid autem ejus rei erit, certe *veteres Ebræi*, quotquot ſano ſenſu *de doloribus Meſſiæ*, ſive de calamitatibus, ad adventum Meſſiæ exſpectandis, loquuntur, etiam ſtatum illius *Seculi graviſſimis criminibus immerſi*, quo Soſpitator noſter inter Judæos vixit, deſcribunt, & fidem ſacrorum Scriptorum magis magisque confirmant. Præter ADRIANUM RELANDUM, p) IO. HENR.

pium unguentorum, id eſt, unguentum primarium, *Amos VI*, 6, *Sirach XI*, 3, *ἀρχὴ γλυκασμάτων*, *principium dulcedinum*, mel appellatur, quia primas tenet inter dulcia.

p) In *Antiquitatibus ſacris veterum Hebræorum delineatis Parte II, Capite II, §. VIII, pag.* 155.

HENR. HOTTINGERUM,[q] & CHRISTIANUM SCHOETTGENIUM,[r] inprimis conſulatur CHRISTIANUS LUDOVICUS MIEGIUS,[s] qui, præmiſſis quibusdam de veterum Ebræorum ſuffragio verbis,[t] tandem hæc notatu digna addit: Hoc teſtimonium inſigne eſt, de

q) In *εἰσαγωγῇ ad Studium Antiquitatum Judaicarum* §. *XXII.* Legitur autem hæc Iſagoge præfixa ejusdem Notis in THOMAM GOODWINUM.

r) In *Horis Hebraicis & Talmudicis* ad *Matthæi X, 35, Sota fol. 49, 2, pag. 973, ed. Wagenſ.*: Paulo ante adventum Meſſiæ filius irritabit patrem, nata inſurget adverſus matrem, nurus contra ſocrum, denique ſuos quisque domeſticos inimicos habebit. *Sanhedrin fol. 97, 1*, ex verſione EDZARDI ad *Avoda Sara Cap. 1 pag. 248 R. Nehorai dicit: Æeate iſta, qua Meſſias veniet, juvenes pudefacient vultum ſenum, & ſenes ſtabunt contra juvenes, & filia contra matrem, nurus contra ſocrum, & homines ætatis iſtius caninam faciem (impudentiam) habebunt, nec filius patrem reverebitur. Qui ad hæc verba Chriſtum non reſpexiſſe dicit, ut Judæos ex auctoritate Rabbinorum, & propriis ipſorum principiis, convinceret, næ is in media luce caligare, & oculos data opera claudere, cupit.*

s) In *Diſſertatione ad Amos IX, 11, de Fatis Tabernaculi Davidici Parte I §. XV ſeq.*

t) *Judæi, regni Davidici collapſionem adventum Chriſti præceſſuram, magno conſenſu tradunt* Cap. Chelek fol. 97. Exſtat ea de re inſignis locus in *Sanhedr.* COCCEII *Tomo VII pag. 123*, in WAGENSEILII *Sota pag. 97*, apud GERSOM *im Juden Schatz pag. 101*, quem multi quidem ex noſtris hinc inde, ſed non ſine varietate notabili, allegarunt;

de quo hæc in uſum noſtrum decerpimus & uſurpavimus. I, *Antiquiſſimum* eſſe; & pridem ante *deſtructionem Templi & Reipublicæ* de criteriis adventus Meſſiæ latum, uti patet tum ex *Matthæi X, 35*, ubi Chriſtus ad hæc eorum criteria quaſi alludendo dicit: Veni, ut diſſidere faciam virum adverſus patrem ſuum, & filium adverſus matrem ſuam, & nurum adverſus ſocrum ſuam, tum ex eo, quod de deſtructione Templi, Reipublicæ, & Synedrii Magni, juxta antiquiorem ejus lectionem, quam ſtudio poſtea Judæos immutaſſe probabile eſt, dicitur, II, Patet hinc, quod *Meſſias eo prorſus tempore venerit*, quo juxta communiorem Judæorum tra-

garunt, inde nata, quod multa varie in hunc locum apud Judæos legantur. Antiquiſſimas & optimas lectiones *Jalkut* ad *h. l.* continere videtur, unde prein nos eum, uti ibi legitur, repræſentabimus. Dicit *R. Nachman R. Iſaaco*: *Num audiviſti, quando venturus ſit* בר נפלי, *filius collapſæ?* Ille reſpondet: Quis eſt ille filius collapſæ? Dicit hic: *Meſſias*. Tum alter: Tune illum filium collapſæ nomines? Reſpondet prior: Annon legiſti: Illo die ſuſcitabo tabernaculum *Davidis* collapſum? Tum alter ad hæc: Dicit Rabbi Jochana; *ea tempeſtate, qua venturus eſt Filius David*, diſcipuli Sapientum imminuentur, ceterorumque oculi angore & mœrore contabeſcent, & *magnæ in mundo erunt afflictiones*, ita ut primam caſtigationem altera protinus ſit exceptura. Tradunt Rabbini: *ſeptem anni, vel periodi, præcedent Meſſiam.* Anno primo implebitur dictum illud: & pluam ſuper unam civitatem, & ſuper alteram non pluam,

ditionem ei veniendum erat. Vix enim ovum ovo ſimilius eſt, quam hæc criteria & tempori reſpondent, quo Chriſtus venit. Tum ſingulares & continuæ populi ſub Romanis afflictiones erant, tum fama exierat in univerſam terram de venturo Rege ex Oriente. IOSEPHUS *Antiquitatum Judaicarum Libro VII*, *Capite XII*, & alibi. Tum bella præceſſerant immediate, & per ruinam regnorum Orientis Meſſiæ via ad reliquias X Tribuum, quæ in fide Judaica permanſerunt, patefacta fuit, tum domus Domini in lupanar, vel, ut Chriſtus id reddit, in ſpeluncam latronum, *Matthæi XXI*, 13, converſa erat. Libanon templum mox poſthæc deſolatum, & viris Synedrii Magni nil niſi triſtis fuga de uno loco in alium relicta, ſapientia

Amos IV, 7. Anno ſecundo ſagittæ famis mittentur (id eſt, hic illic, non ubique, fames erit). Tertio fames magna erit; & morientur viri, fœminæ, infantes, pii, rebus geſtis illuſtres, & Lex oblivioni tradetur a diſcentibus. Quarto ſatietas erit & non ſatietas. Quinto ſatietas magna erit, & Lex reſtituetur diſcipulis. Sexto קולות voces erunt (COCCEIUS vertit *tonitrua*, ſed videntur intelligere famam excitatam de adventu Meſſiæ; ita *Raſchi: exit vox, quod Meſſias venturus ſit*, niſi forte & fama ſit de exorituris bellis). Septimo bella erunt: ſub exitum ſeptimæ periodi Filius David venit. Ad quæ R. *Joſeph* repoſuit: Quot iam ſeptem tales anni ſeu periodi præterierunt, & tamen nondum venit? Reſpondet ei *Abba*: eæ, quæ ſexto anno ſeu Periodo exſpectantur, voces, & quæ ſeptime

tia Phariſæorum, hypocritica illa, tum potiſſimum fœtuit, multis contra gregatim in deſertum ad *Joannem*, ejusque ſapientiam Φιλέρημον, & Chriſti illam manſuetam & gregalem, percipiendam abeuntibus. Tum apud Phariſæos nil niſi impudentia erat, quæ Judæis omnibus faſtidio erat, apud reliquos Sadducæismus viguit, & Epicureiſmus. Ita & his temporibus illa fames magna reſpondet, de qua hic mentio fit, qualis tum ſub *Ptolemæo*, tum cumprimis ſub *Claudio*, tam gravis orbem occupavit, (IOSEPHUS *Antiquitatum Judaicarum Libro XX Capite II*,) ut de ea, ceu ſingulari dierum Meſſiæ criterio, & ſucceſſuræ famis ſpiritualis prænuncio, Prophetæ, *Amos VIII, 11*, *Eſaiæ VIII, 21*, *Lucæ VI, 21*, ſæpius egerint. III. Cernimus etiam hinc, Judæos ejus tempeſtatis in dignoſcendis typis

mo bella nondum veneret, aut, ſi venere, non eo tamen ordine venere. R. *Jebuda* dicit. Quo tempore Filius David venit, domus conventus in lupanar convertetur, & Galilæa vaſtabitur, (ita recte COCCEIUS, IO. HENR. HOTTINGERUS in Εἰσαγωγῇ *ad Studium Antiquitatum Judaicarum* §. *XXII*, & IO. LIGHTFOOTUS in *Horis Hebraicis & Talmudicis ad Marci I, 24.* WAGENSEILIUS autem, aliam lectionem ſequens, *limites Judææ deſolabuntur*,) & Libanon deſolabitur, (in *Sanhedrin* hodie legitur גבלן, quod COCCEIUS & HOTTINGERUS *l. c.* Gabalene vertit, WAGENSEILIUS ex *Aruch* melius *regionem Judaicam*, ſed hæc antiquior lectio non incommoda eſt, & frequenter apud Judæos Libanon Templum notat,) & viri Synedrii Magni (ita *Jalkut*

typis & vaticiniis Prophetarum de Meſſia nondum prorſus omnem ſenſum perdidiſſe. Apprime omnino huc putamus eos retuliſſe, quæ *Moſes* de puritate leproſi, ubi totam carnem albedo occupaverit, ſcripſit; hæc enim intendere videtur Legislator, tum perfectam juſtitiæ & ſalutis noſtræ cauſam adfore, quando homines ex conſpectu totius mundi, quaquaverſum patet, corrupti, pleniſſime convicti eſſe poterunt de impotentia carnis ad obtinendam juſtitiam. Ita nec male ad adventum Meſſiæ illa

Jalkut גזית, *Sanhedrin* בכרל, hoc a recentiore manu poſt deſolationem Judææ) de civitate in civitatem tranſibunt, & nemo miſerebitur eorum, & ſapientia Scribarum fœtebit, & timentes peccatum ſpernentur. Facies ſeculi canina erit, veritas deficiet, abibit & gregatim habitabit in deſerto. Eo, quod dicitur, & veritas deficiet. R. *Nehorai* ait: Quo ſeculo Filius David venit, juvenes confundent ora ſenum, & ſenes coram junioribus aſſurgent, filia inſurget contra genitricem, & nurus contra ſocrum, & non erit filius, qui revereatur patrem. R. *Nehemias* dicit: Seculo, quo Filius *David* venit, impudentia augebitur, & pretioſum peccabit. Vitis reddet fructum ſuum, & nihilo minus carum erit vinum, & totus mundus Epicureiſmo addictus erit. Confirmat ſententiam hujus R. *Iſaac*, dicit ille: *Non prius venit Meſſias, quam mundus Epicureiſmo ſit addictus.* Eo quod dicitur, ubi totus converſus fuerit (leproſus) in albedinem (purus erit) *Levitici XIII, 12, 13, Deuteron. XXXI 36.* Tradunt Rabbini: cum iverit manus, id eſt, donec multiplicati fuerint proditores, vel donec

illa verba *Moſis* ex Cantico ejus referuntur, *cum iverit manus* &c. niſi quod hic primum & ſecundum adventum confundere videantur. Id vero hinc IV evidenter patet, ad extrema usque tabernaculum *Davidis* collabi debuiſſe prius, quam Meſſias adveniat: idque Judæos propria confeſſione confirmare. Hactenus CHRISTIANUS LUDOVICUS MIEGIUS, cujus induſtriam atque εὐστοχίαν IOANNES IACOBUS HOTTINGERUS [u] merito laudat. Cum, inquit,

donec minuantur Sacerdotes, vel donec nummi in marſupio deſint, vel donec deſperent homines de redemtione. Et deficiet concluſus & derelictus, ſi fas eſt dicere, donec non ſit, qui fulciat aut juvet Iſraëlem. Ita R. *Sira* ad quosdam Magiſtros, in quos incidit, rogo vos, inquit, ne elongetis ipſi (COCCEIUS vertit: *ne ipſius in longinquo ponatis adventum,*) adventum ejus (ſcilicet multum de eo loquentes). Tria enim ſunt, quæ nec opinanter occurrunt, Meſſias, res reperta, & ſcorpio. Addit R. *Levi*, ſi videas generationem, in qua ſtrenue unus alterum calumniatur, appropinquat Meſſias, juxta id, quod ſcriptum eſt *Pſalmo LXXXIX*, 52, 53, quo opprobrio affecerunt te inimici tui, Jehova, quo affecerunt veſtigia ſeu extrema Meſſiæ tui. Benedictus ſit Jehova in ſeculum! Amen, Amen. Hactenus illud inſigne veterum Ebræorum teſtimonium, ex quo pauca admodum verba excerpunt IO. LIGHTFOOTUS in *Horis Hebraicis & Talmudicis ad Matthæi X*, 34, *& Marci XIII*, 7, *&* PHILIPPUS MORNAEUS in libro *de Veritate Religionis Chriſtianæ Capite XIX pag.* 650, & *Cap, XXX pag.* 707.

u) In *Diſſertatione priori de Genealogia Jeſu Chriſti* §. *XXXV*.

quit, naſciturus eſſet is, quem ipſe *David* adumbravit, familia *Davidis* vix ſpiritum traxit, domus ejus non palatium erat, ſed סכה, *tentorium tumultuarie congeſtum*, qualia in uſum pecorum ſtruebantur, *Geneſ. XXXIII, 17*; non ſolida baſi nixum, ſed corruens, & ſolo æquatum, *Amos IX, 11*, quo filiorum *Davidis* paucitas & paupertas palam deſignatur. Unde Meſſias *Sanh. XI §. 26*, בר נפלי, *filius lapſorum vel collapſæ*, dicitur: cujus rationem Magiſtri arceſſunt à *lugubri & triſti conditione, qua populus Iſraeliticus ſub Meſſiæ adventum futurus ſit.* Addunt plura, quæ ſtatum populi, qualem Chriſtus vidit, vivis plane coloribus exprimunt.

IV.

De *doloribus Meſſiæ* ſententiam veterum Judæorum PHILIPPUS MORNAEUS ſatis luculenter expoſuit; [x] idem tamen ſimul obſervat,

x) *De veritate Religionis Chriſtianæ Cap. XXIX pag. 653*, apud *Eſaiam Capite ultimo*, ubi habetur: *Antequam parturiret, peperit, antequam veniret dolor ei, peperit maſculum:* R. *Moſes Hadarſan* dicit: *Antequam naſcatur, qui Iſraelem in ſummam ſervitutem rediget, Redemtor naſcetur.* Et magnus ille *Hillelis* diſcipulus, *Jonathan*, eodem loco, *ſalvabitur*, inquit, *ante anguſtias extremas, & Chriſtus revelabitur ante dolores parturientis.* Et R. *Moſes Tyrolenſis* & *Biocés* ex hoc textu, & juxta ſuam etiam ſupputationem in *Danielem*, circa ſecundi Templi finem Meſſiam exſpectabant. Iterum *Capite XXX pag. 696* nonnulli

ſervat, *y* *recentiores Judæos non ſatis perſpectam cognitamque habere Majorum doctrinam*, imo vero eandem ad ſummas usque ineptias interpolare. Recentiores Judæi, inquit,[z] dicunt: Meſſias natus eſt, & illo tempore, & illa ipſa die, qua ſecundum templum evertebatur, ut impleretur, quod ab *Eſaia* dictum fuerat: antequam parturiret, peperit, antequam doleret, peperit marem: ſed abſconditur in aliquod tempus: quod in *Commentario* ipſorum *in Geneſin* habemus *Capite XXX*. Et R. *Joſue* filius *Levi* in *Talmud Tract. Sanhed. Cap. Helec*, hanc revelationem ab *Elia* profectam, tradit. Rogo igitur, num quem Scripturæ locum proferre poſſint, qui eo pertineat. Addunt, latitaturum in magno mari 400 annos, inde 800 apud filios Chore tres fratres prophetantes in deſerto, poſtea octoginta ad valvas Romæ. Et in *Talmud R. Ioſue B. Levi*, ſe vidiſſe, dicit, inter pauperes & mendicos ulcera ſua pannis involventem. Nolo ego alios teſtes aut indices. Hæc quid? niſi

nulli Rabbini dicunt in Talmud, Chriſtum non ſecus ac puerperam ſummos dolores perpeſſurum, ſicuti habetur apud *Jeremiam cap. XXX*, ſed quos libenter toleraturus ſit, ut homines a peccato liberet.

y) *Cap. XXX pag. 692*, R. *Ula in Talmud*, *veniat*, inquit, *ſed abſit*, *ut videam*, *nimirum propter extremos cruciatus*, *quos paſſurum Meſſiam ſciebat*. Confer paulo ſuperius *Notam* l).

z) *De Veritate Religionis Chriſtianæ Cap. XXIX*, *pag. 663*.

niſi fabulæ inanes, deludendo miſero popello adinventæ? Sed hæc hactenus ex MORNÆO.

V.

Tranſeamus nunc ad inſigne illud teſtimonium, *quod Eccleſia vetus Judaica in celebratione convivii Paſchalis ſemper ante oculos habuerit dolores Meſſiæ. Peſachim fol. 118, 1,* indicio IO. LIGHTFOOTI,[a] itemque CHRISTIANI SCHOETTGENII:[b] Cur nos Hallel illud vocamus magnum? (illud ſcilicet, quod poſt cœnam paſchalem decantatum eſt) Reſp. quia in eo quinque hæ res continentur: exitus ex Aegypto, diviſio maris rubri, promulgatio legis, reſurrectio mortuorum, & *dolores Meſſiæ.* De exitu ex Aegypto teſtatur locus *Pſalmo CXIV, 1,* cum exiret Iſrael ex Aegypto &c.; de diviſione maris rubri ibidem *v. 3*: mare vidit & fugit; de promulgatione legis ibidem *v. 4*: montes proſilierunt ſicut arietes; de reſurrectione mortuorum *Pſalmo CXVI, 9*: ambulabo coram Domino; de *doloribus Meſſiæ Pſalmo CXV, 1: non nobis, Domine,* &c. Dixit quidem R. *Jochanan,* verba iſta: *non nobis,* de ſubjugatione Iſraelitarum per gentiles eſſe intelligenda; ſunt quoque, qui dicant, indigitari illo *Pſalmo* bellum Gog & Magog; ſed R. *Nachman,* fil. *Iſaac,* dicit, exſta-

a) In *Horis Hebraicis & Talmudicis ad Marci Cap. XIV, verſum 26.*

b) In *Horis Hebraicis & Talmudicis in univerſum Novum Teſtamentum pag. 311.*

exſtare in eo Hallel liberationem animarum juſtorum ex gehenna, q. d. *Pſalmo CXVI*, 4: Quæſo, Domine, eripe animam meam. *Chiskias* dixit, exſtare in eo deſcenſum juſtorum in fornacem ignis, & adſcenſionem ex eadem. &c. *Quid ergo facilius eſt*, inquit SCHOETTGENIUS, *quam hoc cognoſcere, Judæos veteres Chriſtum quoque hujus Cœnæ ſcopum agnoviſſe? Dolendum vero ſummopere eſt, poſteros ipſorum tanta mentis cæcitate laborare, ut ſalutem ſuam negligere, quam hæc agnoſcere, malint.* Quicquid autem ejus rei erit, quæri cœptum eſt, quorſum alluſerit *Paulus*, cum ait *1 ad Corinthios V*, 9: καὶ γὰρ τὸ Πάσχα ἡμῶν Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἐθύθη. Nulli, quod ad nos attinet, dubitamus, quin dictæ antiquitates Ebræorum in Cœna Paſchali ſatis notæ cognitæque *Paulo* in mentem venerint, Ebræos, qui Corinthi erant, ad Chriſtum deducenti. Ita quidem eſt. PAULO COLOMESIO [c] alludere videtur Apoſtolus ad *Esdræ locum, e Bibliis a Judæis expunctum*, quem nobis ſervavit IUSTINUS, [d] quem ita Latine verſum legas apud LACTANTIUM: [e] *& dixit Esdras ad populum: hoc Paſcha ſalvator noſter & refugium noſtrum*, & quæ ſequuntur. Nec ignoramus, RADULPHUM CUDWORTHUM [f] verba illa IUSTINI magno in

c) In *Obſervationibus ſacris pag. 16.*

d) In *Dialogo cum Tryphone Judæo pag. 297.*

e) *Libro IV Capite XVIII.*

f) In Libro ſingulari *de vera notione Cœnæ Domin. Capite II*, §. *XII.*

habere; at vero de bona fide IUSTINI non le-vicula diſputatione dubitant IO. ALB. FABRICIUS[g] & IOANNES LAURENTIUS MOSHEMIUS;[h] quamobrem malumus cohibere aſſenſionem, libenter interim nos ſocios priori, quam diximus, ſententiæ adſcribentes. Namque veteres Judæi, fatentibus recentioribus Judæis, *Caput LIII Eſaiæ* de Meſſia expoſuerunt, uti videre licet apud IOANNEM PEARSONUM,[i] PETRUM ALLIXIUM,[k] & HERMANNUM WITSIUM.[l] Ita in *Bereſchit Rabba*[m] in *Geneſin XXIV, 67*, Meſſias Rex erat in generatione impiorum, ut daret ſe ipſum ad quærendam miſericordiam pro Iſraele, & ad jejunandum ac humiliandum ſemet ipſum pro iis, ut ſcriptum eſt *Eſaiæ LIII, 5. Medraſch* in *Ruth II, 14*, eundem verſum eodem modo exponit; ſed magis adhuc diſerte R. MOSES ALSCHECII conſenſum antiquorum adducit ad hunc locum: Ecce Doctores noſtri piæ memoriæ uno ore concludunt, atque a majoribus tradi-

g) *Tomo. I Codicis Pſeudepigraphi Veteris Teſtam. pag. 151 ſeq.*

h) In *Obſervationibus* ad dictum librum CUDWORTHI *de vera notione Cœnæ Domini.*

i) In *Expoſitione Symboli Apoſtolici pag. 155 & 325.*

k) In *dem Ausſpruch der alten Jüdiſchen Kirchen wider die Unitarios pag. 26, 46, 326.*

l) In Diſſertatione *de Jeſu portante morbos, quos ſanabat, §. III pag. 399 Meletematum Leidenſium.*

m) Confer de hoc inſigni teſtimonio CHRISTIANUM SCHOETTGENIUM in *Horis Hebraicis & Talmudicis in univerſum Novum Teſtamentum pag. 1055.*

traditum acceperunt, dictum hoc eſſe de Meſſia. *Sohar Exod.* [n] in horto Eden eſt palatium quoddam, quod vocatur palatium ægrotorum; in illud ingreditur tunc Meſſias, exclamatque: omnes morbi, omnes dolores, omnes pœnæ Iſraelitarum, (ſuper me) veniant. Eæque omnes veniunt ſuper ipſum: niſi autem ille eas auferret ab Iſraele, & transferret in ſe, non eſſet ullus homo, qui poſſet portare caſtigationes Iſraelitarum propter gravitatem pœnarum, in lege dictatarum. Atque hoc eſt, quod ſcriptum eſt *Eſaiæ LIII, 4*: Vere infirmitates noſtras portavit. Denique in *Peſichta* ſcribitur: Produxit Deus animam Meſſiæ, dixitque ipſi: An redimere vis filios meos poſt annos 6000? Reſpondet ille voto: An & ſufferre vis caſtigationes ad auferenda peccata eorum, ut ſcriptum eſt *Eſaiæ LIII, 4*: Vere languores noſtros ipſe tulit. Reſpondit: Volo quam lubentiſſime; quod teſtimonium, inquit PEARSONUS, valde perſpicuum eſt, ſi conſideremus opinionem Judæorum de animabus omnibus ab initio creatis, animaque adeo Meſſiæ pro reliquis paſſura. Quæ cum ita ſint, fidem habemus verbis PETRI ALLIXII: *S. Matthæus Cap. VIII, 17, zieht die Worte Eſaias LIII, 4, auf die wunderbare Curen, die Chriſtus gethan hat. Und darinnen folgt er der alten Tradition der Jüden, welche lehreten, es ſolte der Meſſias, von dem in dieſem Capitel Eſaias geredet wird, ihnen die Sünde vergeben,*

n) Ex verſione GEORGII ELIESERIS EDZARDI *ad Caput I Avoda Sara pag. 256.*

geben, und folglich ihre Schwachheiten, als die Würckungen und Straffen ihrer Sünden, heilen. Hieraus flieſſet, daß nach dieſer Tradition der Meſſias Gott ſeyn müſte: eben wie auch Jeſus Chriſtus voraus ſetzete, als er den Gichtbrüchtigen aus ſeiner eigenen Krafft heilete Matthæi IX, 6. *und erwieſe, daß er durch die ertheilte Vergebung der Sünden, welche der Juden Gedancken nach Gott alleine zukame, Gott nicht geläſtert hätte.* Atque utinam Judæi recentiores patrum ſuorum veſtigia ſectarentur, ſed mala ipſis mens eſt, malus animus. Audiamus hic IOANNEM BRAUNIUM: o) *De paupertate, afflictione, & ὀνειδισμῷ Meſſiæ multa habent Rabbini; inprimis obſervanda ſunt, quæ nugantur in Codice Sanhedrin Cap. XI, ubi ea, quæ* de dedecore & contemtu Eſaiæ LIII, *de Meſſia intelligunt. Recte quidem; ſed, cum etiam tam magna dicantur ubique de ejus majeſtate, imperio, victoria, & gloria,* duos ſibi Meſſias fingunt, *alterum, qui ſit* filius Joſephi, *contemtus, in bello victus, & trucidatus, hic pauper erit, & aſino inſidens, de quo Zachariæ IX, 9. alterum* filium Davidis, *divitem, potentem, glorioſum, & victorem: cum tamen de uno eodemque viro loquatur Eſaias: is enim ipſe, qui* adeo contemtus eſt, *qui* nullam *habet* formam, *ut deſideretur, qui* abjectiſſimus eſt virorum, *qui* dolore afficitur, *qui* ex terra viventium exſcindendus eſt, *uno verbo, is ipſe, qui ponit animam pro reatu, ſumma fruetur gloria, hoſtes delebit, victor & potens dicitur. Videbit ſemen,*

o) In *Commentario in Epiſtolam ad Ebræos pag.* 778.

ſemen, id eſt, magnum populum, prolongabit dies, & delectatio Domini per eum proſperabitur, cum robuſtis partitur prædam. Quam ob rem Judæi ſtolidiſſime in odium veri Meſſiæ ſibi fingunt duos. *Putida & contemtiſſima de ſuo Meſſia, quem hactenus inane exſpectant, effutiunt eodem loco in Codice Sanhedrin Cap. XI, eum eſſe ad* portam Romæ, (*nempe in Paradiſo, ad portam, quæ reſpicit verſus Romam, ut quidam fabulam explicant,*) inter leproſos, *inter quos, & cum quibus, quotidie vulnera ſua ſolvit, & obligat.* Hactenus IO. BRAUNIUS. Ceterum de duobus iſtis Judæorum Meſſiis videantur CHRISTOPHORUS CELLARIUS, [p] IOANNES PEARSONUS, [q] IO. LIGHTFOOTUS, [r] IO. LEUSDENIUS, [s] PHILIPPUS MORNAEUS, [t] CAMPEGIUS VITRINGA, [u] IOANNES MORINUS, & LUDO-

p) In Diſſertatione ſingulari *de gemino, quem Judæi præſtolantur, Meſſia.*

q) In *Horis Hebraicis & Talmudicis ad Matthæi Cap. I verſu 1*, & *ad Joannis Cap. XIX, 37.*

r) In *Spicilegii Philologici Centuria III, Capite XI, Sectione X*, & *Centuria VI, Capite XXIX, Sectione XI ſeq.*

s) In Libro *de Veritate Religionis Chriſtianæ Capite XXX pag. 697.*

t) *Libro VI Obſervationum ſacrarum Capite XXI pag. 489.*

u) In *Exercitationibus ſacris Libro II, Exercitatione VIII, Capite II,* commentum hoc a Judæis extruſum eſſe, opinatur, poſt *mortem Barcozbæ,* quem Judæi ſub *Adriano* ſibi perſuaſerant verum eſſe Meſſiam; & Doctorum illius temporis princeps, *Akiva*: quæ exſpectatio cum illos eſſet

F & LUDOVICUS MARRACCIUS,[y] cujus verba hic repetere operæ pretium fuerit: *Abſque ullo fundamento* Ebræi hos duos Meſſias confingunt, *& hoc ipſum fatentur, qui inter eos* prudentiores & ſapientiores habentur. Inter hos R. NAHMAN in *Midras Thehillim* ſuper illa verba Num. *Cap. I: Vir, caput domus patrum ſuorum ipſe*, dixit: *Non eſt vir dictus in hoc loco, niſi Meſſias, Filius David. Et ſic dixit Iſaias Cap. LIII virum dolorum & ſcientem infirmitatem.* R. MOYSES, Hebræorum ſapientiſſimus, in *Jad Chazacha Tract. de Reg. Capite XI* agnoſcit quidem duos

ſet fruſtrata *in morte Barcozbæ*, diſcipulos *Akivæ*, aliosque illius temporis Doctores, qui ſectam *Barcozbæ* ſecuti fuerant, ad tuendam magiſtrorum ſuorum ſuamque auctoritatem, produxiſſe *fabulam de duplice Meſſia*, (cum veteres ante hoc tempus de uno tantum Meſſia cogitaſſent,) ut nimirum excuſarent *Barcozbæ mortem.*

x) *Prodromi ad Refutationem Alcorani Parte III, Capite XX, pag. 68.*

y) Audiamus hic maioris lucis cauſa IOANNEM FRIDERICUM MIEGIUM in *Diſſertatione ad Numerorum XXIV, 17, 18, 19, de Stella & Sceptro Bileamico* §. *XI*: Judæi textum hunc ita diſcerpere amant, quaſi *videbo illum, ſed non nunc*, ad *Davidem* pertineret, *intuebor illum, ſed non prope*, ad Meſſiam, & ſic deinceps ſequentium hemiſtichiorum prius ſemper ad *Davidem*, poſterius ad Meſſiam, referendum foret. Videatur MAIMONIDES in *Miſchne Torah, hal. Melachim cap. XI* §. *I*. Sed vim textui intuleris maniſeſtiſſimam, & ex heterogeneis diverſiſſimisque rebus male conſarcinatum oraculum confin-

duos Meſſias, unum veluti figuram, nempe *David*, filium *Jeſſe*, alterum autem verum & proprium, qui ab eodem *David* erat oriturus, illum ſcilicet, quem tam Chriſtiani, quam Mahumetani, jam adveniſſe credunt. Sic enim ibi loquitur R. MOYSES, exponens vaticinium *Balaam*: *Hic prophetia eſt de duobus Meſſiis*, [z] *de Meſſia primo, nimirum de Davide, qui ſalvavit Iſrael de manu hoſtium ſuorum: & de Meſſia ultimo, qui de filiis ejus futurus eſt, qui ſalvabit Iſrael de manu filiorum Eſau.* Et *Capite XII* aſſerit, Judæos ſine ulla traditione, nedum Scriptura, ponere hunc *Meſſiam filium Joſeph.* Ait enim: *Non habent Sapientes traditionem de his, niſi quatenus colligitur neceſſario ex Scripturæ verſibus.* Hoc dicit R. MOYSES, quia de eodem Meſſia videntur in Scripturis contraria prædicari. Nunc enim aſſeritur fore pauper, afflictus, humilis, paſſurus dolores, vulnera, mortem, nunc autem dives, glorioſus, felix, victor, Rex maximus; cujus vita & imperium finem nullum habitura ſint. Hoc coegit nonnullos ex Judæis ſtulte ſapientibus ad duos Meſſias excogitandos, non animadvertentes, vel nolentes animadvertere, unum eundemque Meſſiam in duplici ſtatu a Prophetis prædici: nempe in ſtatu vitæ mortalis per tres ac triginta annos: & in ſtatu immortalitatis, in quo

finxeris, cogeriſque audire illud Chriſti: οὐδεὶς ἐπίβλημα ἱματίου καινοῦ ἐπιβάλλει ἐπὶ ἱμάτιον παλαιόν, *Lucæ V*, 36.

z) *Programmate III.*

ſemper erat perſeveraturus. In primo quidem humilem, pauperem, afflictum, & doloribus necique ſubjectum, in ſecundo vero glorioſum, excelſum, dominantem, & immortalis regni poſſeſſorem. Hactenus MARRACCIUS, Ceterum ex his omnibus, quæ adhuc obſervavimus, liquido conſtat, fidem habendam eſſe B. SCHERZERO, [a] qui *de ſeceſſione Judæorum modernorum a fide Maiorum* diſſerit. Nempe enim Judæi recentiores *Prophetarum lectionem negligunt*, uti, præter IO. IAC. SCHUDTIUM, [b] alio loco & tempore pluribus declaravimus; inde factum eſt, ut majorem ſuorum veſtigia deſerant.

CATE-

---

a) *In den Jüdiſchen Merckwürdigkeiten Libro VI, cap. XXIX, §. XLI, pag. 163: Die Juden ſelbſt müſſen mit R. Chaja im Namen R. Jochanan bekennen,* alle Propheten haben nur gevveiſſaget von denen Zeiten des Meſſiæ *Gemara ad Sanhedrin Cap. XI Num. 37 pag. 361 ſeq. edit. Cocceji in 4, und alſo von des Meſſiæ Heyl, Gnad, und Wolthaten verkündiget, daß aber unſere Juden davon ſo wenig verſtehen, macht, daſz ſie die Propheten ſo gering achten, und gar ſelten in ſelbigen leſen. Unſere Juden haben von der alten reinen Iſraelitiſchen Religion nichts mehr übrig, als das äuſſerliche Wort der heiligen Schrifft, und die Beſchneidung.*

b) Confer *Diſſertationem* noſtram *ad Eſaiæ VIII, 19, 20, de Aurora, ex oraculis Moſis & Prophetarum emicante*, itemque *Hiſtoriam* noſtram *Bibliorum, ex Ebræorum diebus feſtis & jejuniis illuſtratam, Capite X, §. III, pag. 129 ſeq.*

II.
CATECHESIS RACOVIENSIS, LATINE A MOSCOROVIO TRANSLATA, EADEMQUE A. MDCIX. RACOVIÆ EDITA, CUM POLONICA EDITIONE, AD CUIUS EXEMPLUM ILLA CONVERSA EST, COLLATA
A
IO. DANIELE HOFFMANNO,
LYCEI THORUNIENSIS PROFESSORE.

In *Novis Actis Lipſienſibus A.* 1740 *Menſ. April. pag.* 229 *ſeq.* ubi *Catecheſin Racovienſem*, cum *Cenſura* Summe Reverendi OEDERI, recenſitam legimus, Clariſſimi Auctores maxime optant, expetuntque, ut quis Polonicam *Catecheſin* cum Latina verſione *Moſcorovii* conferat, in qua hic a ſe quædam mutata eſſe, in Praefatione ſignificavit. Quorum deſiderio facturi ſatis, hanc operam ſuſcepimus. Ipſas mutationes priusquam perſequamur, hæc praecipienda videntur Lectoribus. *Catecheſeos Racovienſis* omnium prima editio Polonica, quæ A. 1605 Racoviæ prodiit in lucem, longe rariſſima eſt, ut vix ac ne vix quidem alicubi locorum conſpici poſſit. Nos igitur contendimus cum iſta Latina verſione, A. 1609 Racoviæ edita, aliam Polonicam, quæ A. 1619 in forma, ut vocant, duodecima Racoviæ impreſſa eſt, quam ipſe *Sandius* in *Bibl. Antitr. pag.* 100 *ſeq.* ſilentio præteriit. Nullum vero eſt dubium, quin eadem ad exemplum Racovienſe anni 1605 exactiſsime typis ſit recuſa; id quod ſatis declarat Præfatio, quæ, ut nobis videtur, aeque

ac in priori Polonica editione integra legitur; nec ullum in ea exſtat indicium mutationis, in ipſa *Catecheſi* factæ. Accedit, quod, cum hæc Polonica editio poſterior ſit Latina, ad hujus exemplum moliti fuiſſent mutationem editores Racovienſes, ſi quam illa editio habuiſſet. Sed ex iis, quæ dicentur, ſatis apparebit, nihil omnino mutatum eſſe in hac editione; quin preſſius curatiusve eſſe recuſam ſecundum editionem Polonicam, Racoviae A. 1605 typis impreſſam. Quicquid vero mutationis in alterutra editione *Catecheſeos*, Latinæ, A. 1609, & Polonicæ, A. 1619 excuſæ, deprehendimus, non unius generis ac momenti eſſe, exiſtimandum eſt. Multa ab interprete Latino ſunt omiſſa; multa adjecta; quædam paullo uberius dilucidiusve explanata; nonnulla paucis verbis arctius comprehenſa; pauca tranſpoſita; imo aliqua mutata, quæ etiam diverſi generis eſſe cognovimus. Quæ cum perſequi conſtituimus, neceſſe eſt, ut doceamus Lectores, nos eſſe ſecutos numeros, a Summe Reverendo OEDERO quæſtionibus ſingulis adjectos, quibuscum hæc contendere poterit, cuicunque placebit. Quæ itaque ab interprete omiſſa ſunt, ſunt partim levia, partim ita comparata, ut in iisdem nonnihil momenti eſſe exiſtimemus.

Quæſtione 1 omiſit voces: ***hominibus tradita***, cum de religione Chriſtiana loquitur, quod ſit via patefacta & ***hominibus tradita***.

Qu. 7. Prima eſt, cum de autore libri nihil prorſus conſtat. *Pol*. Prima eſt, cum de auto-

re

re *illorum librorum, de quibus agitur*, nihil proſſus conſtat.

Qu. 18. Ipſo religionis Chriſtianæ autore, qui fuit homo divinus. *Pol.* adjecit: Homo *vere* divinus; quam vocem tamen in ſequenti Quæſtione ab interprete Latino additam eſſe video.

Qu. 22. Ex quo conficitur neceſſario, aut Jeſum a mortuis exſuſcitatum eſſe. *Pol.* addit: *vere* exſuſcitatum eſſe.

Qu. 35. Verum nulla ratione oſtendunt, illa fuiſſe ab iis veluti de manu in manum ad ſervandum temporibus perpetuis tradita. *Pol.* Verum nulla ratione oſtendunt, *id quod illi præter Scripturam aut fecerunt, aut locuti ſunt*, fuiſſe ab illis de manu &c.

Qu. 37. Ut ex ea voluntatem ipſius cognoſcerent. *Pol.* addit: Voluntatem ipſius *de ſua ſalute* cognoſcerent.

Q. 38. Aut cor non afferant. *Pol.* addit: *ad eam legendam.*

Qu. 46. Animadverti hominem. *Pol.* addit: *ex natura ſua.*

Qu. 66. Apud Marcum. *Pol.* habet: *& Matthæum*, ubi in margine allegatur *Matth. XIX, 17.* In fine Latinus interpres omiſit *verſ. 26*, qui *verſui 20 Capitis III ad Gal.* a Polono adjectus eſt.

Qu. 84. Deinde de rebus. *Pol.* addit: *cum Deo conjunctis in rebus etiam divinis legimus in Act. Apoſt.*

Qu. 86. Aliud vero in aliquem baptizari? *Pol.* Aliud vero in aliquem, *vel in aliquid* &c.

Qu.

Qu, *93*. Quænam ſunt, quæ ad voluntatem Dei pertinent, quæ ad eos proprie ſpectant, &c. *Pol*. Quænam ſunt ea, quæ ad voluntatem Dei pertinent, *quae non omnibus hominibus communia*, *ſed* ad eos tantum ſpectant, &c.

Qu. *99*. Hic quaedam omiſſa, quaedam addita: At, ut natura divina per ſe conſtituit perſonam, ita humana *per ſe* conſtituat neceſſe eſt. *Pol*. At natura divina *ſola* (*ſecundum illorum opinionem*) per ſe conſtituit perſonam, pari modo humana conſtituat neceſſe eſt.

Qu. *103*. Ipſum fuiſſe in principio. *Pol*. addit: *apud Deum*.

Qu *106*. Poſt verba; *aliud praeternum*, Latinus-interpres omiſit hæc, quæ *Polonus* habet: *poteſt enim quis ante Abrahamum eſſe, qui tamen non ſit praeternus*. Non alienum hoc loco videtur, quædam de vocibus *praeternus* & *praeternitas* commemorare. Nam Summe Reverendus OEDERUS, ſe neſcire, ſcribit *pag*, *136*, cur Racovienſibus placuerit *praeternitatem* ſubſtituere, quod vocabulum proprie nihil ſignificare exiſtimat; imo, abſonam eſſe, *pag*. *147* dicit. Harum vero vocum ſignificatum ex ipſius linguæ Polonicæ indole dijudicandum eſſe puto. Latinus interpres verſionem Polonicam preſſius ſecutus eſt, in qua vox *przedwiecznosc* & adjectum *przedwieczny* reperitur. Jam vero omnes, linguæ Polonicæ haud expertes, minime fugit, iis vocibus nihil aliud, niſi *aeternitatem*, indicari, priusquam res a Deo factæ, & cum iisdem duratio, ſive tempus, exiſtere cœperit.

perit. Nam derivantur a voce *wiek*, quod ſignificat ſeculum, unde *wieczny*, *æternus*, indicans vel tempus, quod quam longiſſime durat, vel id, quod initio & fine caret. *Przedwieczny* idem eſt, quod Latini dicunt *ante ſecula*, vel Græci *προαιώνιος*, cui Polonica vox reſpondet, eademque *Gregorius Nazianzenus Orat. 38 paneg. in Chriſti nativitatem* uſus eſt: *τὸ δὲ ἦν αὐτὸς ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος, ὁ προαιώνιος, ὁ ἀόρατος*. Ex *Jac. Billi* interpretatione: *Hoc autem erat ipſe Deus filius, ille ſeculis* antiquior, *ille inviſibilis*.

Qu. 111. Neque totam (eſſentiam ſumere potuit), cum ſit una numero, ac proinde incommunicabilis. *Pol.* Totam etiam eſſentiam ſumere non potuit, *nam hoc modo pater deſineret eſſe id, quod fuit; quod nullo modo fieri poteſt.* Imo iſta eſſentia, cum ſit una numero, nulla ratione multis communicabilis eſſe poteſt.

Qu. 118. Poſt verba: Chriſtum re ipſa eſſe Jehovam, *Pol.* adjecit: *niſi ita concludere vellemus, Hieroſolymam re ipſa eſſe Jehovam.*

Qu. 124. Reſpondeo, nomen Dei - - tangere pupillam oculi Dei ipſius. *Pol.* Ad hæc reſpondeo, nomen Dei hoc loco non referri ad Chriſtum neceſſario, ſed ad ipſum Deum patrem referri poſſe. *Nam in lingua Græca hanc vocem, Deus, ſumi ſubjective, & cum articulo conjungi, quod utrumque de Jeſu, cum Scriptura S. eum Deum appellat, nullibi reperiri.* At hujus Dei, intellige Patris, ſanguinem S. Paulum vocare iſtum ſanguinem, quem Chriſtus domi-

dominus effudit, eo genere loquendi & eam ob cauſam, quo genere & quam ob cauſam legimus apud Prophetam, cum, qui tangat populum Dei, &c.

Qu. 125. Num idcirco ea vox ille ad Deum erit referenda? *Pol.* Num idcirco ea vox ille, *quæ pone ſequitur*, ad Deum &c.

Ibid. Non ſemper ad propinquiores perſonas referantur. *Pol.* addit: *ſed ſæpe ad remotiores.*

Ibid. Ut e tertio, quinto. *Pol.* non habet: *e tertio.* Quem locum etiam infra non affert.

Qu. 144. In dicto illo: Omnis ſpiritus, qui confitetur, Jeſum Chriſtum in carnem veniſſe, (*Pol.* inſeruit, *ut illi legunt,*) ex Deo eſt.

Qu. 162. Effici non poſſe, eſſe unum cum eo natura. *Pol.* addit: *& eſſentia.*

Qu. 164. Nam ſi Chriſtus Deo, qui natura Deus eſt, æqualis eſt. *Pol.* Nam ſi illi Deo, qui *unus tantum* natura Deus eſt, (*ut ſupra demonſtratum eſt*) æqualis eſt.

Qu. 169. Poſt locum *Cap. 17 v. 10* omiſit Latinus interpres, quæ habet verba *Pol.*: ita ad Deum patrem ſuum dicit.

Qu. 180. Poſſint figurate accipi, quemadmodum &c. *Pol.* poſſint figurate accipi, *quemadmodum etiam dicitur de aliis rebus*, ut &c.

Ibid. Quod Scriptura poſt nativitatem Chriſti exſtitiſſe oſtendit. *Pol.* Quod Scriptura S. poſt nativitatem Chriſti in hunc mundum oſtendit, *& quod aliis etiam tribuit.*

Qu. 182. Hac particula per non primam, verum ſecundam, cauſam deſignari conſtet. *Pol.* Hac

Hac particula, per eum, non prima, ſed ſecunda & intermedia, cauſa deſignatur.

Ibid. Ut duo hæc verba demonſtrant, Nobis & Pater. *Pol.* addit: *Nam vox* Nobis *demonſtrat, de certis hominibus eſſe ſermonem. Et vox* Pater *tantum Novo Teſtamento propria eſt.* Summe Reverendus OEDERUS *pag.* 360 ad *h. l.* ſcribit, ſe hariolari non poſſe, quid ſibi velint Sociniani vocibus *Pater* & *Nobis* obſervatis. Hæc *Polonus* videtur clarius explicare.

Qu. 184. Eam vero fidem Chriſto non attribui conſtat. *Pol.* Chriſto vero ea fides non competit, *licet in eum credere debeamus.*

Qu. 185. Poſt verba: Non ſtatuimus carnem brachium noſtrum. *Polonus* hic inſerit ſequentia: *Quia Chriſtus nunc non eſt caro, i. e. imbecillitas, ſed eſt immortalis & dominus diſpenſatorque immortalitatis.*

Qu. 189. Sed verum hominem eſſe. *Pol.* Sed verum hominem *natura* eſſe.

Qu. 194. Quæ ipſi in Scriptura attribuuntur. *Pol.* Quæ ipſi *propter hoc officium* attribuuntur.

Qu. 207. Quod ſub priſco fœdere ſeveritas & rigor locum habuit. *Pol.* Quod ſub priſco fœdere ſeveritas & rigor *præcipue* locum habuit.

Qu. 226. Sunt enim ea ejusmodi, quæ vires ipſius multis partibus ſuperent. *Pol. Ubi ei multa præcepta ſunt,* quæ vires *humanas* ſuperent.

Ibid. Eſt - - & tacita confeſſio infirmitatis noſtræ - - ac ſpei, quam de divina benignitate concipimus. *Pol.* addit: ac ſpei, quam de divina benignitate *& præſentia* concipimus.

Qu.

Qu. 243. Atque hoc idem videre eſt in omnibus -- credentibus precantur. *Pol.* Atque hoc comprehenditur in omnibus ſalutationibus Apoſtolicis, *in principio epiſtolarum ſcriptis*. Hæc *Polonus* adjecit; vocem contra, *credentibus*, omiſit.

Qu. 244. Ea porro additione, quod Chriſtum pro Deo (*Pol.* pro Deo *noſtro*) -- nonne hoc præceptum prorſus immutatur? (*Pol.* addit: *quod prius fuit datum.*)

Qu. 246. Et licet verbis id negare non audeant. *Pol.* addit: *Quod Jeſus ſit Chriſtus.*

Qu. 249. Virginem Mariam & alios ſanctos. *Pol.* addit: *Qui ex hac vita deceſſerunt.*

Qu. 256. Deinde ex ipſa hiſtoria ſatis perſpicuum eſt, imo in ea expreſſum, propterea a Jeroboamo eos vitulos fabrefactos fuiſſe. *Pol.* propterea a Jeroboamo *colendi cauſa populo* eos vitulos fabrefactos fuiſſe, ut eos compeſceret &c.

Ibid. Niſi illis perſuaſum fuiſſet, in illis vitulis a ſe Jehovam coli. *Pol.* Niſi illis perſuaſum fuiſſet, a ſe eo tempore Jehovam coli, & cultum illum, quem vitulis exhibebant, ſoli Deo Jehovæ exhiberi.

Qu. 263. Ea vox omnino, non eum ſenſum habet. *Pol.* Ea vox omnino, *quæ in his verbis Chriſti exſtat*, non eum ſenſum habet &c.

Qu. 265. Licetne jurare per alios, excepto Deo & Chriſto? *Pol.* Licetne jurare per ullum alium, excepto *illo uno* Deo & Jeſu Chriſto.

Qu. 300. Ad tuendam vitam. *Pol.* Ad tuendam

damant vitam. Idem omiſit Latinus interpres in *Qu.* 302.

Qu. 329. In fine *Pol.* addit: *Ut Chriſtus id aperte docet.* Et in margine: *Matth. VI.*

Qu. 332. Nec ullo modo ullis temporibus adſtringitur. *Pol.* Nec ullis temporibus, *nec diebus, in omnibus negotiis, quæ iisdem conficiuntur,* adſtringitur.

Ibid. Nec vero jejunium eſt Deo acceptum. *Pol.* Præterea jejunium *ipſum per ſe* non eſt Deo acceptum.

Qu. 334. Eſt Chriſti - - oportet. *Pol.* Eſt Chriſti Domini inſtitutum, ut fideles ipſius panem frangant & comedant, & ex calice bibant, mortis ipſius annuntiandæ cauſa, quod permanere *in eccleſia ejus* in adventum ipſius oportet.

Qu. 340. Sunt denique, qui in cœna Domini vere corporis & ſanguinis Domini participes ſe exiſtere autumant. *Pol.* Imo ſunt, qui in cœna Domini vere *veri* corporis & *veri* ſanguinis Domini participes ſe exiſtere autumant.

Qu. 341. Ea ratione, quod in his verbis, hoc eſt corpus meum, particula hoc ad univerſam frangendi & ſumendi panis & fundendi vini actionem referri poteſt. *Pol.* Ea ratione - - ad univerſam frangendi, ſumendi & *fruendi* pane, & fundendi atque *fruendi* vino, actionem referri poteſt.

Ibid. Poſt verba: Quare in terris exiſtere nequit amplius: *Pol.* hæc inſerit: *Imo hæc verba Domini ſunt prolata de tali corpore, quale*

Chriſtus habuit, dum in hac terra verſatus eſt. Nam Chriſtus Dominus adjecit: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, ſive frangitur. Chriſti vero corpus, ut nunc eſt, non eſt tale, ut pro nobis poſſit dari, vel frangi. Eſt enim immortale & glorificatum. Ejusmodi corpore nemo poteſt frui corporaliter, ſive ore.

Qu. 358. Tam excellens promiſſum diſtulerat Deus in tempus, quod noverat oportunum, ut tanto evidentius appareret omnibus &c. *Pol.* Hoc promiſſum *de vita æterna* in aliquod tempus *pro iis, qui ipſum colunt*, diſtulerat &c.

Qu. 387. Potisſimum nobis Dei & Chriſti charitatem oſtendat, & ante oculos ponat. *Pol.* Potisſimum nobis Dei & Chriſti charitatem oſtendat; *& denique ad fidem in Chriſtum & obedientiam præceptorum Chriſti nos incitet.*

Qu. 401. E verbo redimendi non poſſe effici ſatisfactionem hanc, hinc eſt planum. *Pol.* E verbo redimendi, *cum ſermo ſit de Chriſto Domino*, non poſſe effici ſatisfactionem, hinc eſt planum.

Qu. 402. Et ab ipſis peccatis, ne eis amplius ſerviamus, & ab eorum pœna, ut e faucibus æternæ &c. *Pol.* Et ab ipſis peccatis, *hoc eſt*, ne eis amplius ſerviamus, & ab eorum pœna, hoc eſt, ut e faucibus &c.

Qu. 455. Prout ipſi Judæi. *Pol.* addit: *credentes.*

Neque pauca ab interprete Latino ſunt adjecta, quæ in Polonica editione fruſtra quæſiveris.

Qu.

Qu. 5. At unde conſtat, tam novi, quam veteris, Teſtamenti literas certas eſſe, *nec ſuſpectas?* Hæc poſtrema verba ab interprete adjecta ſunt.

Qu. 20. E miraculis *vere* divinis. *Pol.* omiſit vocem *vere*.

Qu. 24. *Id quidem ex ipſo autore ejus divino jam perſpicere potuiſti.* Hæc *Pol.* non habet.

Qu. 27. *Nulla auctoritate mundi.* In *Pol.* deſunt.

Qu. 30. *Et firmam*; quoties hæ voces hic occurrunt, toties in *Pol.* deſiderantur.

Qu. 31. *In iis ſcriptis N. Foederis.* Deſunt in *Pol.*

Qu. 36. *Præſertim novi foederis.* Deſunt in *Pol.*

Qu. 38. Non, *quo par eſt ſtudio*, implorant. *Pol.* tantum *implorant* habet.

Qu. 39. Ut homines ad ea - - *tuenda & ſervanda* ſtimulent. *Pol.* non habet iſtas voces: *tuenda & ſervanda.*

Qu. 75. Sed *graviter* in eo errant. *Pol.* non habet vocem *graviter*.

Qu. 78. Etenim *in Scripturis* propterea &c. Deſunt.

Qu. 87. Hinc tamen effici non poteſt, *hos tres* unius eſſe eſſentiæ. *Pol.* Hinc tamen effici non poteſt, *illos* unius eſſe eſſentiæ.

Qu. 88. *Quia vero ait*, *unum eſſe* &c. usque ad finem, deſunt in *Pol.*

Qu. 89. *Dum inter primam & ſecundam ſalutis cauſam diſcrimen tollit*; deſunt in *Pol.*

Qu. 92. Atque ea ratione *animum* ad ei obe-

diendum nunquam *induceremus*. *Pol.* Atque ea ratione nunquam ei obedivisſemus.

Qu. 94. *Quæ ad voluntatem Dei ſpectant*, & *ad eos proprie pertinent*, *qui vitam illam immortalem aſſecuturi ſunt*. Deſunt in *Pol.*

Qu. 96. *Ut alias cauſas non afferam* &c. usque ad finem in *Pol.* editione deſunt.

Qu. 101. Verba iſta: *perperam ratiocinantur*, omiſſa ſunt a *Pol.*

Ibid. Ut loquuntur, neque hæc leguntur in *Pol.* edit.

Qu. 110. *Ubi ſecundum vulgatum legitur.* Hæc ſunt inſerta ab interprete Latino.

Qu. 116. *Quæ Chriſto a Scriptura attribui opinantur*. Inſerta ab interprete.

Qu. 123. Græca vox ἐρχόμενος ab interprete adjecta.

Qu. 145. (*Ut loquuntur*) Inſerta ab interprete.

Ibid. Vel potius ſermo caro factus eſt. Deſunt in *Pol.*

Qu. 148. (*Ut loquuntur*) Hæc æque ac ſequentia, parentheſi itidem incluſa, inſerta ſunt ab interprete: (*ut adverſarii dicunt.*)

Qu. 149. *Et mancipium.* Deſunt in *Pol.*

Qu. 152, 154, & 155. (*Ut vocant*) Non exſtant in *Pol.* ed.

Qu. 154. *Quoad exteriorem ſpeciem.* Addita ſunt ab interpr.

Qu. 172. *Mirum vero eſt*, *adverſarios hunc locum*, *ubi agitur de patre æterno*, *ad filium referre*, *quem conſtat ſecundum eos ipſos patrem non eſſe.* Hæc ab interprete addita ſunt.

Qu.

Qu. 174. Cum enim ipſius *unius* Dei verbum ſit. Inſerta vox: *Unius.*

Ibid. Verbum vero *vel ſermo* Dei Jeſus ideo nuncupatur &c. Voces: *vel ſermo*, ſunt inſertæ ab interprete.

Qu. 180. Quare ex ejusmodi loquendi modis natura divina *in Chriſto* probari non poteſt. In omnibus vero his locutionibus, quam divinum muneris Chriſti principium fuerit, *duntaxat* deſcribitur. Iſtas voces, *in Chriſto* & *duntaxat*, inſeruit interpres.

Qu. 182. *Verum de homine*, in *Pol.* edit. deſunt.

Ibid. Quem & occiſum & ſanguine ſuo nos redemiſſe, *apertiſſime idem Johannes fatetur*. Poſtrema verba adjecit interpres.

Qu. 184. Atque ad eum modum fides noſtra *in Chriſtum* &c. *Pol.* non habet iſta: *in Chriſtum.*

Qu. 216. *Et in neceſſitatibus implorationem divini auxilii.* Hæc deſunt in *Pol.* ed.

Qu. 242. At ubi *Dominus*, *ubi ipſius Apoſtoli*, iſthæc incitamenta nobis propoſuere. *Pol.* At ubi habemus iſthæc incitamenta.

Qu. 267. Ceremonias, *ut vocantur*. Hæc ſæpius inſerit interpres, cum de ceremoniis loquitur, ut *Qu.* 333.

Qu. 273. *Vel ſemper jus ſuum perſequi.* Hæc inſerta ſunt.

Qu. 275. *In literis divinis* tradita ſunt. *Pol.* tantum: *tradita ſunt.*

Qu. 341. Ad ipſam transſubſtantiationem, *ut vocant*. Poſtrema adjecta ſunt ab interprete.

Qu. 346. Neque ipſi - - Chriſtum pro ſuo ſervatore agnoſcere *per ætatem* poſſunt. *Pol. per ætatem* non habet.

Qu. 347. Tota cum reſponſione ab interprete inſerta, quæ in *Pol.* edit. deeſt.

Qu. 364. Deſiderio incitatus & inflammatus. In *Pol.* deſunt.

Qu. 427. Poſtquam igitur docuiſti, liberum arbitrium originis peccato vitiari non potuiſſe, expone porro. Hæc adjecta ſunt ab interprete.

Qu. 437. Et eorum, qui dolo malo agunt. Ab interprete inſerta.

Qu. 466. Et *de regno Dei* colloqueretur. *Pol.* iſta non habet.

Qu. 471. Heb. II, 7, 8. Polonus hunc locum omiſit.

Qu. 476. Licet jure - - prius te de illo inſtruam. In *Pol.* edit. deſunt.

Ibid. voces: *pro regio munere;* item, *pro munere ſacerdotali*, deſunt in *Pol.* edit.

Quædam etiam paullo uberius & dilucidius explanata ſunt; vel etiam paucioribus verbis comprehenſa.

Qu. 9. Latinus interpres reſpondet voce: *Sane. Pol.* utitur pluribus verbis: *Fuit omnino de quibusdam dubitatio.*

Qu. 8. Tota reſponſio a Polono ita tradita eſt: Quia ab ipſa origine religionis, a Chriſto traditæ, omnes, quicunque hanc religionem ſecuti ſunt, etſi multis in rebus ratione hujus

reli-

religionis inter ſe diſcordes, in eo tamen conſentientes fuere, nec ullum ea de re dubium habuerunt, auctores librorum eos fuiſſe, ſub quorum nominibus divulgati ſunt: adeo, ut, qui de hiſce auctoribus dubitare vellet, hunc juſtam ejus rei cauſam afferre oporteret, ob quam tanto conſenſui repugnare auderet. Hæc cum Latina verſione conferri poſſunt.

Qu. 11. Quæſtio alio modo a Polono eſt adornata: *Demonſtra prius primum?* Principium reſponſionis differt etiam a Latina interpretatione: *Quod attinet ad notitiam, nulla eſt de iſtis auctoribus ſuſpicio; eam ob cauſam, cum quidam &c.*

Qu. 16. Polonus ita formavit reſponſionem: *Id quidem jam ipſe potes advertere; cum nulli ſint homines fide digni, qui contra auctoritatem iſtorum librorum teſtimonium darent.*

Qu. 40. Quoad Scripturam S. agnoſco mihi abs te ſatisfactum; dic, quæſo, cur initio dixeris, hanc viam, quæ ad immortalitatem ducit, eſſe divinitus patefactam. Ita Polonus quæſtionem habet, & breviter reſpondet: *Propterea quod hanc viam nulla ratione per ſe cognoſcere potuit.*

Qu. 66. Quomodo ſecundum noſſe ad ſalutem neceſſarium eſſe demonſtrabis. *Pol.* Quomodo ſecundum demonſtrabis.

Qu. 83. Verum etiam conſtanter aſſerimus, ita ut ne Chriſtianum quidem eum eſſe poſſe, qui id ignoret, aut non credat, pronuntiemus. *Pol.* Verum etiam conſtanter aſſerimus, qui id ignoret, Chriſtianum eſſe non poſſe.

Qu. 87. Imo hinc contrarium colligitur non obſcure, eos nempe unius eſſe non poſſe eſſentiæ. *Pol.* Imo ex ipſo hoc loco contrarium colligitur, id eſſe non poſſe.

Qu. 99. Latinus interpres: Permagnum hic eſſe diſcrimen: *Pol.* Oſtendendum illis eſt, magnum hic eſſe diſcrimen.

Qu. 152. Quod in literis ſacris notat eos, qui &c. *Pol.* Quod in literis ſacris non notat homines ſimpliciter, ſed eos, qui &c.

Qu. 155. Sit ille mundus futurus. *Pol.* Poſſit eſſe & ſit ille mundus futurus.

Qu. 170. Præterea, cum, quicquid Chriſtus habeat, habeat Patris dono, non autem a ſe ipſo. *Pol.* Præterea, quod certum ſit, omnia, quæ habet Jeſus, non habere a ſe ipſo, ſed patris dono.

Qu. 190. Etenim, cum in Chriſto negent - - perſona careat. *Pol.* brevius: Etenim in eo negant perſonam hominis, ſine qua verus homo eſſe nequit.

Qu. 205. Hæc enim & nonnulla alia non niſi ad populum Iſraeliticum tantum pertinere poſſunt, qui ſolus ſub priſco fœdere Dei populus exſtitit; nam ſub novo gentes ad Deum per Chriſtum converſæ ſunt maxima populi Dei pars. Ita *Polonus.*

Qu. 234. *Pol.* Nonne aliter niſi hoc modo ad Deum orare licet?

Qu. 268. Et quoddam indicium exſtaret, ejus rei legem ſucceſſuram Moſaicæ legi, longe perfectiorem, legem nempe Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Chriſti. *Pol.* Et quoddam indicium exſtaret ejus rei legem ſucceſſuram longe perfectiorem, legem D. N. J. C.

Qu. 298. Quod factum eſt, ut in Evangelio nusquam vetita ſit ejusmodi commodi perceptio, niſi tum, ubi &c. *Pol.* Quare etiam in N. I. nusquam id vetitum eſt, niſi eo ſenſu &c.

Qu. 312. Pol. Expoſuiſti jam mihi quædam præcepta Chriſti, quæ quibusdam mandatis Dei per Moſem traditis, & iis, quæ in N. I. adjecta ſunt, continentur: expone mihi nunc etiam eam partem præceptorum, quæ Chriſtus Dominus nominatim propoſuit.

Qu. 313. Quædam externos actus religioſos, qui vulgo ceremoniæ vocantur, reſpiciunt. *Pol.* Quædam ceremonias reſpiciunt.

Qu. 315. Quæ vero ſunt iſtæ cupiditates? *Pol.* Quænam ſunt illæ malæ cupiditates carnales & mundanæ?

Qu. 321. Quæ charitas? *Pol.* Quæ eſt perfecta charitas?

Qu. 350. Sed eo, quod actu illo duntaxat adumbratio quædam rei illius, quæ ad ſalutem prorſus pertinet, fiat. *Pol.* Sed eo, quod duntaxat illa re ſignificatio quædam rei illius fiat.

Qu. 360. Propterea promiſſa vitæ hujus ſub veteri fœdere non contrahenda ſunt, ſed, ut verba ſonant, accipienda. *Pol.* Propterea promiſſa ibidem liberaliter & ampliſſime facta bonorum vitæ hujus, ita, ut ſonant, accipienda ſunt, ac potius amplianda, quam contrahenda.

Qu. 375. Verum adeo ſancte vixit, ut nec

P 5 ante

ante eum, neque poſt eum, quisquam eum ſanctitate æquarit; adeo, ut ad ipſum Deum ſanctimonia proxime accederet, Deoque hac magnopere ſimilis eſſet. *Pol.* Verum adeo ſancte vixit, ut nec antea, neque poſtea, in quoquam talis ſanctimonia fuerit; ita ut ea ſoli ſummo Deo magnopere ac præcipue ſimilis eſſet.

Qu. 376. Ad eum vero modum - - collaturus fuiſſet. *Pol.* Quia vero iis confirmatur voluntas Dei, hinc apparet, quod Deus tantam virtutem ei, qui ab eo non eſſet, non fuiſſet collaturus.

Qu. 384. Expone eam rem fuſius - - ad eum modum ipſius morte de reſurrectione noſtra, & vita æterna, confirmati ſimus? *Pol.* Expone mihi eam rem fuſius, qua ratione reſurrectione Chriſti, ac denique ipſius morte, de hac re confirmati ſimus.

Qu. 401. Certum autem eſt, Deum nemini ſatisfeciſſe, nec vero iniquitatibus aut converſationi ſuæ, aut legi, ſatisfactum dici poſſe. *Pol.* Certum autem eſt, Deum nemini unquam pro quoquam ſatisfeciſſe, neque iniquitatibus ſatisfactum eſſe.

Qu. 407. Quare nullo modo ex iis omnibus locis ea ſatisfactio exſtrui poteſt. *Pol.* Quare etiam hinc non poteſt id colligi, quod adverſarii volunt.

Qu. 418. Quæ in lege per Moſen lata præcepit. *Pol.* Quod in lege ſua præcepit.

Qu. 477. Ea, quæ ad expianda peccata populi

li ſpectarent, perficiebat: ita Chriſtus nunc penetravit cœlos. *Pol.* Fecit id eam ob cauſam, ut, quamdiu ibi erat, perficeret ea, quæ tum temporis ex voluntate Dei ad purganda populi Dei peccata pertinebant: ita Chriſtus nunc ſub novo teſtamento adſcendit in cœlos.

Qu. 519. Id, quod e cœtu Chriſti, ac proinde e regno ipſius, excluſis, nihil ſuperſit amplius, quam exitium. *Pol.* Id quod e regno Chriſti excluſis, nihil ſuperſit amplius &c.

Quædam præterea multis aliis modis ſunt mutata, ita, ut nonnulla plane tranſpoſita ſint. Inprimis vero ipſæ *Quæſtiones* paſſim alio modo ſunt formatæ; hinc etiam reſponſiones ab initio aliquam ſubierunt mutationem. Verum iis non detinebimus lectores, cum jam ſupra quædam ejusdem generis perſecuti ſumus.

Qu. 5. Verum etiam evidens argumentum, quantum ea fert materia, appareat, cur eis fidem adhiberi oporteat. *Pol.* Verum etiam quia eſt gravis cauſa, qua eorum certitudo, quantum ſufficit, evincitur.

Qu. 71. Expoſuiſti &c. cum reſponſione integra. *Pol.* Expone mihi nunc etiam, quæ ſunt iſtæ res ad eſſentiam Dei pertinentes, quæ ad ſalutem multum conferunt, & valde utilia ſunt? In his rebus una eſt præcipua, ut cognoſcamus &c.

Qu. 84. Effici tamen non poteſt, eos perſonas eſſe in una eſſentia divina. *Pol.* Effici tamen inde non poteſt, Patrem, Filium, & Spiritum S. eſſe tres perſonas in una Deitate.

Qu. 94.

Qu. 94. Bene. Sciendum itaque tibi eſt, quædam ad eſſentiam J. C. quædam ad illius munus, referri, quæ te ſcire oportet. *Pol.* Bene. Sciendum itaque tibi eſt, duplices eſſe res, quas de Jeſu ſcire oportet: alteram referri ad perſonam ejus; alteram ad illius munus.

Qu. 113. Videntur hic quædam transpoſita eſſe. Nam *Pol.* poſt verba: *eſſe genitum*, adjicit: *quia Scriptura S. clare oſtendit, quod alio modo Deus generet.* Idem interpres in fine videtur addidiſſe: *Denique ex ea re, quod conſtet, Deum aliter, quam ex eſſentia, generare, dum e Deo genitos credentes Scriptura pronuntiat.* Polonus vero ita concludit: *Denique vero Scriptura teſtatur, quod e Deo geniti ſint credentes.*

Qu. 120. Chriſtus vero etſi Deus verus ſit, non eſt tamen ille ex ſe unus Deus, qui per ſe & perfectiſſima ratione Deus eſt, cum is Deus tantum ſit pater. *Pol.* Chriſtus vero etſi Deus verus ſit, non eſt tamen ille ex ſe unus *verus* Deus, qui per ſe &c.

Qu. 145. Qui valde inconvenienter locutus fuiſſet. *Pol.* Qui abſurde locutus fuiſſet; quæ vox *abſurde* in Pol. editione expreſſis literis poſita eſt.

Qu. 174. Cum ea ratio videndi non poſſit de eſſentia Dei accipi. *Pol.* Cum ea ratio videndi non poſſit intelligi *de perſona ſeu eſſentia patris.*

Ibid. Eamque orationem cum Apoſtolus opponat non perſonis, ſed philoſophiæ & legi, hinc perſpicuum eſt, eam de doctrina Domini Jeſu,

Jeſu, non de perſona, accipi. *Pol.* Deinde hæc verba *in eo* non de perſona, ſed de doctrina, Chriſti accipi poſſunt. Et, quoniam ita accipienda ſunt, perſpicuum eſt, quod Apoſtolus hæc verba diſerte opponat, non perſonis, ſed doctrinæ philoſophicæ & legi.

Qu. 244. Præterea, cum ea lex velit - - notiſſimum eſt. *Pol.* Præterea hoc præceptum ideo non immutatur, quod a nobis exigat, ne Deos alienos habeamus. Chriſtus vero non eſt is, neque eo ipſo cultu divino, qui ipſi exhibetur, conſtitutus eſt Deus alienus; nam in eo eſt ſubórdinatus Deo. Iſtæ vero res, quæ ſubordinatæ ſunt, id eſt, quæ ab aliis dependent, non ſunt oppoſitæ illis, a quibus dependent.

Qu. 255. Id quidem e facto - - conflavit. *Pol.* Id patet ex duabus rebus. Primo inde, quod ab ipſo Aarone vitulus factus ſit, precibus populi compulſo, ut iis faceret Deum, qui illis præiret.

Qu. 271. In omnibus iis dicto audientem eſſe, quæ modo non pugnent cum Dei præceptis. *Pol.* In omnibus iis dicto audientem eſſe, quæ modo non pugnent cum Deo Domino.

Qu. 288. Non. Legimus enim de ipſo Servatore. *Pol.* Non. Legimus enim de ipſo Domino.

Qu. 289. Hanc ipſam ſolam vetat Servator. *Pol.* Hanc quippe ſolam vetat Dominus Jeſus.

Qu. 292. Ne per ejusmodi connubia - - connubia. *Pol.* Ne per ejusmodi connubia corda fidelium utriusque ſexus a Deo abducantur, quam

quam cauſam præcipue Deus in lege exprimit.

Qu. 349. Paulus enim ad Epheſios ſcribit. *Pol.* Apoſtolus enim Paulus ea de re teſtatur. In margine tantum locus citatus legitur.

Qu. 364. Etenim noluit Deus - - non habituri - - perpetua fuiſſet. *Pol.* Etenim noluit Deus, ut ii, qui ex eorum genere non eſſent, cauſam rejiciendæ Chriſti doctrinæ nullam haberent, habituri, ſi ea confirmatio perpetua fuiſſet.

Qu. 367. Hinc neceſſario efficiatur - - percipiamus. *Pol.* Hinc neceſſario efficitur, nihil aliud eſſe, quam iſtam virtutem divinam, quæ facit in credentibus certam & firmam vitæ æternæ ſpem, cujus in corde ſuo guſtum ſenſumque percipiant.

Qu. 371. Spiritum S. non eſſe in Deitate perſonam, hinc diſcere potes, primum, quod ea, quæ Sp. S. &c. *Pol.* Minime. Nam talia Spiritui tribuuntur.

Ibid. Quoniam vero - - perſonam divinam. *Pol.* Et, quia perſona in perſona reciproce eſſe nequit, hoc eſt, eo modo, ut, quemadmodum Spiritus S. in patre, ita pater in Spiritu ſit, hinc apparet, Spiritum S. non eſſe perſonam. Præterea ex eo ipſo, quod Spiritus S. ſit virtus divina, (quod vero ea ſit, liquido conſtat ex his verbis, cum Apoſtolus ait: Vos vero &c.) efficitur &c.

Qu. 392. Ubi vox *Deus* occurrit, (ter autem hic occurrit,) in eo a Polonica editione diſcedit interpres Latinus. Nam modo voci *Deus* adjicit

adjicit *Pater*; vel eandem plane mutat in vocem *Pater*.

Qu. 397. Reſponſio integra aliter a Latino interprete facta eſt. In *Pol. edit.* ita ſe habet: Hæc, cum Deo innatum ſit illud attributum, quod æquitas & rectitudo & Polonice *ſluſznoſc i praosc* appellari poteſt, eaque pravitati opponatur; hinc elucet, omnia Dei opera eſſe perfecta, recta, & juſtá, idque non minus, cum peccata remittit, quam cum eadem punit.

Qu 403. Quod Pol. habet: Eſt præterea Deus *&* Chriſtus captivi redemtor, id Latinus interpres reddidit: Eſt præterea Deus *vel* Chriſtus.

Qu. 405. Latinus interpres reſponſionem alio plane modo confecit. *Polonus* ita: Neque inde conſtat, Deum ſatisfeciſſe pro peccatis noſtris, cum legatur Moſes fuiſſe mediator (puta inter Deum - -) & tamen certum eſt, quod Deo pro nemine ſatisfecerit.

Qu. 437. At cum Deus - - perſpicuum eſt. *Pol.* At Deus impios & ſibi refractarios punit, in quorum tamen poteſtate non eſt, ut ſint pii, boni, & Deo obtemperantes, cum is jam prædeſtinaverit, ut non ſint pii & obtemperantes Deo: imo, cum ipſe Deus decrevit, ut nulla ratione pii, eique obtemperantes, eſſe poſſint.

Qu. 454. Nam quod attinet - - per Evangelium. *Pol.* Nam quod attinet ad tempus, quod Chriſti patefactionem anteceſſit, verum eſt, quod omnes, qui in Deum crediderint, ob fidem juſtificandi ſint - tamen ea juſtificandi ratio in fœdere per Moſen dato non fuit comprehenſa,

ut nunc in fœdere per Chriſtum dato ea juſtificandi ratio per fidem in Chriſtum continetur, ſed ab ipſa Dei gratia mere dependet &c.

Qu. 478. Eſt a pœnis - - liberatio. *Pol.* Hoc duas res comprehendit: altera eſt liberatio a pœna, quæ ſequitur peccatum, temporaria & æterna; altera liberatio ab ipſis peccatis &c.

Unicum præterea afferam, ex quo intelligi poteſt, interpretem Latinum minus clare mentem Auctoris *Polonicæ Catecheſeos* expoſuiſſe. Nam *Qu.* 138 ita ponit verba: *Quemadmodum illa, quæ annexa ſunt verbo virtutis ſuæ, innuere videntur. Polonus* contra: *Id quod innuit illud, verbo virtutis ſuæ, quo imperandi & dominandi ratio intelligitur: quæ res non æque conſervationi, quam adminiſtrationi, tribui poſſunt. Smalcius* in verſione Germanica ejusdem *Catecheſeos* preſſius veſtigia *Poloni* videtur eſſe ſecutus, qui eodem, quo *Polonus*, modo iſta Germanice reddidit; quod patet ex verbis ipſius, a Summe Reverendo OEDERO ad *h. l. pag.* 243 allatis.

III.

I. G.

DE HENRICI AUCUPIS EXPEDITIONE DANICA DISSERTATIO AD FRIDERICUM OTTONEM MENCKENIUM.

LECTORI

LECTORI
S. D.
FRID. OTTO MENCKENIUS.

Prodit in conſpectum tuum, amice Lector, talis Diſſertatio, quales tu, ni fallimur, prodire noſtra opera permultas cuperes. Unam paginam legiſſe ſatis erit, ut auctorem agnoſcas excellenter doctum, vereque natum non amplificando tantum ſuæ patriæ honori, ſed iis etiam, quæ conjunctam cum utilitate ſuavitatem habent, literis ornandis. Argumentum illuſtre, tanti hominis ſtudio dignum, non Danis magis, quam Germanis, domeſticum, & quodammodo novum, eſt, certe ita diligenter, ita copioſe, ita eleganter, ante Illuſtrem GRAMMIUM (liceat enim nominare Virum, de Muſa noſtra præclariſſime merentem,) a nemine explicatum. Plura dicerem, niſi verendum mihi eſſet, ne futuri ſint, qui, commendare me velle Lectoribus ejus Viri labores, dicant, cui, ſi poſſim efficere, ut ſatis commendata mea ſint, habendum id mihi in felicitate prorſus ſumma videatur. Unum eſt, quo ſi maculæ aliquid adſperſum dicam operi pulcherrimo, id ipſe fortaſſe, amice a me monitus, eius auctor agnoſcet. Intererat ſane GRAMMIANÆ famæ, non eo in loco, cui ſplendoris gratiæque nihil deerat, humile & obſcurum *Menckenii* cuiusdam nomen legi, nec laudibus tumulari talem hominem, in quo lauda-

bile ad hunc diem nihil eſt inventum. Sed maluit ſcilicet iniuriam ſibi ipſe facere Vir præſtantiſſimus, quam modum ponere humanitati, quæ, ſi vel præclara tot ingenii & doctrinæ ornamenta deficerent, una admirabilem eum non civibus magis, quam ipſis exteris, efficerent. Ego vero, qui longe ab eo abſum, ut, præter nomen, quidquam ad me pertinere eorum putem, quæ hic liberaliter in me collata ſunt, hoc minus habeo, cur, ne mihi faciant invidiam hæ laudes, timeam, quo certius, vix futurum eſſe eorum, qui me propius norunt, unum, ſcio, qui non amoris potius abundantia, quam deliberato iudicio, ſcripta hæc intelligat. Hunc ipſum amorem ſi mihi invidere aliqui velint, in quibus, cetera magnis, hoc ipſum, quod livore tabeſcant, puſillum & minutum eſt, his in aurem inſuſurrabo, non ita mihi acerbam ipſorum invidiam eſſe, ſicut iucundus tanti hominis amor eſt, quem, ſi quis vir bonus eſt, is demum expetit vehementer, & vere ſibi glorioſum iudicat.

Vocas me, Vir optime, in partem induſtriæ doctorum hominum, tuo qui egregio conſilio, tuisque auſpiciis ſane quam lætiſſimis, *Miſcellanea nova ad incrementum Scientiarum* condunt. Iubes me ſcilicet aliquid laborum meorum, aut earum rerum, quibus mea tenuis ſupellex inſtructa, Vobiscum communicare, Dædaleo operi inſerendum. Ego vero, ut nullius vocatui parere, nullius mandato obſequi

qui potius, quam tuo, quando de literariis rebus agitur, conſtitui, (tanta tua, Vir præſtantiſſime, eſt auctoritas, tanta in omnes, qui ad præclara illa incumbunt ſtudia, ſunt merita, tanta *Menckeniorum* in animo meo, ex quo literas amare cœpi, increvit ac perſtitit veneratio,) ita nihil moleſtius ferrem, quam ſi in præſentia, tibi quæ offero, minus iucunda haberentur, tuoque Sociorumque tuorum deſiderio parum reſpondentia. Etenim, qui Philoſophiæ, Mathematices, rei medicæ, & naturalis, præcipuam Vos ita habituros eſſe rationem jam profeſſi eſtis, ut nec Hiſtoriæ, tam ſacræ, quam civilis, atque Antiquitatum, ſtudiis locum aliquem denegaretis, reliquiſſe tamen nonnihil dubii videmini, an etiam illæ Hiſtoriæ & Antiquitatum partes, quæ nihil cum patriæ veſtræ, nihil cum Græcorum aut Romanorum, rebus, aliarumque, in claſſicis, quos vocamus, ſcriptoribus celebratarum, gentium, commune habent, pertinere ad Syllogen Veſtram, necne, judicandæ forent. Credam tamen, apud Vos excuſationem quandam habiturum, quod, in hiſtoria meæ patriæ dum verſor, talia argumenta ſeligam, unde ad obſcuriores Germaniæ veſtræ memorias nonnihil, quantulumcunque etiam id, accedat lucis. Fuerat quidem decretum mihi, alia quædam, & ab his diverſiſſima, impertire, ex veteribus Philologiæ meæ Græcæ amœnitatibus delibare; verum, cum animadverterem, in nonnullis eorum, quæ collegeram, dum in ſcriniis jam

plures illa annos ſervo, palmam mihi a viris me multo doctioribus præreptam eſſe; reliqua vero plus temporis ad conferendum atque expoliendum requirere, quam a ceteris occupationibus meis impetrare queam, ſtatui in eis potius, quæ parata atque præ manibus habebam, periclitari, quam ulteriore mora in reprehenſionem Veſtram incurrere.

Interim hoc agenti cummaxime, incidit in animum, nihil abſurdi fore, ſi aliquando mihi dictum audivero, exemplum me hominis imitatum, qui, ut eſt in proverbio, unica filia duos ſibi parare vult generos. Visne, *Menckeni*, ut aperte hoc tibi de me explicem? Equidem haud ſcio, an tuam ad notitiam pervenerit, injunctum jam pridem ac perſuaſum mihi fuiſſe a doctiſſimo illo Viro, qui Florentiæ *Meurſianorum* Operum editionis curam gerit, ut, præter Epiſtolas ad *Meurſium*, quippe quarum egregium manu V. C. *Zachariæ Lundii* ſervabam ἀπόγραφον, etiam annotationes quasdam ſuppeditarem ad *Meurſianam Danicarum rerum Hiſtoriam*, mea opera elaboratas. Hoc autem negotium, aliis gravioribus diſtractus, haud antea aggreſſus ſum abſolvere, quam ab initio anni, nuper quem exegimus. Jamque nonus omnino menſis præteriit, ex quo illud, quicquid fuerat animadverſionum, lare meo relicto, in Italiam abivit, an vero ſecundo itinere, ſatisque ſalvum, neſcio juxta cum ignariſſimis, quippe nulla etiamnum literula ab iis, quibus deſtinatum erat, edoctus. Ceterum, quodcunque

que iſtius mei laboris fatum fuerit, nunc in animum induxi meum, haud admodum fore inconveniens, ſi unum alterumque ejus ſpecimen tuis, atque, niſi indignum æſtimes, per te gentis totius literariæ, oculis ſubiiciam. Neque video, cur crambem Vobis recoctam apponere arguendus ſim, quamdiu nec Vobis aliquid, nec mihi, de iisdem obſervatis, utrum lucem adſpexerint, an brevi ſint adſpectura, conſtat. Et ponamus, jam exiiſſe, non tamen eisdem, quibus in præſens, verbis veſtita; in eo utique diſſimilia, quod, quæ breviore iſtic ſtilo, (etiamſi hoc ipſo ſatis, pro materiarum copia, nonnunquam fuſo,) delineavi, quæque ibidem ad plura textus *Meurſiani* loca pertinent, nunc plenius, nec non uno conjuncta diſſertationis nexu, ſiſtam.

Eſt vero, quod ex Annotationum ſylva iſta excerpſi Vobis offerendum, de HENRICI I, Regis Romanorum, quem AUCUPEM vocant, celebri *cum Danis bello*, atque de *Marchionatu*, quem vulgo ſcribunt eum *in finibus Danorum* erexiſſe. Equidem, daturos mihi hanc veniam prudentes quosvis atque cordatos viros, ſpero, aut potius gratiam habituros eſſe, quod poſt largam aliorum vindemiam, laboresque multum ſane laudis promeritos, in laudatiſſimi Principis hiſtoria a fabulis repurganda impenſos, ego nonnihil racematus, quæ reliquerunt illi, Danicas res attingentia, pari modo ab errorum & præjudicatarum opinionum ſitu ac ſordibus liberavero. Abſit tamen, ut hanc mihi,

hi, quæcunque fuerit, inventi laudem tribuam, quippe quam, candide ſemper profeſſurus, per quos profecerim, totam volo ac jubeo adſcribendam eſſe THOMÆ BARTHOLINO, illuſtri quondam antiquitatum & hiſtoriarum Septentrionis promo condo, atque ex libris *de Contemtu mortis apud veteres Danos* inſignem olim gloriam conſecuto, longe autem ampliorem adepturo, ſi immortale, quod moliebatur, *Annalium Eccleſiaſticorum* opus per fata ei licuiſſet perſcribere & abſolvere. Ex hujus, videlicet magni Viri apparatu filius, patri avoque cognominis, quem ſexto abhinc anno funeſta pleuritis nobis abſtulit, olim, tum quidem adoleſcens, & Academiæ nuper initiatus, (anno ſcilicet MDCCX,) ſplendidam quandam particulam depromſit, ac Diſſertationi, quam conſcripſit *de Danici regni nomine*, publiceque in Auditorio inferiori noſtro ventilandam exponebat, purpureæ inſtar laciniæ intexuit. Atque hoc nobiliſſimum eſt fragmentum, a quo omnis illa mihi lux exorta, cujus ope in ſpiſſam fabularum nubem, quæ tot ſeculis expeditionem Danicam *Henrici Aucupis*, haud tantum in Germanorum, verum etiam Danorum, pluriumque ſeptentrionalium, obſedit ſcriptis, inquiſivi, animumque deinde ac ſpem concepi, totam diſpellendi, atque ex ſedibus, quas huc usque, non ſolum in hiſtoricis, ſed & in Juris, quod vocant, Publici, Commentariis occupavit, quantum in me fuerit, profligandi.

Et primum quidem ineptum fore arbitror,

Aucto-

Auctorum, qui hiſtorias illuſtrarunt, aut Syſtemata Juris publici concinnarunt; recentiorum, quamvis maximæ famæ, hominum, longam hic dinumerationem inſtituere, præſertim poſtquam profeſſus ſum, quænam mea de vulgari, & ab omnibus atque ſingulis eorum recepta, opinione ſit ſententia. Neque enim de auctoritatibus aut nominibus recentium ſcriptorum res agitur, neque eorundem eſt doctrina & eruditio, quæ in dubium vocatur, neque illa unius alteriusque ingens aliisque ſatis grandibus meritis innixa & confirmata fama, quæ periclitatur; quandoquidem hoc unum modo in controverſiam venit & quæritur, num, quæ illi optimi doctiſſimique Viri de *Dania* per *Henricum Aucupem* debellata, oppoſitoque ei *Marchionatu Slesvicenſi*, ſcripſerunt, idoneis auctoritatibus fulciantur, & quidem talibus, quales interdum ipſi, in plurimis haud levis momenti quæſtionibus, ſolent, & quidem recte, poſtulare. Quid enim? Num de Auctorum inopia, ſi nihil aliud, quam ſolus, deſideretur, numerus, conquerendum habent, ubi de tribuenda *Henrico* dignitate *Imperatoris* & appellatione quæritur? Num etiam teſtimonia deſunt, quæ *Henrico* Bonnenſibus pactis conceſſum a *Carolo*, Francorum Rege, Lotharingicum regnum affirment? Et tamen haud creditur affirmantibus. Cur denique *Aucupis* illud nomen in controverſiam vocatur, poſtquam, qui ejus meminerunt, teſtes haud adeo novitii non dubitant fidem laudare vetuſtiorum Chronicorum? Taceo plura,

ta, de ſtirpe *Henrici* ac progenie diſputata; prætereoque tot alias, in filiorum ejus ac nepotum, nec non ſequentium longa ſerie Imperatorum, hiſtoriis, quæſtiones fere innumerabiles. In quarum pleriſque explanandis, ſagacique inprimis κρίσει, quæ ſubleſtas a firmis atque veris diſcernit auctoritates, diſcutiendis, ut laudabilem profecto operam Viri ſuperioris atque noſtri ſeculi poſuerunt; ita neque ullus laudis eorum fautor nobis ſuccenſere poteſt, quando, quod nobis fecerunt reliquum in nobiliſſimi Regis hiſtoria argumentum, ad examen prorſus ſimile revocabimus, ad easdem plane, quas illi adhibuerunt, regulas noſtrum iudicium dirigentes.

Itaque, recentioribus præteritis, ad ſolos, quibus aliquid exiſtimatur auctoritatis ineſſe, veteres illos ſcilicet, reſpiciamus, certi, ne unum quidem eorum, quotquot ad notitiam noſtram pervenere, diſſimulandi. Eos vero in *tres claſſes* diſtribuemus. *Primam* occupabunt ſoli, qui ætatis non minus, quam probatæ fidei, prærogativa reliquis omnibus antecellunt, quorumque in teſtimoniis de argumento noſtro nihil occurrere omnino videtur redarguendum. Tales vero ſunt *Witichindus Corbejenſis*, *Liutprandus Ticinenſis*, *Ditmarus Merſeburgenſis*, *Ruotgerus* in *Vita Archiepiſcopi Brunonis*, *Vitæ* denique *Mathildis Reginæ* auctor. In *ſecunda* integram turbam collocabimus Chronographorum & Annaliſtarum, qui vel ſimpliciter *Witichindi* & *Ditmari* repræſentant verba, factoque de

de quo in illis agitur, certum aſſignant annum, vel perquam ſuccincte de Normannorum, ſeu Danorum, nec non Abotritorum, Regibus, ad Chriſtiana ſacra per *Henricum* converſis, ſunt locuti. Ad illos ex parte referendi *Sigebertus Gemblacenſis*, *Albericus*, Trium Fontium Monachus, *Annaliſta Saxo*, & *Magnum Chronicon Belgicum*; horum autem familiam ducunt hodie, quantum reperiſſe datum, *Chronici Augienſis* Auctor, & *Hermannus Contractus*; ſequunturque eos *Marianus Scotus*, *Sigbertus*, quem laudavi, *Gemblacenſis*, *Florentius Wigorntenſis*, *Cosmas Pragenſis*, Continuatur *Reginonis*, *Albericus*, *Martinus Minorita*, *Chronicon Auſtrale*, ac denique *Chronicon Mindenſe*. Quibus omnibus ſtrenue huc usque abuſi, qui *Henrici Aucupis* res compoſuere. *Tertia* Claſſis *Adamo Bremenſi*, primo fabulæ, quam impugnandam ſumimus, ſi non auctori, certe propagatori, deſtinata erit; cujus, ut ita dicam, ſequaces atque exſcriptores agunt *Helmoldus*, *Albertus Stadenſis*, Vitæ *Olavi Trygguini*, Regis, Auctor, *Chronographus* & *Annaliſta Saxones*, longoque ſequentes intervallo, *Theodorus Engelhuſius*, *Hermannus Cornerus*, & *Albertus Krantzius*.

Poſt nomina recitata, nihil æquius, quam ſingulorum ut teſtimonia audiantur. En WITICHINDI illud: *Cum autem* (Henricus) *omnes in circuitu nationes ſubiecisſet, Danos, qui navali latrocinio Freſones incurſabant, cum exercitu adiit, vicitque, & tributarios faciens, Regem eorum nomine Nuham baptiſmum percipere*

 fecit.

fecit. Antea vero de alio cum Danis bello, ſed quod in Saxonia fuerat geſtum non *Henrici*, ſed affinis ejus, *Reginberni*, ductu, hæc annotavit: *Reginbern autem ipſe erat, qui pugnavit contra Danos, multo tempore Saxoniam vaſtantes, vicitque eos, liberans patriam ab illorum incurſionibus usque in hodiernum.* EX LIUTPRANDI deinde elogiis, quibus *Henricum* ornavit, hæc notiſſima *Lib. III cap. 5: Hic etiam Sclavorum gentem innumeram ſubiugavit, ſibique tributariam fecit. Primus etiam hic Danos ſubiugavit, ſibique ſervire coegit: ac per hoc nomen ſuum multis nationibus celebre fecit.* Ac eiusdem *Libri cap. 13: Cuius ex hoc apud Italos nomen maxime tunc clarebat, quod Danos nulli ante ſubiectos ſolus ipſe debellaret, ac tributarios faceret. Eſt enim gens indomita, ſub ſeptentrione in Oceano degens: cuius ſævitiam multarum ſæpe gentium nobilitas luxit. Hi aliquando claſſibus per Rheni fluminis alveum conſcendentes, ferro & igne cuncta miſere laniarunt. Ipſas inſuper nobiliſſimas civitates, Agrippinam, quæ nunc Colonia vocatur, atque Treveros, non longe a Rheno poſitas, nonnullasque alias in regno Lotharii; debellantes, vi ceperunt; cunctisque ablatis, ea, quæ ſecum deferre non poterant, combuſſerunt. Thermas etiam Grani palatii, atque palatia, combuſſerunt.* DITMARI locus, qui huc pertinet, exſtat *pag. 327 edit. Leibnit.: Inſuper Northmannos & Danos armis ſibi obtemperantes fecit, & ab errore priſtino revocatos, cum Rege eorum Cnutone, hos Chriſti jugum portare edocuit.* In

BRU-

BRUNONIS *Vita* hoc ſolummodo, ad *Henricum*, patrem ejus, quod pertinet, habemus §. 3: *Nimis longum eſt proſequi, quomodo memoratus Rex, pater hujus magni viri, de quo agimus, ad illam tam gratæ pacis ſerenitatem pervenerit, cum ipſe omnia regni ſpatia & continuis finitimorum incurſionibus, & graviſſimis inter cives, etiam & cognatos diſſenſionibus, concuſſa & atrociter vexata repererit. Hinc etenim ſæva Danorum gens, terra marique potens, inde centiſida Sclavorum rabies barbarorum frendens, inhorruit. - - - Sed poſt aliquantulum temporis tantus timor per gratiam divinam invaſit extraneos, ut nihil unquam eis eſſet formidabilius.* In *Mathildis* denique *Vita* hoc tantum *Cap.* 2: *Cum autem mirum in modum proficeret Princeps laudabilis, Chriſtus illi plus auxit honorem dignitatis, perplurimas nationes ſuo ſubiugans dominatui, Danos, Sclavos, Boemones, Baiowarios, ceteraque quamplurima regna, quæ ſuis anteceſſoribus non fuerant ſubdita.*

Atque hic omnes habemus, quorum narrationi aliquid ineſſe ponderis & veritatis agnoſcamus, auctores ut rei geſtæ propinquiores, aut propemodum coævos, ita & ſinceros ſatis. An vero quisquam eorum, *Henricum* vel *in Daniam cum exercitu penetraſſe*, vel *Wormum Regem adeo perterruiſſe, ut imperata faceret, pacemque ſupplex peteret*, ut *Adamus Bremenſis* loquitur, vel *Gormonem, ingenti prælio fuſum, repreſſiſſe*, ut *Meurſius*, vel cetera in finibus Jutiæ noſtræ perpetraſſe, quæ *Krantzius*, *Spangen-*

genbergius, *Cypræus*, aliique, enarrant, dixit? Minime. Sed tamen in illorum dictis eſt, *Henricum Danos cum exercitu adiiſſe, Danos viciſſe ac tributarios feciſſe, eos debellaſſe, ſibi ſervire coegiſſe, & ab errore priſtino revocaſſe, cum Rege eorum, qui baptiſmum perceperit, Chriſti jugum portare docuiſſe?* Concedo omnia. Neque in his omnibus dictis eſt aliquid, cujus ego fidem mihi ſuſpectam dixero. Quos vero, abs te quæſo, Danos? Num qui in Dania habitabant, ſub Gormonis imperio viventes? Non omnino. Neque hoc ullus veterum illorum prodidit. De iis tantummodo loquuntur, qui, majorum exempla ſuorum imitati, jam tum longiſſimo tempore Galliæ & viciniis regionibus formidabilia & funeſta, alienis incubabant regnis, atque hinc, aſſociatis ſibi Sclavis, *Saxoniam vaſtabant*, illinc *navali latrocinio incurſabant Friſiam.* In quibus excurſionibus, uti haud ullæ fuere partes *Gormonis*, quantum ex Auctoribus laudatis ceteriſque, ſi ab *Adamo*, ejusque exſcriptoribus, recedas, conſtat, ita ad *Gormonem* victoriam *Henrici* pertigiſſe, neque iidem coævi ſcriptores dicunt. Etenim ad *Danos* reprimendos ſubjiciendosque, vel ad eorum Reges Chriſtianis ſacris initiandos, haud neceſſe erat iſtis ſeculis in Daniam excurrere, ejusque fines attingere. Adeo late tunc illi diſperſi erant, ſedesque hinc inde, modo ad breve, modo longum, tempus, collocabant. Admodum hoſpitem oportet eſſe in Seculorum IX, X, atque ea antecedentium,

hiſtoriis; admodumque indiligenter evolviſſe monumenta Francica atque Belgica, quæ ex medio illo ſuperſunt ævo, quicunque hujus rei probationem poſtulaverit.

Iam vero *Witichindus* eorum, quos *Henricus adiit*, quos *vicit*, ac *debellavit*, quos *ſubiecit imperio ſuo*, ac *tributarios fecit*, nomine deſignat *Danorum Regem*, *Nubam* ſcilicet vocando, ſeu, (ut *Reineccii* editio melius habet, conſentiente Codice Bibliothecæ Electoralis Dresdenſis, quod *Leibnitius* obſervavit,) *Chnubam*, & recte, uti prorſus mihi videtur, nominat. Vocabulum certe eſt minime inauditum in Septentrione noſtro; idemque jam olim geſſerat Rex ille Jutiæ, a *Gormone* noſtro devictus, tunc, cum eius armis omnes Iutorum Reguli deturbarentur, *Gnuba* auctori *Vitæ Olavi Trygguini* appellatus. Locum non exſcribo, quippe qui bis habetur a *Thormodo Thorfæo* adductus in *Serie Regum Daniæ Lib. II cap. 1 pag. 86*, & *Lib. III Cap. 16 pag. 445.* Idem quoque eſt nomen, quod Regum Danicorum uni, ante *Gormonem* qui regnaverit, impoſitum animadvertimus apud *Adamum Bremenſem Lib. I cap. 40*, ubi librarii vitio *Ehnob* corrupte legitur pro *Chnob*, vel *Chnub*. Eſt autem vocabulum *Knub* etiamnum appellativum, ut loquuntur, in lingua noſtra, *truncum ligni duriorem*, ſeu *ſtipitem*, ſignificans: qualia hominibus imponere perquam frequens apud majores noſtros paganos, quod vel *Knuti* illud, (poſtea in *Canutum* mutatum,) ſive a *nodo*, ſive a *tube-*

a *tubere*, aut *tumore*, ſive a *nodoſo ligno*; (hæc enim omnia ſignificat,) tractum ſit, indicaverit. Ceterum quis non miretur, doctis vaſtæque lectionis viris incidere potuiſſe, mendum apud *Witichindum* in Regis appellatione eſſe? Nempe quia in tota Regum Danicorum ſerie nullus *Nuba* vel *Chnuba* invenitur? Diceres, vel nunquam attendiſſe, vel oblitos eſſe tot Reges Danorum, ſive Nordmannorum, in Annalibus Francicis conſpicuos, quorum plerique neque in patria ſua unquam poteſtatem ſummam habuere, neque in Catalogo ſolent Regum Daniæ collocari; quanquam, placuiſſe jam olim, ſcio, doctiſſimo *Pontano*, eundem catalogum uno alteroque iſtorum nominum augere, ut de *Claudio Lyſchandro* aliisque nihil dicam. Profecto tam rara non erat noſtris appellatio ac titulus Regis iſtis ſeculis, ut ei ſoli, qui in provinciis inſulisque Danicis clavum imperii tenebat, tribueretur. Notus, & ab aliis jam ante exſcriptus, locus eſt ex *Hiſtoria S. Olavi* in *Chronico Norvegico*, qui Latine ſic habet: *Cum Olavus copias & naves inſtructas educeret, milites ipſi nomen Regis impoſuerunt, ut mos erat bellicus illis ducibus, qui piraticæ incumbebant. Hi enim, ſi ex Regibus prognati eſſent, protinus Regis gerebant nomen, licet provincias nullas regerent.* Scilicet regna ambiebant Regum filii, quos primogeniti hæreditarium jus a patriæ poſſeſſione excludebat. Quales antiquis ſeculis tanto maiore exſtitere numero, quanto certius eſt, Daniam ante *Gormonis* tempus nequaquam,

quam, aut forte rariſſime, in unius fuiſſe poteſtate, ſed dominatum ejus in plures diviſum, haud ſecus atque in Anglia ante *Egbertum* illum, ſub quo finis Heptarchiæ impoſitus. Quodſi Francicos Anglicosque ſcriptores audias, narrabunt tibi, ita ex lege factum. Sic enim *Matthæus Weſtmonaſterienſis: Reges Daniæ antiquitus ſancita lege ſtatuerunt, ut, dum nimis inſula eſſet hominibus repleta, viri audaciores de propriis migrare ſedibus cogerentur, ut ſibi ſuisque ſucceſſoribus acquirerent hæreditates, & manſiones æternas.* Idem variis locis inculcant Francorum Hiſtorici, interque eos *Dudo*, S. Quintini Decanus. Ipſe *Adamus Bremenſis*, poſtquam de *Sigafrido*, & fratre ejus, *Haldano*, dixerat, qui, Daniæ imperantes, pacem cum *Ludovico* Cæſare ad Egdoram firmarant, ſic pergit *cap. 33: Erant & alii Reges Danorum, vel Nordmannorum, qui piraticis excurſionibus eo tempore Galliam vexabant.* Hinc illa quoque diſtincta nomina, *Her-Konungar* & *Sæ-Konungar*, hoc eſt, *Reges militiæ terreſtris*, & *Reges expeditionum maritimarum.* Ita alicubi *Snorro Sturleus: Eo tempore Reges Dani & Norvegi Sueciam valde infeſtabant: multi enim* Sæ-Konungar (i. e. *maris Reges*) *erant, qui ingentibus copiis præerant, terris carentes.* Ita & *Saxo* noſter *Grammaticus Hiſtoriæ Dan. Lib. VII: Olo, recepta pelagi dominatione, ſeptuaginta maritimos Reges nauticarum virium certamine conſumſit.* Ac de altero genere, ſive de *terreſtribus Regibus*, Hiſtoria Islandorum, *Landnama-*

Saga dictà, de *Olavo Albo* loquens: *Olavus Albus vocabatur Her - Kongr (Rex exercitus): ille vaſtabat terras occidentales piratica; & Dublinum Hiberniæ occupavit, cum territorio Dubliniensi; cujus deinde Rex factus eſt.* Plura ejusdem rei teſtimonia & ſcriptorum loca ſi requiras, invenies ea apud *Ottonem Sperlingium* in libro *de Regio nomine*, a *pag. 36* ad *43*, eoque anteriorem *Thomam Bartholinum*, *de Cauſis contemtæ à Danis gentilibus mortis*, *Lib. II cap. 9 pag. 444 & ſeq.* Talis itaque Danorum Rex fuit, vel talibus prognatus, quem *Henricus* devicit; *Nuba* ſive *Chnuba* noſter, Friſios latrocinio ſuo infeſtans; non Daniæ imperans, (neque enim hoc ullus idoneus ſatis Auctor aut teſtis memorat,) ſed Danorum latrocinantium ductor. Hunc autem talem facile credimus virtute atque armis fortioris ſeſe Regis, *Magni Henrici*, debellatum, manus dediſſe, atque ſatas ſibi leges accepiſſe; videlicet, ut ſacro fonte luſtraretur, tributumque etiam ſponderet; modo, unde illud ſolveret, regnum in eas gentes, quibus jam gravis incumbebat, aut alias in vicinia, retineret. Equidem, eo modo rem factam eſſe, cui erit ambiguum? Aliter enim num quisquam Auctorum docuit? Nullus ſane. Nec utique *Witichindus*, nec *Ditmarus*, nec alii, ejectum ex Friſia, ſive ejus vicinia, quam inſederat, aut repulſum in Daniam, prodidere. Optime igitur cum *Henrico* actum, quod is primus Regum ac Imperatorum extiterit, tam validæ ac ſuperbæ genti, tantisque ali-

orum,

orum, Germaniæ atque Franciæ Regum, cladibus nobilitatæ, tales qui conditiones extorſerit. Quanto in his maior fuit & glorioſior *Carolo* illo *Craſſo*? qui quinquaginta circiter ante annis non ſolum nullas extorſit, ſibi vero longe diverſas imponi paſſus eſt ab aliis Danorum Regibus. *Godefridum* & *Sigefridum* intelligo: quorum illi *Carolus* cognatam ſuam *Giſelam*, *Lotharii* Regis filiam, in matrimonium, Friſiorum vero terras in dotem ac poſſeſſionem, cedere, huic autem & ſociis, (quos Hiſtorici *Wormonem* & *Halſum*, itidem Reges, nominant,) immenſum auri & argenti pondus, de Sanctorum theſauris redactum, ſolvere cogebatur. Cognitum ſatis ex *Reginone*, quo fato *Godefridus* paucis poſt annis perierit, ac dominatui ejus in Friſia finis ſit impoſitus. Conſtat quoque, multos ante eundem Reges & expeditionum ductores ex Dania in iſtas partes exiviſſe: ex quibus, ut non negavero, nonnullos inſuper in patria ſummæ rerum præfuiſſe; quod vel *Godefridi* illius & *Hemmingi*, qui negotium *Carolo M.* exhibuerunt, exempla docuerint, ita alii, cum ante, tum poſt, ipſos, haud eadem fuerunt domi dignitate, & appellatione, quam foris ſibi circumdedere, atque victores regionum, quo fortuna eos deducebat, facti, retinuere, imo ad poſteros transmiſere. Neque minus conſtare puto, certe teſtimoniis & conſenſu multorum ſcio comprobatum eſſe, in veteri illa Friſia, hoc eſt, in provinciis inſulisque Batavicis, varia regionum locorumque no-

mina, per eaſdem Danorum invaſiones fixasque ad longum tempus ſedes, exſtitiſſe, plane Danica. Obſervatum hoc olim fuiſſe *Petro Nannio*, & populari ejus, *Hadriano Junio*, ac ante utrumque *Joanni Reigerſbergio*, docuit me *Boxhornius*. Addere his poterat *Lævinum Lemnium*. Amplius inde illuſtratum ivere *Douſa*, *Scriverius*, ipſe *Boxhornius*, *Jacobus Eyndius*, *Matthæus Voſſius*, *Menſo Altingius*, alii. Quod vero nonnulli laudatiſſimorum hominum non dubitant id ſimpliciter affirmare factum ſub *Godefrido*, circa annum 884, nullo, quantum video, nititur fundamento alio, quam quod eo in anno primam *Denemarcæ* (Batavicæ illius, uti credunt, in agro Amſteliano,) mentionem offenderunt. Sed nonne illa ipſa mentio antiquiorem appellationem prodit? Sane, quando *Regino* dicit, (modo ſincerus ejus eſſet locus,) *Nortmannos anno 884, qui in Chinheym & Denemarcam venerant, aſſentiente Godefrido*, (qui tunc iſtis partibus imperabat,) *Rhenum navigio adſcendiſſe*; plane, ut puto, indicat, regioni iam olim proprium id nomen factum, vulgari uſu percrebuiſſe. Interim haud diſſimulo, iſtam in *Reginone* lectionem mihi neutiquam probari, quanquam acriter pro ea laboravit *Janus Douſa*, ſuffragatores poſtea nactus & *Jac. Eyndium* & *Menſonem Altingium*. Non quod favere poſſim conjecturæ *Scriverii*, *Kenemariam* ſibi hic fingentis, multoque minus *Boxhornii* (*Theatr. Holl. pag. 8*), audaciam laudare. *Denemarcæ* utique vocabulum ſolicitari nolim,

ſed

ſed de Hollandia nunquam intelligam. Etenim adſtipulor *Pontano* noſtro, levi correctione *Reginonem* indigere, (*ex Denemarca* pro *&* *Denimarcam*,) contendenti *Hiſtor. Dan. Lib. IV* pag. 111, *Hiſt. Gelr. Lib. V pag. 61*, ac *Diſcept. Chorogr. contra Cluver. pag. 68.* Atque hanc ipſam habeo confirmatam ab Auctore, *Pontano* tunc haud viſo; *Annalium Metenſium*, *Reginonis* exſcriptore manifeſtario, quippe qui repræſentat: *Eodem anno Normanni, qui in Chinheim ex Denimarca venerant. Duchesnius Tom. III pag. 320.*

Porro, ut ad *Chinubam* revertar, vix dubito, quin Friſiam eodem invaſerit animo, quo olim in hos ipſos tractus *Godefridus* & *Sigefridus*, eorumque ſocii, irruperant. Non diſputo de provinciarum illarum ſtatu ab interitu *Godefridi* ac *Sigefridi*, atque num verum ſit, quod nonnulli tradiderunt; hunc poſteriorem, poſt magnos prædationum in Gallia ſucceſſus, in Friſiam rediiſſe, palamque pro *Godefridi* hærede ſe gerentem, a Freſonibus trucidatum eſſe. Id volo, Danos noſtros, etiamſi ducibus ſuis orbati, aliquamdiu ab irruptionibus temperarint, donec *Rollo* poſt decem annos novam faceret, nequaquam tamen Friſios omni metu liberaſſe; ne quidem poſt maximam illam cladem, qua leguntur ab *Arnulpho* Imp. proſtrati. Adiuvabat eorum audaciam, quod per ea tempora Zelandiæ quibusdam inſulis, armis iam pridem vindicatis, inſidebant, nec non aliis mari vicinis tractibus, immo Hollandiæ, quæ hodie vocatur,

catur, potiori parti. Eo nempe ſolebant, quantisvis etiam fracti cladibus, ſe recipere, munitionibusque ſeſe ſuis tueri. Inde &, recollectis viribus, novisque ſubmiſſis e patria ſua Dania ſubſidiis, occaſioni denuo inſurgendi imminere. Ita ſcilicet teſtatur *Jac. Meyerus* in *Annal. Flandriæ*, anno 928 „Danos, Sifrido duce, maritimam Morinorum „oram invaſiſſe, Gisnas oppidulum captum, in„conſulto Comite *Arnulpho* duplici foſſa cin„xiſſe, idque, pace facta, in fide *Arnulphi* cum „tota adiacente terra retinuiſſe. Plura in hanc rem apud recentiores earundem regionum Hiſtoricos habemus expoſita, argumentisque tam probabilibus confirmata, ut facile quemvis induxerint ad aſſentiendum. Itaque nulla mihi videtur ſedes *Chnubæ*, ejusque Danorum populo, melius convenire, quam quæ a *Jacobo Eyndio* aſſignata eſt in Zelandia, cui cum imperio præſederit, Rex patrio more a Danis ſuis appellatus. At, Zelandiæ inſulis ſeſe ut continerent, quomodo exſpectares ab iis, qui, multitudine laborantes, præter avitum morem, quem in virtute ponebant, aliena perpetuo incurſandi, Friſiam, utpote Danis olim, qui eam plura ante ſecula occuparant, a *Ludovico Pio* conceſſam, *quaſi legitimam, ſuique juris,* (teſte etiam *Adamo Bremenſi Lib I cap. 15.*) repoſcebant? Nunc vero *Henrici* armis debellati, ea lege in ſedibus, quas habitatas illis diximus, relinquuntur, ut tributa pendant. Ad tributariam enim legem quomodo adactos illos concipies, niſi extra

Daniæ,

Daniæ, proprie dictæ, fines ac territorium conſtitutos? Et quem potes afferre nobis aut nominare, qui vel verbulo indicaverit, ex Dania tributi aliquid ad Regem aut Imperatorem Germaniæ delatum unquam? Ne quidem *Adamus*, aut Epiſcopus ejus, auſi ceteræ iſtud ſuæ fabulæ, de *Gormone perterrefacto*, ac *Marchionatu Sleſvicenſi*, attexere.

Implicat ergo ſeſe, eidemque, quam evitare ſtudet, difficultati ſe involvit *Ubbo Emmius* (*Hiſtor. Friſ. Lib. VI pag. 85*), dum iſtud de *Chiupia* (ex *Sigeb. Gemblacenſi*) *ad pendenda tributa, & ſacra Chriſtiana amplectenda, coacto*, de Jutarum parte, ac de Principe eorum, aut Regio Præfecto, intelligendum cenſet: cui & obſervationi locum dederunt in *Notis* ſuis ad *Vitam B. Mathildis Cap. 2 Henſchenius* & *Papebrochius ad d. XIV Martii*. Neque melius res cecidit *Gundlingio* in *Henr. Auc.* §. 27 *not.* (*g*), quando erroris accuſare voluit *Witichindum*; errandique ei dediſſe occaſionem coniecit *Gnupam*, Iutiæ olim Regem, quem *Gormus* oppugnavit, & poſt aliquot prælia occidit. Nam quænam, Te rogo, eſſet ratio, necis iam ante LX annos & amplius *Gnupa* tantam celebritatem fuiſſe, ut nomen huius, *Saxoni Grammatico*, ceteriſque Septentrionis Hiſtoricis, præter *Oddum* Monachum, ignoratum, *Gormonis* illi, jam, totum iſtud per intervallum, Daniæ imperantis, ſubſtitueretur? Hocne in ullum ſcriptorem exterum, nedum in Corbeienſem, res *Henrici*, præſertim in Germania inferiore, ge-

 ſtas,

ſtas; optime edoctum, cadere? Verum, qui gravius multo hallucinatus, inque errorem tali ac tanto Viro indigniſſimum eſt lapſus, fuit, (quod piget dicere, ſed dicendum tamen,) *Thormodus Torfæus*, cetera tam accuratus, & immortaliter de hiſtoriis noſtris meritus. Eius, quam enixe adeo commendat *Gundlingius*, & acutam pronuntiavit, hæc fuit ſuſpicio, eſſe de *Knuto*, *Gormonis* filio, intelligenda, quæ *Sigebertus* de Rege ſcripſit *Chiupia*, *Witichindus* de *Chnuba*, *Ditmarus* autem de *Cnutone*, quem cum Danis ſuis, a priſtino errore revocatis, armis obtemperare, Chriſtique iugum portare, *Henricus* Rex docuerit; ſiquidem *Gormonis* ille filius, *Knutus*, tunc *agro* (ait) *Slesvicenſi, ab avo donatus, præfuit*. Veriſimile quippe putat *Torfæus*, *Knutum* fuiſſe, non vero fratrem eius, *Haraldum*, (de quo retulit *Adamus Bremenſis*,) qui Archiepiſcopo *Unnoni* patulas aures præbuerit; tanto magis, quod Saxoniæ vicinior eſſet *Knutus*, quodque *Henricus Auceps* non ultra Slesvicum pervenerit; præterea quod avus *Knuti* maternus, *Haraldus Klack*, in extrema ætate Chriſtianæ religionis amore in externas regiones conceſſerit, ſeque ſacro fonte abluendum præbuerit. Favere denique coniecturæ ſuæ opinatur, quod, quem ceteri *Cnubam* aut *Chiupium*, *Ditmarus Cnutonem* appellavit. Sed quam facile iſta omnia ex *Torfæo* ipſo evertuntur! Cui doctiſſimo candidiſſimoque viro nunquam in mentem veniſſet, in gratiam *Adami Bremenſis*, ſcriptoris, ut frequenter utiliſſimi merito-

que

que prædicandi, ita nonnunquam futilis admodumque infidi, talia excogitare; niſi fuiſſet illa ſumma & ſæpenumero cœca erga ſcriptores ſuos Norvegicos Islandosque veneratio. Nempe, hos, exiſtimans, eadem cura eademque integritate, qua ipſe erat, in ſcribendo verſatos eſſe, haud raro ab iis in devia eſt abreptus, minusque cohærentia affirmavit. Retulerat Auctor Norvegicus in *Vitam Olavi Tryggvini*, a ſe ſcriptam, iſtud de *Henrico Aucupe*, quod, „in „Daniam expeditione ſuſcepta, Danorum po„pulum tum blandimentis, tum minis, tum „etiam armis, ad Chriſtianam religionem com„pulerit, neque prius deſtiterit, quam, ſe Chri„ſto nomina daturos, pollicerentur.„ Ita ſcilicet habet locus *Part. I Cap. 69*, quem tamen locum, certiſſimum eſt, nusquam aliunde, quam ex *Chronico Bremenſi*, quemadmodum nonnulla alia in Norvegico illo opere, ubi de peregrinis rebus agitur, deſumtum eſſe. Aſt *Torfæus*, qui in Norvegis veteribus Islandisque ſuis tantum non omnia mirabatur, quique inſuper ad *Adami Bremenſis* errores animum haud ſatis gerebat cautum, præterquam ubi nimis ab Islandis diſſentiret, nunc, ut tam Monacho Norvego, quam Bremenſi, opitularetur, excogitavit de *Knuto* iſta, quæ retulimus, quæque nos nullis aliis, quam ab ipſo petitis, argumentis refellemus. Primo enim, ut confictum eſt, *Henricum Aucupem* Heidebuam, ſeu Sleſvicum, usque penetraſſe, ita neque recte dicitur, *Knutum*, *Gormonis* filium, *agro Sleſvicenſi*, *ab*

avo materno donatum, *præfuiſſe* (hæc ſcilicet *Torfæi* verba *Trifol. cap. 3 pag. 11.*). Nunquam vero is Sleſvicum aut aliquam legitur Iutiæ auſtralis partem tenuiſſe, neque avus eius, *Haraldus Klack*, quidquam in agro Sleſvicenſi tenuit, quod donaret. Habuit iſte avus nonnihil ditionis in Holſatia, atque hoc totum nepoti ſuo, *Knyto*, cum omnibus ſuis bonis legavit, ut clariſſime Auctor *Vitæ Olavi Tryggvini* teſtatur *Lib. I cap. 75 pag. 78*, qui & nusquam vel *Haraldo* illi *Klackio* ſedem prope Sleſvicum, vel *Knuto* præfecturam ejus, aſſignat. Quid? quod idem ſcriptor *Cap. ſeq. 76 Knutum* a *Gormone* patre *ex Holſatia* (non ſane *Sleſvico*) ad feſtum ſolenſe evocatum ſcribat. Ac, ne coniuncta ſub *Knuti* poteſtate hæc duo, utpote vicina, territoria exiſtimes, ſciendum, per eadem tempora Sleſvico totique auſtrali Iutiæ cum imperio præfuiſſe ultimum, qui in hiſtoriis nominatur, Iutiæ Regulorum, nomine *Frothonem*, ſeu *Frodium*, Principem haud parum memorabilem, & illuſtriore, quam conſecutus eſt, fama dignum. Is enim fuit, quem *Unno*, Hamburgenſium Antiſtes, prædicatione Evangelii ſua eſt lucratus; is, quem idem Præſul ſacro ſalutis fonte abluit, (ita ut ei vere conveniant, quæ nonnulli per errorem *Haraldo Gormonidæ* tribuunt, *Torfæus* autem ad *Knutum* per coniecturam æque erroneam trahit,) is denique erat *Frodius*, qui templa Sleſvici atque Ripis erexit; nec non circa annum 947. legatos ſuos ad Pontificem

Roma-

Romanum *Agapetum II* miſit; quemadmodum ſæpius laudatus *Vitæ Ol. Trygguini* Auctor *Cap. 49* docuit, ipſeque agnovit *Torfæus Ser. Reg. Dan. pag. 429*, & *Trifol. Cap. 3 pag. 9*, & *Cap. 8 pag. 28*. Ceterum, quæ de *Knuto*, *Gormonis* filio, (ut ad hunc revertamur,) exſtant memoriæ prodita, coniecturæ *Torfæi* de eius Chriſtianiſmo adverſantur cuncta. Parenti, acerrimo Chriſtianorum hoſti, quamdiu vixit, in deliciis fuit, *Haraldo* etiam in amore prælatus. Convivio Iolenſi, quod paganicis planeque impiis ſuperſtitionibus celebrabatur, vocatus interfuit, eo ipſo anno, quo interiit. Piraticam exercuit. Et, quod rem omnem abſolvit, (cum narratio de *Gormonis* fato, filii iſtud illico conſecuto, ad fabulas releganda eſt, ipſo agnoſcente *Torfæo Trifol. Cap. 4 pag. 13*, & *Hiſtor. Norveg. Tom. II pag. 278*,) mortem obiiſſe *Knutum* circa ipſa regni *Henrici Aucupis* apud Germanos initia, ex calculo Islandorum conficitur, multis annis ante, quam *Henricus* aggrederetur Danorum illum Regem, *Nubam*, ſeu *Chnupam*, debellare. Etenim haud licuiſſet *Haraldo*, ut minori filio, nec tantopere patri civibusque adamato, totius regni adminiſtrationem a *Gormone*, iam decrepito, obtinere, *Knuto* adhuc ſuperſtite. Obtinuit vero, totamque Daniam ante mortem *Gormonis* patris, quam *Torfæus* in anno 935 collocat, minimum quindecim annis rexit; quem tamen numerum *Knytlingorum Hiſtoria* duplicat, dicens, *ſceptra regni octoginta annis, triginta*

ginta nempe vivo adhuc Gormone patre, & ab illius obitu quinquaginta annis, tenuiſſe. Nobis minor ille numerus ſufficit, *Hvitfeldio* olim, ac poſtea *Torfæo* ipſi, approbatus; unde nihilo minus infertur, *Knutum*, (niſi male calculos ſubduxerit Vir in Chronologicis ἀκριβέϛατος, deque nulla re tantopere, quam de temporum ratione recte ſubducenda, ſolicitus,) haud ſerius anno 910, qui *Henrico Aucupi* fuit primus, fuiſſe exſtinctum, ac adeo non potuiſſe per *Henrici* in Danos expeditionem ad Chriſtiana ſacra permoveri.

Quod vero in *Ditmari* Chronico *Cnutonem* videmus repræſentari, aut, ſicut in alio exemplari eſt, *Cnittonem*, nihili prorſus æſtimandum; cum facile unius literulæ mutatione corrumpi iſtud nomen potuerit. Nobis perquam habetur probabile, a *Ditmaro Cnuponem* ſcriptum, hocque ab aliis deinde in *Cnutonis* multo notius nomen mutatum. Veram appellationem fuiſſe, quam *Witichindi* nobis Codices ſervarunt, quotquot *Chnubam*, aut *Chnupam*, exhibent, nulli dubitamus. *Nuba* ex molliore forſan pronuntiatione, ſicut *Ludovicus* pro *Hludovico* aut *Clodoveo*, *Lotharius* pro *Chlothario*. Caſinenſis Codex *Witichindi* habet, *Leibnitio* teſte, *Chonpam*; *Sigebertini* illi *Chuipiam*, *Chiupiam*, *Chnipiam*; *Albericus* & Magnum Chronicon Belgicum *Chinpam*; alii *Chiripiam*. Talibus ſi quis varietatibus inhærere, iisque ſe & alios perturbare, malit, quam verum, verove quod eſt ſimillimum, conſectari, illum, dum

dum nobis negotium eſt cum *Chnuba* noſtro, ad alia monumenta medii iſtius ævi ablegabimus, ubi, in quo ſe exerceat, affatim deprehendet. Exſtat, ut multa prætercam alia, in *Annalium Minorum Waddingi edit. recent, Tomo IX, ad ann. Chr. 1400; Index omnium Cœnobiorum familiæ Minorum Ultramontanæ, ex tribus Codicibus exſcriptus*; quod monumentum vel ſolum tibi probaverit, quousque procedere in pervertendis propriis nominibus ſtupor & negligentia exſcriptorum queat. Ibi inter Cœnobia habes Danica Wiburgenſe, in Cod. Vatic. *Viberich*, in impreſſo *Urbing*, in Aracœlitano *de Urbingis*, appellatum; Slesvicenſe, in Vaticano ſcriptum *Selesnith*, in impreſſo *Sclerifch*, in Aracœlitano *Scherich*; Randruſienſe, in Vaticano *Raudrus*, in impreſſo *Raudet*, in Aracœlitano *Raudei*; Upſalienſe, in Vatic. *Obſaliaz*, in impreſſo *Pſallam*, in Aracœl. *Pſalm*; Suenburgenſe, in Vatic. *Sumelberch*, in impreſſo *Amerburch*, in Aracoel. *Sunerburch*. Atque, ne Danicis duntaxat talia accidiſſe putes, ſimilia ſe tibi offerent in cunctis fere regnis, Hiſpania, Gallia, Anglia, ceterisque. Videbis quippe Segobiam ſcriptam *Segame*, Lemovicum *Lovaaniças*, Namurcum *Narmaçi*, Southamptonum *Sub Canthone*. De Ægypti Regum aliorumque e ſumma vetuſtate nominibus jam non loquor, ſæpenumero in Græcorum Latinorumque libris multo fœdius deturpatis, quam *Ditmari Cnitto*, vel *Sigeberti Chuipia*, eſt, ex *Chnuba*, vel *Chnupa*.

Verum,

Verum, cum ventum modo ad *Sigebertum* eſt, quem, ſuperius diximus, factum iſtud ex *Witichindo* deſumſiſſe, certoque tempori alligaſſe, ſequacesque in eo nactum eſſe *Albericum*, Monachum Trium Fontium, Annaliſtam Saxonem, nec non Magni Chronici Belgici Auctorem; diſpiciendum, num recte, an ſecus, ille rationes ſuas ſupputaverit. Cum *Sigeberto* enim ſolo res nobis eſt, non cum otioſis eius exſcriptoribus. Diſſentiunt hic recentiores, quantum ſcimus, omnes; nonnullique ad annum 930, verum maior numerus ad annum 931, referunt. *Sunt*, ait *Gundlingius* (in *Henr. Auc. pag.* 198), *qui expeditionem in Danos poſt Hungarorum in Saxoniam cladem referant, quantumvis fallantur. Rectius Hermannus Contractus & Chronographus Saxo hanc victoriam anno triceſimo primo poſt nongenteſimum commemorant. Witichindus vero cum tropæis contra Redarios coniungit. Supplementum Reginonis annum trigeſimum ſecundum; Oddus Monachus, Vitæ Olavi Trygguini ſcriptor, undetriceſimum, annotant.* Auſim dicere, præproperam hanc cenſuram eſſe, & fundamentum, quod ei ſubſtructum, nimis debile. *Hermannus Contractus* nullius victoriæ de Danis meminit. Chronographus Saxo, novus & miſellus ſarcinator, commiſcuit duo diverſorum ſcriptorum annotata, quorum prius ex *Hermanno* eſt *Contracto*, aut *Sigeberto Gemblacenſi*, poſterius ex *Adamo Bremenſi*. De utroque plura mox dicemus. *Witichindum* coniungere illam de Danis

victo-

victoriam cum *trapeis contra Redarios*, plane falſum eſt. Inter omnes *Henrici* expeditiones ultimo loco poſuit Danicam; neque de hac verbum prius protulit, quam Hungarorum cladem longa narratione *expoſuerat*. Supplementum *Reginonis* non ad annum 932, ſed ad 931, eadem ponit verba, quæ ex *Herm. Contracto* Gemblacenſis totque alii deſumſere. Denique, *Vitam Olavi Trygguini* ſi *Gundlingius* inſpexiſſet, atque ad locum illum attentionem, qualem Chronologicæ res requirunt, adhibuiſſet, deprehendiſſet annum haud undetrigeſimum, ſed duodetrigeſimum, indicatum. Dicit enim, ad Danicam *Henrici* expeditionem duodecim effluxiſſe annos a tempore, quo *Unno* in Archiepiſcopum Bremenſem conſecratus fuit. Conſecratio autem *Unnonis* peracta eſt quinto anno Regis *Conradi*, hoc eſt, non 918, (qui *Thorm. Torfæi* eſt error *Ser. Reg. Dan. pag.* 428, nempe quia in computando *Carlonis Chronicon* eſt ſecutus,) ſed anno 916, ſicut omnia docent Regis iſtius Diplomata, atque ab iſto duodecimus erit, quem dixi, 928. Itaque in tota annotatione iſta *Gundlingii* nihil ſani, verum, quot verſus, tot errores. Nos, priusquam ulterius progrediamur, diiudicandumque *Sigeberti* calculum ſumamus, intuebimur primum, quod Annaliſtæ, ad *ſecundam* a nobis ſuperius redacti *Claſſem*, annotarunt, pauci quidem in anno 930, ſed plerique 931, ſcilicet, quod Abotritorum

torum & Normannorum Reges ad Chriſtianiſmum converſi ſint. Eius, quantum nobis reperire datum, prima & antiquiſſima facta mentio in parvulo *Chronico Augienſi*, quod in anno 954 deſinit, quodque ex vetuſtiſſimo Codice Monaſterii S. Galli protulit in lucem vir præclarus *Steph. Baluzius Miſcell. Tom. I*, ibique occurrit his verbis: DCCCCXXXI *Heinricus Rex Reges Abodritorum & Nordmannorum efficit Chriſtianos, & profectus eſt in Galliam.* Longo deinde poſt tempore *Hermannus Contractus*, eiusdem loci, ubi Chronici Auctor vixerat, videlicet Augiæ Majoris, Monachus, in ſuum opus intulit, ſic expreſſum: *Anno* DCCCCXXXI *Heinricus Rex Reges Abodritarum & Nordmannorum Chriſtianos fieri fecit, ipſeque Gallias petit. Hermanno* aliquanto eſt iunior *Marianus Scotus*, apud quem eadem fere occurrunt ad annum 930: *Henricus Rex Regem Obricorum & Nortmannorum efficit Chriſtianos.* Sequuntur in XII Seculo *Sigebertus Gemblacenſis, Florentius Wigornienſis*, & *Cosmas Pragenſis*, nihil, præter ea, quæ modo audivimus, referentes, niſi quod *Cosmas Danorum* poſuit pro *Nordmannorum*, & *Florentius Obritorum* pro *Abotritorum*. Continuator *Reginonis*: *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXI Heinricus Rex Regem Abotridorum & Regem Danorum efficit Chriſtianos. Eodem anno Rex ab Eberhardo aliisque Franciæ Comitibus ſeu Epiſcopus in Franciam vocatus &c. Albericus*, hæc tantum: *Anno DCCCCXXXI*

DCCCCXXXI *Henricus Rex Reges Normannorum & Abodritorum Chriſtianos facit.* *Martinus* vero Minorita ſic: *Heinricus primus, Filius Ottonis, Ducis Saxonum, anno Domini CMXXVIII regnavit annis XVIII in Almania. Iſte in Saxonia Ungarorum exercitum delevit, & duos Reges Chriſtianos fecit, ſcilicet Normannorum & Obotritorum.* Chronicon Auſtrale: *Anno 932. Heinricus Regem Abotridorum & Nordmannorum Chriſtianos facit.* Mindenſe autem, contra omnes iam enumeratos, rem ad annum 927 retrahit. Ait enim: *Iſte Henricus Reges Normannorum & Abodritarum anno regni ſui octavo ad fidem Chriſti convertit.* Non computo tres, adhuc reliquos, etiamſi ab aliis citari video, *Lambertum Schaffnaburgenſem*, Annales Hildesheimenſes, & Chronicon Herveldenſe, quia in nullo eorum exſtat mentio Normannorum, ſeu Danorum, uti neque Regis alicuius ad Chriſtianiſmum converſi. Sic enim duntaxat poſuere: *Heinricus Rex Abotritos ſubegit.* Habes omnia; quibus ſi plura fortaſſis aliunde potuerint ſuperaddi, a nobis prætermiſſa, vix credo tamen diverſa, aut ampliori futura illuſtrationi.

At quid inde, ex tot ſcilicet Annaliſtarum verbis, quæ unum idemque ſonant, conficiemus, Te rogo? Num Abotritos & Danos una eademque circa annum 931 expeditione ab *Henrico* domitos, & ad ſacra Chriſtianorum compulſos? An hoc potius, exemplo Abotritorum Regis, prius victi, perterrefactum Regem Danicum,

nicum, pacem expetiviſſe, & ſalutarem religionem amplexum eſſe? Sed de nulla expeditione, nullo bello, nulla *Henrici* de Abotritis & Danis victoria, loquuntur, nec verbum ullum proferunt, qui primi ad annum 931 rei geſtæ auctores ſunt. Monachos intelligo Augienſes, a quorum libellulo Chronico, tanquam a fonte, totum illud derivatum. Nam ab hoc Chronico, neque ab ullo, ut apparet, alio, ſerior Monaſterii ejusdem incola, *Hermannus Contractus*, (qui centeſimo anno, ex quo prior ille annotatiunculas ſuas finierat, fato ſuo eſt functus,) in ſuum maioris molis opus tranſcripſit. Ab *Hermanno* deinceps reliqui certatim deſumſere. Notus Chronographorum mos eſt, neque ita abiecte ſentio de lectoribus meis, ut plura de illo addam, aut ut laborem ſumam oſtendendi, quam inanis fiducia ſit eorum, qui probationum ac teſtium nubem crepant, ubi ſæpius uno tantummodo, quem ceteri, veluti grus gruem, ovis ovem, ſequuntur, tota res innititur.

Verum quis ille *Abotritarum Rex*, quis *Normannicus* ille, quos *Henricus* effecit Chriſtianos? Et, cum nihil de armis prodiderunt Monachi Augienſes, (quanquam non dubitavit *Georgius Fabricius Gemblacenſem* ſic interpolare,) qua ratione cultum eis Chriſtianum perſuaſit? Ego vero facile largior, neque ullus dubito, ſi modo res vere ſit facta, cuius illi meminere, effectam fuiſſe vi armorum, utpote ratione propagandæ religionis iſtis ſeculis maxime

ne uſitata. Concedam amplius, converſionem illam ſecutam eſſe victoriam *Henrici* de Redariis, Obotritis, ceteriſque Slavis, anno 931. Ceterum, quod idem illud ſit factum, resque inter *Henrici* geſtas eadem, de qua auctorem habemus *Witichindum*, quando de *Nuba* loquitur, nequaquam adduci poſſum, ut credam. Recte igitur & prudenter egit *Sigebertus Gemblacenſis*; quod diſtinxit; recte, quod, poſtquam de Nordmannis illud & Abotritis ex *Hermanno Contracto* ſuo loco poſuerat, ſeorſim *Witichindeam* narrationem quarto demum poſt anno collocavit; etſi in hoc nullum imitatorem eſt nactus, exceptis *Alberico*, Monacho, & *Annaliſta Saxone*. Magnum enim Chronicon Belgicum, ſicut poſterius habet, (de Danis Friſones incurſantibus,) & quidem ad annum *Henrici* XVI, ita prius illud neglexit. At vero imprudenter agunt, qui in Augienſis Chronici & *Hermanni Contracti* verbis *Normannos* in *Danos* commutant, aut qui habent pro ſynonymis; quemadmodum ex veteribus *Cosmas Pragenſis* & Continuator *Reginonis*, ex recentibus autem nemo non, fecerunt. Nortmannos utplurimum Danos ſignificare, tralatitium eſt, omnibusque pernotum; errat autem, qui, ubique ſic ſignificare; nulloſque hac appellatione alios indicari, credit, quam Danos. Ampla admodum & generalis erat, non tantum Danos, Norvegos, Suecos, comprehendens, verum & illos populos, qui Francis Tranſalbiani Saxones vocabantur, alias Nordalbingi, inque Stormarios,

rios, Holſatos, ac Thietmarſos, diviſi erant. Diſerte Annales Francorum, *Eginhardo* apud *Duchesnium* adſcripti, ad an. 798: *Tranſalbiani autem, qui Nordmanni vocantur, ſuperbiâ elati, eo quod legatos Regis impune occidere poterant, arreptis armis contra Abotritos, Francorum auxiliares & ſocios, proficiſcuntur.* Quam in rem plura in proclivi eſſet colligere, quam vel *Du Cange* in *Gloſſario*, vel *Torfæus* in *Hiſtor. Norv. P. I Lib. 1 cap. 8*, vel *Schurzfleiſchius* in *Diſſert. de rebus Danicis pag. 4*, vel *Jac. Car. Spenerus* in *Notit. Germ. med. ad cap. IV §. IX*, exhibuerunt. Et, cum Nordmannorum, ad Albim habitantium, vicini eſſent Abotriti, hinc de utriusque populi cum inimicitiis ac bellis, quibus ſe invicem impetebant, tum ſocietatibus, quas inter ſe reconciliati contra Francos inibant, Annales horum meminere. Ergo & facile concedi poteſt, ſocietati illi, quam Slavicæ omnes gentes inter ſe coierant, contra *Henricum Aucupem*, facem præferentibus Redariis, etiam ſeſe adjunxiſſe Tranſalbianos Saxones, modo idoneo illud teſte aliquo conſtaret. Sed apud *Witichindum* fruſtra Tranſalbianos, fruſtra Nordmannos, quæres, nominantem Abotritos, Vulzos, Hevellos, Dalmancos, Bohemos, Redarios, nullos alios. Idem apud *Ditmarum* obſervabis. Dicas ergo mihi, unde illos *Gundlingius* arceſſivit Danos, quos Redariorum Wilzorumque cohortes adauxiſſe aſſerit (*pag. 187. not. q*)? Ex *Gemblacenſi*, reſpondebis, qui Nordmannorum & Abotritorum Re-

ges

ges effectos eodem anno Chriſtianos ait, quo Redarii cum ſociis ab *Henrico* debellati ſunt; verbaque eius ſcriptoris ita intellecta fuiſſe ab interpolatore *Geo. Fabricio* (ad *an. 930 & ſeq.*) pluribusque. At ego iſta ratione agere, ac ſine critico examine verſari in veterum hiſtoriarum monumentis, neutiquam fas duco. Aliquid, concedo, foret, ſi *Gemblacenſis*, poſt cladem Redariorum narratam, ſubiunxiſſet, Obotritorum Regem, utpote rebellionis ſocium, nec non Nordmannorum illum, eidem bello implicitum, perterritos gravi ſtrage, Chriſtianam fidem ſuſcepiſſe. Nunc, cum clariſſime liquet, illud, de ſtrage Redariorum, *Annaliſtam* ex *Witichinde* hauſiſſe, prius autem, quod in controverſia eſt, ex *Hermanno Contracto*, quis non videt ac ſentit, nullam *Gemblacenſi* cogitationem fuiſſe de coniungenda illa Regum converſione ad Chriſtianismum cum Redariorum clade, poſtquam nihil ſimile apud *Witichindum* deprehenderat? quemadmodum viciſſim apud *Hermannum* nihil de Abotritis & Redariis prælio devictis, ſed tantum de converſione Regum? Sane *Hermanno* nihil cognitum videtur fuiſſe vel auditum de Redariorum ceterorumque Slavorum clade, uti neque quibus modis ad ſacra Chriſtiana duo illi Reges acceſſiſſent. Reliqui recentiores ſunt manifeſti partim *Contracti*, partim *Sigeberti*, exſcriptores, nullo idcirco numero nobis habendi. Mihi, ut demum concludam, hæc veri ſimillima eſt ſententia, ad Monachos Au-

gienſes, utpote procul diſſitos, nihil admodum de Slavorum clade perveniſſe, aliquid vero eos de uno alterove Rege verſus ſeptentrionem ab *Henrico* ad Chriſtianam fidem perductis ex confuſa fama percepiſſe, hocque inprimis dignum exiſtimaſſe, quod in Annales ſuos referrent; cumque ex populis ad Septentrionem ſitis nullos habebant ex Chronicis vetuſtioribus ſuis magis cognitos, quam Nordmannos & Obotritos, quippe toties in *Caroli M.* & ſucceſſorum hiſtoriis memoratos, ideo ipſos nominaſſe.

Mirum interim, diſcedere hic a ceteris, qui Augienſes exſcribunt, *Lambertum Schaffnaburgenſem*, atque hæc tantum annotare ad *annum 1031: Henricus Rex Abotritos ſubegit.* Habetque ille, ſicut ſupra indicabam, ſecum duos, *Annalium Hildesheimenſium*, & *Chronici Herveldenſis*, auctores, eadem verba repetentes. Novi, ex ſilentio ſcriptorum haud valida argumenta duci; ſed & novi, quantum graves & domeſticos, locisque & temporibus rerum geſtarum propinquos, Hiſtoricos, quales ſunt *Witichindus* & *Ditmarus*, præferre oporteat Monacho peregrino, in Helvetiæ quodam angulo quidlibet in annales ſuos, atque ea, quæ in boreali Germaniæ parte contigiſſe perceperat, ex rumore, infarcienti. Equidem, ſi a bonis illis Hiſtoricis abire, aut Monachorum eis licebit errores & commenta aſſuere, iam non Abotritorum tantum & Danorum, ſed & Bohemiæ, Regem, *Spitignæum*, habebimus Chriſtianum ab *Henrico Aucupe* effectum.

feſtum. De quo ſcilicet illud habent *Ricobaldus*, Seculi XIII Auctor, cum in *Hiſtoria Imperatorum*, cum in *Compilatione Chronologica*, ab *Eccardo* & *Muratorio* editis, (ubi *Spitigeus* & *Spintigeus* vocatur,) *Martinus Fuldenſis*, apud eundem *Eccardum*, *Spireveum* appellans; nec non *Ioannes Shiphowerus* in *Chronico Oldenburgico* apud *Meibomium*, cui *Spitigeneus* eſt; ac ſine dubio illud ex vetuſtioribus Chronicis ceperunt. *Shiphowerus*, huius Bohemi converſionem cum Danici Regis illa coniungens, *Iſtis*, ait, *temporibus Rex Danorum fit Chriſtianus*, & *Spitigeneus Rex Bohemiæ ſimiliter*. Eant ergo, qui, *Germanum* noſtrum, credunt, vel alium in Dania noſtra Regem, ab *Henrico* devictum, & ad Chriſtianismum perductum; eant, inquam, ad Bohemos, & ab eis exquirant, quid demum de Rege Bohemiæ illo ſit factum, quem *Henricus Auceps* Chriſtianum reddidit. Si enim *Spitigneus* fuerit, cur ex catalogo Regum ſuorum eliminarunt, ubi duos quidem conſpicimus iſto nomine, ſed priorem iam anno 906 mortuum, alterum vero *Henrici Aucupis* ſeculo nondum natum? Contra in Annalibus illius gentis legitur, ab *Henrico Aucupe* anno 935 S. *Wenceslaum*, Bohemiæ Ducem, fuiſſe ad Conventum Erfurtenſem invitatum, Regisque appellatione, nec non brachio S. *Viti*, donatum. Vid. *Balbini Miſcell. Bohem. Dec. I Lib. VII pag. 58*, quibus paria me legiſſe memini in *Actis Sanctorum Menſis Maii*, ni fallor, *Tomo II*. Itaque, dum hæc conſide-

ro, aqua mihi valde hæret in altero illo, de *Abotritorum Rege*; quem confidenter nonnulli *Micislaum* nominant, num ſcilicet Chriſto tunc nomen dederit; quandoquidem nihil de eo in hiſtorias ſuas retulerunt *Witichindus* & *Ditmarus*, uti nec alii, præterquam qui ex Helveticis illis Monachis accepere. Ceterum, Danorum aliquem Regem eo anno, quem Redariorum nobilitavit clades, Chriſtianum effectum fuiſſe, falſum omnino autumo.

Quemadmodum vero ab initio ſatis ſum profeſſus, mihi firmiter conſtitutum, nihil in dubium vocare eorum, quæ boni & antiqui ſatis Auctores de aliquo Danorum Rege ſcripſerunt, ab *Henrico Aucupe* tributario facto, & Chriſtianis ritibus initiato; hoc autem viciſſim me poſtulare, ut ne ad credendum vel pravis recentiorum ſcholiis & expoſitionibus, vel ſerioris ævi Monachorum fabulis, adigar; ita, poſtquam aliqua defunctus ſum opera in expoſitionibus illis refellendis, reſtat, ut declarem, quasnam in argumento hoc noſtro Monachorum fabulas intelligam. Atque hic omnem video accuſationem meam dirigendam eſſe contra *Adamum Bremenſem*, & contra Epiſcopum illum Danum, cuius ille teſtimonium allegat. Ab his enim tota iſta commentitia fabula eſt prolata, quæ Germanorum huc usque & noſtratium, *Huitfeldii*, *Pontani*, *Meurſii*, aliorumque, ſcripta occupavit. Nempe *Adamus, Unnonis*, ſeu (ut per omnes caſus ſcribit,) *Unni* ſui, hiſtoriam narraturus, hæc inſerit *Lib. I cap.* 47:

cap. 47: In diebus ſuis Ungri non ſolum noſtram Saxoniam, aliasque cis Rhenum provincias, verum etiam trans Rhenum Lotharingiam & Franciam, demoliti ſunt. Dani quoque, Slavos auxilio habentes, primo Tranſalbianos Saxones, deinde cis Albim, devaſtantes, magno Saxoniam terrore quaſſabant. Apud Danos eo tempore filius Hardewick Gworm regnavit, crudeliſſimus, inquam, vermis, & Chriſtianorum populis non mediocriter infeſtus. Ille, Chriſtianitatem, quæ in Dania fuit, prorſus delere molitus, ſacerdotes Dei a finibus ſuis depulit, plurimos quoque per tormenta necavit. At vero Heinricus Rex, iam tunc a puero timens Deum, & in eius miſericordiam totam ſuam habens fiduciam, Ungros quidem multis gravibusque prœliis triumphavit; item Bohemos & Sorabos, ab aliis Regibus domitos, & ceteros Slavorum populos, uno grandi prœlio ita percuſſit, ut reſidui, qui pauci remanſerant, & Regi tributum, & Deo Chriſtianitatem, ultro promitterent. Deinde cum exercitu ingreſſus Daniam, Gworm Regem primo impetu adeo perterruit, ut imperata ſe facere mandaret, & pacem ſupplex depoſceret. Sic Heinricus victor apud Sliaſwich, quæ nunc Heideby dicitur, regni terminos ponens, ibi & Marchionem ſtatuit, & Saxonum coloniam habitare præcepit. Hæc omnia, referente quodam Danorum Epiſcopo, prudenti viro, nos veraciter, ut accepimus, ſic fideliter Eccleſiæ tradimus. In iſta confuſanea narratione nihil de Bohemis, Sorabis, ceterisque Slavis, quos *uno* duntaxat *grandi prœlio* per-

cuſſos dicit; plures ita haud unius anni victorias commiſcens; nihil de *Chriſtianitate*, attingemus. Quam enim *Adamus* in temporum ratione ſit infidus, præterquam in annis Epiſcoporum ſuorum computandis, neminem latet. Tantum, quæ ad Daniam pertinent, quam ingreſſus cum exercitu *Henricus*, *Gormonem* perterruiſſe fingitur, luſtrabimus. Imaginatur ſibi Auctor, quod & feciſſe tecentiorum nonnullos monuimus, ſtatim a victoria de Slavis ſecutam impreſſionem in Daniam. Neque dubitare lectorem ſinit, quam, *Henrico* ipſo exercitum ſuum ducente, prælium illud cum Slavis ſit commiſſum, quo immenſa ſtrage cecidere; indeque cum victore exercitu Daniam Rex invaſerit. Verum quis ignorat, *Henricum* longe tunc abfuiſſe; remque omnem contra Slavos per legatos eius geſtam? Hos autem tunc in Daniam fuiſſe ingreſſos, quomodo *Witichindum* potuerat fugere, quippe qui, regreſſos continuo a victoria, honorificeque a Rege exceptos, omniaque inde conſecuta, primum contra Hungaros, atque ultimum contra Danos, fideli narratione exponit? Porro, in gratiam Bremenſis Canonici, vel Epiſcopi Dani, (prudentis forſitan, ſed ſimul patriæ ſuæ rerum imperiti, confringemus fidem & auctoritatem optimi *Witichindi*; quodque de Rege ie dicit baptizato, inter fabulas referemus; quandoquidem *Adamus*, & Epiſcopus eius, nequiverunt figmentis illud ſuis addere, alterutrum Daniæ Regum, ſive *Gormonem*, ſeu *Heraldum*, Chriſti-

Chriſtiano coetui fuiſſe inſertum? Et quid fiet *Ditmaro*, qui, Danos cum Rege ſuo Chriſti iugum portare edoctos, ſcribit? Scilicet, ut, verum dixiſſe, agnoſcamus, Epiſcopum Danum, Epiſcopus Merſeburgenſis reus agendus erit vanitatis? Attamen, inquies, multos habent ſecum Bremenſis, Epiſcopusque eius, ex veteri ævo rem eandem confirmantes. Tu vero vel unum mihi nomina, qui ex alio iſtam fonte, quam *Adamico*, in ſuum rivum deduxerit. Miror, Iurisconſultos vocari atque eſſe, qui, quando de teſtimoniis agitur in re hiſtorica, iſtud non perſpiciunt. Hoc enim ſi vocari poteſt rem teſtibus confirmatam reddere, iam centum paratus ſum & inſtructus medii illius ævi commentis, quorum nullum non videbis, non ſolum pari numero eiusdem auctoritatis teſtium, atque illud, de quo agimus, ſed maiori etiam, ſtabilitum; ſiquidem poſteriores Chronographi antiquos plerumque ſemper exſcripſere. Ita & illud *Adamicum* in plures, imo ſine exceptione omnes, quotquot *Gwrmi*, (*Wurmi*, *Wermii*, aut *Gormonis*,) nec non de *Marchionatu Sleſvicenſi*, ante *Adamum* incognito, meminere, derivatum, iisdem propemodum apud omnes verbis. Nihil enim mutavit Abbas Stadenſis, nihil *Helmoldus*, nihil *Herm. Kornerus*, nihil alii. *Annaliſta Saxo* ad *an.* 931: *Rex, Daniam ingreſſus, cum exercitu Wurm Regem perterruit ac vicit.* *Chronographus* vero *Saxo* ad *eundem annum*: *Heinricus Rex Regem Abodridarum & Regem Danorum efficit Chriſtianos.* *Ingreſſus*

greſſus namque Daniam cum exercitu, Regem nomine Wurm vicit. Prius ſcilicet ex *Coſma Pragenſi*, vel Continuatore *Reginonis*, poſterius ex *Adamo*, compilando ſumſit. Denique ex noſtratibus *Vita Olavi Trygguini* Auctor adiungendus. Mirum, quod non etiam *Saxo Grammaticus* acceſſerit; quippe qui alias Bremenſi illo Chronico obſervatur uſus. Nobis vero eſt perſuaſiſſimum, (quemadmodum & olim fuit *Thomæ Bartholino*,) nullam hic *Adamo* fidem adiungi poſſe, ſilentibus vetuſtioribus. Et cui tam novum erit, illum, quamvis commendabilem in quamplurimis, ſcriptorem, aliquoties tamen falſi convictum & damnatum, hoc loco vel ab Epiſcopo ſuo Dano deceptum, vel verba huius non meliore fide retuliſſe, quam qua nonnulla Regi *Suenoni*, præter veritatem; imo veri ſpeciem, dicta affinxit? Talia de *Adamo* ſcribi, præſertim ubi de *Dania* agitur, ægre ferent, ſcio, alii, quibus *accuratus in rebus Septentrionalibus ſcriptor*, (ſic *Conring. de Finib. Lib. I cap.* 14,) prædicatur. Cur vero in his accuratior habendus ſit, quam in Germanicis, homo in Dania peregrinus & hoſpes, vera ibi & falſa aliorum relatu edoctus, Germanus ortu & patria, Canonicus Bremenſis, natione, ut *Meibomius* credidit, Thuringus, aut Miſenus, ſententia vero *Ottonis Sperlingii*, cui potius accedemus, Weſtphalus, capere profecto non poſſum. Aut ergo deſinant illi explodere, & in ſcriptis ſuis refutare, quæ idem *accuratiſſimus Adamus Lib. II cap.* 4 tanta fiducia, tanto-

que

que conſentientium ſtipatus numero, de genere & ortu *Hermanni Billingi* conſignavit literis, nec non de *Ducibus Saxoniæ*, talia quidem, ut neque *Henricum Aucupem*, neque patrem eius maioresque, agnoſcere *Duces* fas fuerit, niſi *Adamicum* iniuria; aut nobis ius idem eandemque, qua ipſi utuntur, libertatem in fabulas nonnullas, quas ille, cetera laudandus Auctor de Danicis hinc inde intexuit, permittant exercere.

Dixi, haud alio, ſed eodem prorſus, loco & numero habendum, quod Hiſtoricus Bremenſis ſubiunxit, de *regni terminis* ab *Heinrico* victore *apud Sliaswich poſitis*, deque *Marchione* conſtituto, *Saxonumque colonia* ibidem habitare iuſſa. Neque omnino ſum neſcius, quantam rem ſuſcipiam, quando communem adeo ac inveteratum omniumque, etiam noſtratium, animis inolitum errorem, quippe quem cum lacte, ut ſic dicam, materno, ac inter prima hiſtoriæ patriæ elementa, imbiberunt, impugno. Sed vero, ut eluctetur tandem veritas, hæcque cum aliis, quas obſcuritas antiqui ævi & ignorantia invexit, præiudicata opinio, ſola unius Monachi auctoritate, nulla profecto ratione, prævalens, evellatur; atque ut eo relegetur, quo hodierni ſeculi, tanta literarum & monumentorum luce colluſtrati, claritas tot alios tenebrarum foetus redegit, nonne tempus eſt? Tueantur eam, ſi poſſint, literarii Germanicorum finium propagatores. Nos pro certo habemus compertoque, nullam, vel in Germania,

mania, vel alibi terrarum, literam aut monumentum reperiri, cuius ope illud faciant, præter *Adamicum* illud, quod diximus. *Adamicum* autem voco, quicquid ab eo acceperunt poſteriores, omnibus, quæ inſecuta ſunt, ſeculis, ad noſtrum usque. Primi, qui exſcripſerunt, *Helmoldus* & Chronographus Saxo, ipſis *Adami* verbis nihil immutatis, repetivere. *Helmoldus* præterea doctoris ſui relationem animo ſuo retinuit tam firmiter impreſſam, ut deinceps *cap. 12* Slesvicum cum adiacente omni provincia, a lacu Slya ad Egdoram fluvium, Romano Imperio adiecerit, præter omnem veritatem. Sic enim loquitur: *Huic urbi* (Aldenburgo Wagriæ) *præcellentiſſimus Cæſar Pontificem dederat venerabilem virum Marconem, ſubdens ei omnem Obotritorum provinciam, usque ad Penem fluvium, & urbem Dimine: præterea civitatem opinatiſſimam Sleswich, quæ alio nomine Heidibo dicitur, eiusdem curæ delegavit. Eo enim tempore Sleswich, cum provincia adiacente, quæ ſcilicet a lacu Slya ad Egdoram fluvium protenditur, Romano imperio ſubiacebat, habens terram ſpatioſam & frugibus fertilem, ſed maxime deſertam, eo quod inter Oceanum & Balticum mare ſita crebris inſidiarum iacturis atteretur.* Purum hoc commentum, *Slesvicum, cum provincia adiacente, Romano imperio ſubiacuiſſe*, ex eo ſcilicet ortum, quod Cæſar Epiſcopo in vicinia conſtituto commendaverit curam novi coetus Chriſtiani, atque Evangelii in provincia illa promovendi, ubi iam tum pietate

tate Regis *Frodii*, de quo ſupra Islandorum teſtimonium attulimus, nec non Bremenſis Præſulis opera, aliquid eius rei inchoatum fuerat. Evangelii vero & religionis curam ſi quidquam conferre ſtatuendum eſt ad civitates & regna Imperio Romano ſubiicienda; iam non provincia tantum Slesvicenſis, ſed & Suecia, Islandia, Groenlandia, & quicquid gentium ac terrarum in celebri illo *Ludovici Pii* Diplomate nominatur, ad Imperium illud pertinebunt. Hæc igitur fuit Presbyteri *Helmoldi* ignorantia, hæc origo erroris, in quem illapſus eſt; primum ex eo, quod comprehendere nequiverat, quomodo Cæſar *Otto* Slesvicenſem provinciam *Venerabilis Viri Marconis curæ delegaſſet*, niſi ea civitas cum provincia ſua fuiſſet in Cæſaris poteſtate. At hoc modo eademque ratione nos dicemus, quicquid in India, totoque Oriente, terrarum hodie Miniſtris Evangelii, quos Europæi Reges eo mittunt, commendatur, ſalutari verbi divini luce illuſtrandum, eisdem noſtris Regibus ſubiacere. Altera *Helmoldo* errandi fuit cauſa *Adamus*, eum Epiſcopi ſui Dani commento, ut nimirum crederet bonus Presbyter, iam ad Slesvicum fuiſſe Imperii terminos promotos, poſtquam ibi Rex *Henricus* Marchionem ſtatuerat, & Saxonum coloniam fundaverat. Noverat alias æque ac *Adamus* ipſe, verum Danorum limitem, quo a Germania diſtingueretur, eſſe Eidoram, ſicut *Lib. II cap. 14* agnoſcit; nec ulterius Imperium Germanicum protendi. *Adami* vero lo-

ca,

ca, quæ hoc atteſtantur, plura ſunt, quam ut ea opus ſit adducere. Sed nunc commento erat ſerviendum. Quanto vero plenius, an confidentius, illi ſervivit, illudque exornavit *Cypræus*, non tantum Sleſvicum in poteſtatem *Henrici* redactum dicens, ſed etiam hos novos ſcilicet & commodiores (ſic enim appellat) Romani Imperii limites, quos *Helmoldum* bene notaſſe affirmat, *communitos caſtello, cujus adhuc veſtigia tam aperta & evidentia non longe ab æde Heidebuienſi ſuperſunt, ut ea de re dubitare nemo poſſit, vulgusque illud Oldenburgum appellare.* Miror, quod non appellent *Henricoburgum*, ſiquidem adeo indubitate conditorem habuerit *Henricum Aucupem. Oldenburgi* vocabulum nihil probat, bene multis per Germaniam oppidis arcibusque commune, *Meurſius* noſter, *Suaningii* ſenioris aſſecla, novum aliquod nos docet, nimirum *Henricum* in vicino Sleſvicenſi urbi loco *novam civitatem* ſtruxiſſe, quam *Coloniam* appellarit, *ipſo nomine poſteris teſtatum cupiens, quod huc usque Imperii fines extendiſſet.* Addit deinde eadem, quæ *Cypræus* tradidit, in cerebris doctorum, poſtquam *Adami* & *Krantzii* hiſtoriæ Bremenſiumque Chronica in lucem exierant, nata, indeque in vulgus propagata: videlicet *arcem Henricum poſuiſſe munitiſſimam in propinquo illic colle, qui a Slia circumluitur, & veſtigia etiamnum, muros veteris ruinæ, oſtendi.* Ita ſcilicet increſcit, viresque eundo acquirit, fabula. *Adamus* nihil de *Coloniæ* appellatione noverat, uti nec de

de *Oldenburgi*; *Helmoldus* pariter ignoravit. Neuter etiam de Caſtello ad Sliam erecto meminit. Arcem vel caſtellum olim ad iſtum fluvium ſtetiſſe, cuius ruinæ ad ultima ſecula ſuperfuerint, non negabimus. Sed, *Henricum*, aut Germaniæ aliquem Regem, eius conditorem fuiſſe, unde probas? Fuit ſane, quemadmodum & Tyreburgum (ut ex *Danckwerthi* tabulis & deſcriptione conſpicuum,) intra vallum Danicum, *Danewircke* dictum, pariter atque urbs Slesvicenſis, tam ante, quam poſt, *Henrici Aucupis* ætatem. De urbe loquor. Num enim Oldenburgum tantæ ſit antiquitatis, nullus definiet, niſi certioribus argumentis ſit inſtructus. Procul hinc coniecturæ; procul conſtantes illæ ſic dictæ vulgi & ſucordorum traditiones, quibus utique nihil infidum magis. Nos totum iſtud, de *Slesvico* capto, de *Colonia* exſtructa, de *Marchione Slesvicenſi* ab *Henrico Aucupe* impoſito, pro inani habemus commento; de quo nemo ne ſomniavit quidem, ante *Adamum Bremenſem* & Epiſcopum eius Danum, nedum aliquid in literas retulit. Neque ullo modo veremur turbam adſtipulantium. Teſtes enim appellari non poſſunt, qui *Adami*, unici duntaxat teſtis, exſcribunt verba; eiusque ſolius fabulam nequaquam ſuo numero efficere poſſunt meliorem, etiamſi ſimilium aliorum myriada ſibi adiungant. *Oernbielmio* autem, qui in *Hiſtor. Eccleſ. Suec. Lib. II cap. 3 Saxonem Grammaticum* ceterosque hiſtoricos Daniæ, exceptis *Meurſio* & *Pontano*, malignitatis accuſat,

fat, quod *Adami* narrata, de fracta *Gormonis* ferocia, & Marchionatu Sleſvicenſi, diſſimulant, hoc reponimus, mirari potius oportere Hiſtoricorum Germaniæ, qui olim *Henrici I* geſta enarrarunt, ſive malignam diſſimulationem, ſive ignorantiam ſtupendam & incredibilem, qui, multo leviora conſectari, rem tanta cum gloria coniunctam, ac fuiſſet pars Daniæ occupata, & erectus in ea Marchionatus, omiſerunt. Quam profecto æternum neſciviſſent Germani, Sueci, atque omnes, niſi Epiſcopus ille Danus eam, myſterii alicuius inſtar, in aurem Bremenſis Canonici inſuſurraſſet. *Ditmarus*, qui tam accurate & diligenter de urbe ad rivum Misni iuxta Albim ab *Henrico* ædificata, præſidiisque & impoſitionibus ceteris munita, eſt locutus, is novæ ad Slyam urbis, & Coloniæ Saxonum ibi conſtitutæ, fuiſſet oblitus? Non credo. Credant vero ii, qui, *Hermannum Billingum* fuiſſe pauperibus ortum natalibus, nullumque poſt tempora *Caroli* ante ipſum Saxoniam habuiſſe Ducem, poſſunt credere. Lubet his attexere verba ὁμοψήφου & amici quondam mei, *Thomæ Bartholini, Th. F. Th.* Nep. in laudata ſuperius *Diſſert. de Danici regni nomine* §. IV: *De Marchionatu Sleſvicenſi ab Henrico conſtituto obſtinatum ſilentium eſt ſcriptorum eius ætatis, qui tamen Henrici geſta fuſe & accurate perſecuti ſunt. Neque cauſa eſt ulla, ut tam inſigne facinus, unde tantus Henrico decor, omiſiſſent: quod neſcire non poterant, ſi unquam fuiſſet editum, negligere non debuerunt, qui mul-*

te minutiora eius facta prolixis laudibus celebrarunt. An itaque hæc Bremenſis Monachi fabula vetuſtiſſimorum Auctorum ſilentio præponderare debeat, cordati lectoris eſto iudicium. Sed non poſſumus ſatis mirari, Virum alias doctiſſimum, Hermannum Conringium, de Finibus Imp. Germ. Lib. I cap. 14 *Adamo potius, quam antiquioribus, quam Ditmaro, fidem habendam eſſe clamitantem; qui alias extra præconceptas opiniones conſtitutus, tam abſurdæ concluſioni acerrime ſe opponeret . . . . . Illud minime ferendum; Scribit Conringius, eandem rem, quam Adamus commentus eſt, narrare, licet aliter, Witichindum. At, ſi Witichindum inſpicere voluiſſet, deprehendiſſet, eum loqui non niſi de* Danis, Friſiam incurſantibus. *Et, ut a nodo ſe abſolvat, in nomine Regis Nubæ occurrente, quomodo Daniæ Monarcham tunc neminem vocatum probe novit,* mendum eſſe, *ipſi dixiſſe ſufficit.* Hæc b. m. *Bartholinus.*

Verum, ne nimis iniurii in *Adamum Bremenſem* videamur, quem ſane & unumquemque ſcriptorem potius defendere & excuſare, quam carpere & caſtigare, quatenus id veritas permittat, ſemper parati erimus, conabimur inveſtigare cauſam, quæ bonum virum & Epiſcopum eius in errorem iſtum induxerit. Et hæc nulla utique videtur fuiſſe alia, quam quæ in omnibus fere medii ævi *Chronicis*, iis præſertim, quæ de rebus a ſcribentium ætate remotioribus concinnata, toto die & innumerabilibus occurrit locis, confuſio temporum, ho-

minum, & locorum. Noverat *Adamus*, limitem inter regna Daniæ & Germaniæ fuiſſe quondam conſtitutum, ipſe de eo locutus *Lib. I cap. 13.* Audiverat quoque de *Marchione* olim ordinato ad tuendos limites contra Danorum irruptionem, coloniaque eodem in loco Saxonica. Hæc cum *Adami* tempore nulla & nusquam inveniebantur, quæſiverit, opinor, ab Epiſcopo Dano, æque, ac ipſe fuit, hiſtoriarum noſtrarum, ut haud raro contingit, ignorante, &, quæ ab illo accepit, in adverſaria ſua retulerit. Tanti nimirum refert, in quos homines inter peregrinandum incidamus, cognoſcendi de antiquis gentis alicuius rebus cupidi. Dicam breviter: Indubium eſt certumque, exſtitiſſe aliquando limitaneum custodem ſeu præfectum in loco, qui Germaniam a Iutia ſeparabat. Hic autem non Sleſvici, ſeu Heidebuæ, aut ad Sliam fluvium, ſed ad Egidoram (alii Eidoram) fluvium, ulterius & aliquot in auſtrum milliaribus a Slia & Sleſvico diſſitum, limites tuebatur. Hunc terminum poſitum tunc fuiſſe, cum *Carolus M.* & *Hemmingus*, Daniæ Rex, inter ſe paciſcerentur, *Annales Francorum* docent ad *an.* 811; ipſeque *Adamus loc. ult. cit.* Impoſitum vero ſtatim fuiſſe Comitem, ſeu cuſtodem, etiamſi iidem *Annales* non dicerent, quod tamen faciunt, neutiquam tamen dubium eis haberetur, qui aliquid de Germaniæ veteris ſtatu perceperunt. *Marca* etiam appellabatur, uſitatiſſimo iam dudum in plurimis Imperii partibus vocabulo, is tractus

Holſatiæ,

Holſatiæ, qui ripæ Egdoræ in Germaniæ parte adiacebat: adeoque parum ambigi poteſt, quin, qui *Marcæ* præerat, limiti cuſtodiendo præfectus, dictus fuerit *limitaneus Comes*, ſeu *Cuſtos Limitis*, imo *Marchio*; cum & paucis admodum poſt annis, certe an. 815, habeamus in quodam *Ludovici Pii* Diplomate mentionem *Marchionum* factam. (Vid. ſummi Viri, *Muratorii, Antiquit. Ital. med. ævi Tom. I Diſſ. VI col. 267.*) *Annales* vulgo dicti *Eginhardi* ad *an. 828*: *Filii Godofridi, contractis ſubito copiis, ad Marcam veniunt, & noſtros, in ripa Egidoræ fluminis ſedentes, ac nihil tale opinantes, tranſito flumine adorti, caſtris exuunt.* Sic & ad *an. 818 Gluomi Normannici limitis cuſtos* nominatur, idem ſcilicet, qui in *Annal. Bertin.* ad *an. 817* ſcribitur *Eggluomi*. Et ad *annum 852* mentio fit *cuſtodum Danici limitis*. Nam &, quin duo vel plures nonnunquam fuerint in una eademque Marca, cum ad Egdoram, tum ad Albim, præfecti conſtituti, non ambiguum. Sed ad *an. 818* iidem *Annales*: *Imperator Comitibus, qui iuxta Albim in præſidio reſidere ſolebant, ut terminos ſibi commiſſos tuerentur, per legatos mandavit:* Neque alius fuit *Marchio*, quam *Eidoranus* ille, (non vero Sleſvicenſis,) quem poſtea *Ottonis M.* tempore, una cum Legatis Imperatoris, Dani in ſua *Marca* inter Sleſvicum & Egidoram interfecerunt, hisque & aliis contra ius gentium pactaque perpetratis, bellum ſibi ab *Ottone* attraxere; quemadmodum alibi a nobis oſtenſum. Verum huic *Marcæ* cum

Marchione ſuo præſidiiſque Germanicis, quantum probabiliter poſſum colligere, videtur finem impoſuiſſe *Haroldus Gormonides*, tunc, cum ab eo in fugam coniectus, in Germaniam repelleretur *Otto II* Cæſar, haud paribus atque pater ipſius, in expeditione Danica ſucceſſibus uſus. Hæc autem diſcutere, *Saxonis*que *Grammatici* & aliorum confuſas narrationes emendare, non eſt hujus loci. Interim ponamus, non prius abolitam fuiſſe *Marcam* illam *Eidoranam*, quam ex pactione inter *Conradum II* Cæſarem & *Canutum M.*, Daniæ Angliæque Monarcham, (cujus ſcilicet pactionis argumentum *Adamus Bremenſis* facit Marchionatum Sleſvicenſem, nos vero, an ullum unquam pactum ſive de hoc, ſive de altero, inter eos ſit initum, dubitamus,) quid inde? Potuitne Marcæ, ſeu Marchionatus, ſitus, veraque eius hiſtoria, in oblivionem venire, per intervallum quadraginta & amplius annorum, qui a pacto ad *Adami* ſcriptionem effluxere? Equidem mirari poſſemus, niſi docuiſſent nos exempla, brevius nonnunquam ſufficere tempus ad memorias rerum corrumpendas, neque minus inſignibus, quam quarum nunc meminimus, falſitatibus adſpergendas.

Expoſito illo tempore, quo vere *Marcam* & *Marchionatum* Cæſares Romani, non quidem in Dania, eiusve territorio Sleſvicenſi, ſed in ſolo Germanico, Daniæ adverſo, tenuerunt, reſtat, ut in tempus inquiramus, quo contra Danos expeditionem movit *Henricus Auceps*,

eosque

eosque debellatos, reddidit ſibi tributarios. De loco enim, ubi res geſta, nihil admodum ſupereſt diſputandum, poſtquam in ſuperioribus oſtendimus, nullam rationem eſſe, cur de Dania aut Iutia cogitetur, cum ſcriptores antiquiſſimi iſtuc nos haud deducant, iſta vero opinio ſolius *Adami*, turbæque, eum ſequentis, fallaci incumbat relationi; at contra aſſentiendum eſſe ſcriptoribus Belgicis, qui, *Nubam* cum Danis ſuis, docuerint, in Zelandicis inſulis habitaſſe, atque, cum in Friſiam ſe infudiſſet, ab *Henrico* repreſſum, victum, ſubiugatum, ſive ad pacem petendam, atque tributi leges & baptiſmum, fuiſſe adactum. Annum, quo ea acciderunt, haud quidem definivere *Witichindus*, *Ditmarus*, aut e vetuſtis illis quiſquam. Primus, quantum ſcio, *Gemblacenſis* quintum ac triceſimum Seculi decimi nominat. Eundem agnoſcit *Albericus*. Hos ſecutus *Chronici Belgici* Auctor, expeditionem *Henrici* contra Danos diſerte ſcripſit ſuſceptam anno eius ſexto ac decimo. Mihi recte ita videtur ſtatui, & *Gemblacenſem*, modo is primus fuit, ita calculos poſuiſſe, ut erroris haud facile poſſit argui. In uno tamen anno non difficiles erimus, ſi quis malit ad annum præcedentem 934 retrahere; quemadmodum feciſſe video in Chronologia ſua *Henricum Buntingium*. *Witichindus* certe, qui etiam in ceteris videtur temporum ſecutus ordinem, in quo nihil habuerunt recentiores, quod culparent, aut, præpoſtere collocatum eſſe, nobis demonſtrarent, ultimo

loco inter omnia *Henrici* bella Danicum iſtud poſuit. Etenim notiſſima hæc eius Auctoris verba: *cum autem omnes in circuitu nationes ſubiecisset*, non tantum poſtremæ de Ungaris victoriæ, verum etiam reverſioni *Henrici* in Saxoniam, profectioni in Galliam, atque rerum, tum quas præclare domi inſtituit, tum quibus per otium vacavit, narrationi ſubiecta, quid aliud indicare poſſunt, quam fuiſſe poſtremam nationum, quas laudatiſſimus Rex vicerit, hanc Danicam? Illud vero, *in circuitu*, quo deceptus fortaſſe *Gundlingius*, quomodo *coniunctionem cum tropæis contra Redarios* indicare queat, nullus profecto comprehendo. Et quid foret tunc alterum, mox ſequens: *Perdomitis itaque cunctis circumquaque gentibus, poſtremo Romam* proficiſci ſtatuit? An ergo & hoc cum Redariis coniungendum, ut Ungaricam ita cladem præceſſerit? *Omnes in circuitu nationes*, cur ad Ungaros excludendos magis, *quam cuncta circumquaque gentes*, faciet? Dices, præmittendam eſſe Danicam expeditionem itineri *Henrici* in Galliam, quia *Hermannus Contractus* & *Reginonis Continuator* ita iubent. Ego vero, ſic iſtos iubere, iam ſupra inficiatus ſum, & adhuc pernego. *Abotritarum* & *Nortmannorum Reges effectos Chriſtianos*, dixerunt illi, ante iter Gallicum; quod & fortaſſis (niſi Augienſes Monachi errarint,) factum; de *Nuba* vero, ſive illo *Henrici* cum Danis bello, cuius meminere *Witichindus*, *Liutbrandus*, *Ditmarus*, intelligi nequit. Igitur ad tempus reſpicien-

ſpiciendum, quo *Henricus*, uno alterove, antequam e vita excederet, anno, in occidentali Rheni parte, ſeu in Lotharingiæ regno Belgioque, fuit. Nihil hic in tempore turbavit *Schatenus*; multum vero in rebus ac nominibus, quando ſcilicet ex *Adamo Bremenſi*, *Helmoldo*, *Stadenſi Abbate*, & *Krantzio*, nugas illas de *Wormio* & *Gurmio* nobis repetit, miraque temeritate amplificat. Vicerat autem *Henricus*, ut arbitror, iam tum Danos, & e Friſia profligaverat, quando ulterius progreſſus, Diusburgum acceſſit, ubi Diplomata illa edidit, annum 935, menſes vero Maium & Iunium, præferentia, & apud *Lindenbrogium*, *Meibomium*, *Maderum*, *Scatenum*, alios, obvia.

De *Nuba* porro, ſive *Chnuba*, nihil amplius dicendum habeo, quam quod in præcedentibus attuli. Erat quidem, cum mihi haud diſpliceret coniectura mea, ipſum ex poſteris fuiſſe, aut nepotem fortaſſis illius *Gnupa*, quem a *Gormone* regia poteſtate exutum atque interfectum, *Vita Ol. Trigguini* perhibet. Quid enim probabilius, inquiebam, quam progeniem eiusdem cum multitudine civium ſibi addictorum, ut victoris arbitrio ſe ſubtraherent, novas in exteris ſedes quæſiviſſe, haud multum diſſitas a Freſonibus, quos deinceps, ſub regno *Henrici I*, incurſarent. Verum coniectura hæc tantum, nihil amplius. Et argumenta, a nominum convenientia ducta, nimium quantum imbecillia. At in altera expoſitione, ad quam, non diſſimulo, facem prætu-

liſſe laudatum olim a *Thoma Bartholino Iac Eyndium*, plura oppido conveniunt. Quamvis enim hic ſcriptor ſuis nævis non careat, potioraque eius in hac re obſervata *Iano Douſæ* aliisque debeantur; anſam tamen dedit, inquirendi paulo attentius in ſedes Danorum, quas in Belgio veterique Friſia ſubinde diuturniores, quam indicare Chronographi videntur, habuere.

Valeant ergo infelices & indigni doctis viris conatus in corrigendis & ſupplendis ex Bremenſi Monacho optimis & vetuſtioribus Hiſtoricis, *Witichindo* præſertim, cuius neque textus, ſicut habetur, neque narrationis ordo, præclare illi obſervatus, permittunt, vel de ſubiugata Daniæ noſtræ parte, vel de Marchionatu Sleſvicenſi, cogitare. Hunc ſane non niſi in *Adami*, & Epiſcopi eius Danici, imaginatione erectum, ac poſtea ab *Herm. Kornero*, *Alb. Krantzio*, *Geo. Fabricio*, *Petro Albino*, *Cyriaco Spangenbergio*, *Cypræo*, ſimilibusque, nihil non addere & mutare auſis, exornatum, unde a recentibus magno applauſu exceptus eſt, ſi in poſterum Germani ex albo Marchionatuum ſuorum eradant, facient, meo iudicio, rectiſſime. Sleſvicum in poteſtate fuiſſe *Henrici I*, quis unquam noverat, vel atteſtatus fuit ante *Adamum?* Ex hoc enim *Helmoldus* & *Chronographus Saxo*, & omne iſtud agmen exſcriptorum, didicere. Tranſalbianos Saxones urbem illam habitaſſe, atque tam intra, quam extra, hexamilum, ſeu Danevirkum, ſeſe diffu-

diſſe

diſſe, nunquam inficiabimur. Freſonum ita colonias in media habitaſſe Iuthlandia, *Helmoldus* atteſtatur. *Lib. I cap. 70 pag. 164.* Sed quemadmodum hi in boreali Iutia, ſic etiam Tranſalbiani Saxones in auſtrali, circa & ultra Sleſvicum, ſub Danorum Regis imperio & poteſtate erant. Nonne enim *Haraldus* Rex, *Gormonis* illius, de quo agitur, filius, utrisque populis, Tranſalbianis Saxonibus & Freſonibus, leges & iura conſtituit; eisdem *Adamo* & *Helmoldo* affirmantibus? Quod qua auctoritate feciſſet, ſi Cæſari & Imperio, non vero Daniæ Regi, vixiſſent ſubiecti? Cur etiam ab hoſte ſuo illi potius, quam a domino ſuo, ſi Imperator aut eius Marchio fuiſſet, leges acciperent? Igitur, quodcunque contra ea ex ingenio finges aut excogitabis, vitilitigatorem ages. Interim & hoc largiemur, vetuſtiſſimis ſeculis, ante *Gormonem*, arma Saxonum ſæpe illata in auſtralem Iutiam, ſæpeque hanc ab illis vaſtatam, imo ad longiuſculum tempus Saxonibus ſubiectam fuiſſe, ita ut pars urbis Sleſvicenſis per hoc a Saxonibus & condi, & habitari, potuerit. Sed hæc omnia diu ante, quam *Gormo* & *Henricus Auceps* exiſterent. Equidem, hunc potentiſſimum, ſatisque alias magnum, Principem eo usque cum exercitu ſuo perveniſſe, *Gormonem* perterruiſſe, Hedebuam coloniam Saxonum deduxiſſe, Marchionem impoſuiſſe, pura ſunt commenta, & ab iis, qui, nusquam Danos, aut Danorum quendam Regem, niſi in Daniæ regno, vel ſeptis, conveniri potuiſſe, ſunt opinati, male conſarcinata.

Ruit igitur & altera *Adami* fictio, de *civitate Sliaſwig cum Marchia, quæ trans Eyderam erat, in fœdus amicitiæ* donata *Canuto M.* a *Conrado* Imperatore Salico (*Lib. II cap. 39*). Donaverit *Canuto* Cæſar, (ſi quod unquam inter eos eiusmodi pactum exſtitit,) Marchiam illam veterem, iam a *Caroli M.* ævo conſtitutam; aut potius omnia illinc præſidia Germanica abſtulerit: ſcilicet ut deinceps totus ille tractus ab utraque Egdoræ parte imperium Danicum agnoſceret. *Adamus Bremenſis*, veterum ante ſuam ætatem rerum, niſi quæ ad Eccleſiam pertinerent, mediocriter gnarus, de *Marca Danorum*, & cuſtodia Imperii ei oppoſita, multis ante *Henricum I* ætatibus, apud Eidoram & Sliam, nihil accurate didicerat. Hinc etiam in narratione expeditionis *Ottonis I*, Cæſaris, (quam habet *Lib. II cap. 2*,) in qua ut nonnulla ineſſe vera, ita & quædam falſa, alia hyperbolice dicta, alibi demonſtravimus, Legatos Imperatoris refert cum Marchione trucidatos ab *eisdem Danis*, *quos ante pater Ottonis bello compreſſit*. At vero iſte Marchio, quem Dani, tunc a *Wichmanno Stubbesgebornio* in ſocietatem contra Cæſarem & *Hermannum Billingum* pertracti, trucidarunt, non erat Sleſvicenſis, ſed Egidoranus; qui cum Legatis *Ottonis*, eo miſſis, ut *Haraldum* Regem a *Wichmanni* ſocietate averterent, cum ad civitatem uſque Sleſvicenſem eſſent progreſſi, ibi occiduntur; atque hæc cædes iuſtam *Ottoni* dedit belli *Haraldo* inferendi cauſam. Sed hæc alibi opportunius.

Credi-

Credibile autem, a temporibus trium *Otthonum*, (quorum ſingulos contra Daniam belligeraſſe, Scriptores volunt,) ſequenti Seculo per ſummam *Suenonis* & *Canuti M.*, Angliæ domitorum, potentiam, cuncta ſatis pacata fuiſſe in confiniis illis Daniæ & Germaniæ. Quid ergo fuerit, quod *Conradus II* Cæſar Regi *Canuto M.* per pactionem illam transſcripſerit, aliud, quam quod indicavimus, haud licet definire, tacentibus cum Danorum, tum Germanorum, memoriis. *Saxo Grammaticus* nihil plane affert. Tacet itidem *Huitfeldius*. *Pontanus*, de *Adami* & ſequacium auctoritate quaſi dubius, *Sunt*, inquit, *qui tradunt, Imperatorem reſignaſſe tum ſimul Regi Canuto ius, quod haberet in terris Holſatiæ & Daniæ conterminis*. *Meurſius*, longe audacior, utpote libris uſus *Io. Suaningii*, quævis ſine diſcrimine certa atque incerta, vera atque noviter excogitata, hiſtoriis noſtris infercire ſoliti, (quemadmodum & alibi mos erat nonnullorum illius Seculi, hoc eſt XVI, ſcriptorum,) ita habet: *Cunradus Cæſar, filiam Gunildam petit filio Henrico coniugem, & Holſatiam, ante ab Henrico Aucupe iniuſte ereptam, in maioris amicitiæ vinculum reddit; inſuper caſſatum facit, nullum ſibi neque ius in eam eſſe, neque ante ſe Cæſaribus ullum itidem fuiſſe, nec futurum ſequturis.* Diceres, huius aſſertionis auctorem Diploma in manibus & ante oculos habuiſſe, cum in librum ſuum hanc conjiceret. Ego vero, num tale unquam Diploma, talis ceſſio pactiove, exſtiterit, valde dubito.

bito. Ac, donec melioris fidei Auctorum, quam *Adami* & Epiſcopi eius Dani, *Suaningii* atque *Meurſii*, teſtimoniis edoctus fuero, vix deſinam dubitare.

Interea, dum certiora eruantur, opinabor, eosdem, qui Marchionatum Sleſvicenſem confinxerunt, alterum illud pariter de abolitione eius per *Conradum Salicum*, in gratiam *Canuti M.* excogitaſſe; quandoquidem commenta commentis ſunt pertegenda, (ut de benefactis ait Comicus,) ne perpluant; neque poſſunt, ſi modo æqui eſſe velint, viri docti indigne ſententiam noſtram ferre, quando nihilo plus nobis permiſſum cupimus in *Adamum Bremenſem*, quam illi iam antea ſibi ſumſerunt, non ſolum in hunc ipſum, ſed etiam tot alios, ei haud multum poſtponendos. Dicant nobis, cur intrudere cogemur in hiſtorias *Sleſvicenſem* aliquem Marchionem, quando non etiam licebit *Stadenſem*, maiori veriſimilitudine Danis, Albim transgreſſuris, oppoſitum? Novi, quid contra obiiciatur: nimirum circa annum 1013 *Sigfridum II*, Marchionem Brandenburgicum, Stadam recipere ſe coactum, primum fuiſſe auctorem Marchionum, ab hoc loco appellatorum; adeoque Marchiones Stadenſes haud alia ratione dici, quam Duces Wormatienſes, Lovanienſesque. Sed neque neſcius ſum, aliam iam olim lectores ſuos rationem docuiſſe Monachum Weingarthenſem, (apud *Caniſium Tom. III P. II p. 581*, & *Leibnitium Tom. I pag. 783*.) in *Hiſtoria de Guelfis*, ubi hæc leguntur:

gantur: *Cono quatuor filios progenuit, Eggebertum, Leapaldum, Luittoldum, Counonem. Quorum primus, Eggebertus ſcilicet, Marcham illam, quæ eſt in finibus Saxoniæ verſus Danos, Stadin nominatam, obtinuit, & filios ac filias, per diverſas regiones diſſeminatas, progenuit.* Non ſane pugnabo pro auctoritate, uti nec pro Chronologia huius Monachi. Reiiciant eum, quantum velint, Hiſtorici & Iuris publici ſcriptores. Sed & ſinant, eodem nos loco habere traditiones, haud minus ſubleſtas, Monachi Bremenſis.

Ceterum, ne exemplo plurium, qui noſtris temporibus accuratam hiſtoriæ dederunt operam, nimis numerum minuere Marchionatuum, quorum conditor *Henricus Auceps* fertur, arguamur, aſſentiemur perlubenter eis, qui erectum ab illo, aut ſaltem renovatum, ſtatuere velint, *Marchionatum Antverpienſem.* Fuit quidem iam olim perſuaſum *Io. Goropio Becano Orig. Antverp. pag. 157 ſeq.*, aliquot iſtam Marchiam ſeculis antiquiorem eſſe, atque occaſione invaſionis factæ per *Chochilaicum*, Danorum Regem, circa annum 511 cœpiſſe. Eandem & *Lazio* & *Lipſio* ſententiam adſcribit *Carolus Scribanius Orig. Antv. cap. 6 pag. 67*, ipſe, ut de re obſcura, ſubdubitans. Noſtro ſeculo Vir doctus magnæque diligentiæ, *Pfeffingerus, ad Vitriar. Vol. II pag. 660* credidit, & forſan cum eo alii, tutius referri ad ea tempora, quibus de Lotharingiæ terminis *Henricum Aucupem* inter & Galliæ Regem diſceptatum, & controverſia illa

illa anno 913 tranſactione Bonnenſi eſt ſopita. Itaque ex hac opinione non tam ad Danorum, quam Gallorum, inſultus avertendos fuerint. Verum, atteſtante *Io. Bapt. Gramaye Antiq. Antv. cap. 5. pag. 17 ed. prim.*, nominata fuit iſta Præfectura, vel Cuſtodia, *Marca*, ſeu *Limes Danicus*, etiamſi *Lazius de Migrat. gent. Lib. III pag. 116 Limitem* vocat *Anglicum*: *Lazii* autem rationem ſibi incognitam eſſe fatetur *Goropius Francicor. Lib. III pag. 81.* Nos, omiſſis ceteris, & infirma nimium obſoletaque hypotheſi, de *Utilone*, Marchione, *Lazio Goropio*que remiſſa, *Gramayanum* iſtud retinebimus, Marcamque *Antverpianam* credemus Danis potius, quam alii cuicunque genti, oppoſitam. Favet quoque præclaræ Vir eruditionis, *Schurzfleiſchius*, (etſi de *Henrico Aucupe* nihil cogitans,) in *Diſſert. de veteri regno Burgundionum pag. 67* his verbis: *At, ſi maxime hinc* (a *Chochilaichi* tempore) *Marchionatus Antverpienſis primordia ducenda non eſſent, vix tamen dubitare licet, quin ſequiores Normannorum deprædationes inſtituendæ illic limitum præfecturæ occaſionem dederint.* Ceterum *Marcæ* & *Marchionatus* nomen in *Antverpia* neſcio num in antiquis & probæ fidei monumentis oſtendere liceat ante Seculum XI, & quidem annum 1076. Tunc enim, occaſione *Godefridi*, qui *Gozelonis*, Lotharingiæ Ducis, conſobrinus fuit, occurrit apud *Lambertum Schaffnaburgenſem*. Nam in Diplomate S. *Henrici* Imperatoris, Treveris anno 1008 dato, nuncupatur ſolum *Comitatus Gozilonis Comitis*,

qui

Antwerf dicitur. Legitur hoc apud *Miræum Operum Diplomat. Tom. I pag. 53;* unde *Lunigius* deſcripſit, & habuerunt iam olim *Goropius* & *Gramaye.* Ex *Gozilonis* poſteris fuit quoque *Godefridus Barbatus*, Princeps celebris, cui *Henricus IV* Imp. anno 1106 Ducatum Lotharingiæ contulit, nec non *Marchionatum ad Scaldim*, ſive *Antverpienſem*, (hæc enim ſynonyma,) quod pariter apud *Miræum* deprehendes. Sed quo provehor? Volui tantummodo dicere, *Marcam* ſeu *Comitatum Antverpiæ*, in eo loco, qui *Danicus Limes* & *Præfectura ad Scaldim* dictus, cum nullum eius oſtendi poſſit veſtigium Seculo X antiquius, metaque ſit, & quidem debilis, coniectura, illum contra Gallos tantummodo erectum eſſe, tamen probabiliter ad opera pertinere *Henrici Aucupis*, qui eum, devicto *Chnuba*, fundaverit, ad ulteriores Danorum incurſus refrænandos: aut, ſi aliqua iſtic antea cuſtodia fuerit, denique renovarit, Comite, ſeu Marchione, impoſito. Iſtane vero res fuerit, cuius obſcura quædam fama ad *Adamum Bremenſem*, vel Epiſcopum eius Danum, pervenerat? videlicet *Henricum* in finibus Danorum illorum, quos debellarat, & ad fidem Chriſtianam coegerat, Marchionatum inſtituiſſe? Quod illi noſtri, undecunque perceptum, aliter interpretari nequivere, quam ut ſedem iſtius belli in Iutia, Marchionatum apud Sleſvicum, collocarent, ex *Chnuba* Rege *Gormum* fingerent, *Chnubæ* denique baptiſmum in *Haraldi*, filii *Gormonis*, ſimplicem erga Chri-

ſtianos

ſtianos favorem (quem favorem tamen nequaquam *Henrici I* arma, ſed Epiſcopi *Unnonis* mollia verba, ipſo *Adamo* teſte, expreſſere,) converterent.

Miraris, ex uno errato tot alia fluxiſſe, totque accuſationes deduci? Parcius haud dubie miraberis, ubi, plura ſimilia, cognoveris, & *Adamum*, & ſectatorem eius *Helmoldum*, admiſiſſe, haud volentes profecto, ſed conjecturis deceptos ſuis, pro mediocri ſcilicet, qua fuerunt præditi, vetuſtiorum rerum ſcientia. Sunt in eis loca, quæ oſtendunt, haud magis habuiſſe certum perſuaſumque, *Henricum Aucupem* ad Daniæ usque fines penetraſſe, & *Gormum* viciſſe, quam habeant, Danos prope eosdem ipſos fines, quadraginta circiter ante annis, ab *Arnulpho* cæſos. Ita enim de hoc Imperatore *Helmoldus Lib. I cap. 7: Qui* (Arnulphus), *congregato exercitu, fines adiit Danorum, eosque multis gravibusque præliis ad internecionem usque delevit. Bellum cælitus adminiſtratum eſt, ſiquidem centum millibus paganorum proſtratis in bello, vix unus de Chriſtianis cecidiſſe repertus eſt.* Nonne vero iſta ex *Adamicis* efficta hiſce *Lib. I cap. 40: De hiſtoria Danorum nihil amplius aut ſcriptum vidi, aut ab alio viſum comperi: eo forte caſu reor, quod Nordmanni vel Dani tunc ab Arnulpho Rege gravibus præliis usque ad internecionem deleti ſunt. Bellum cælitus adminiſtratum eſt, ſiquidem* &c. Moxque inde *Bremenſis*, quaſi ex Regio *Suenonis* ore, nomina recenſet Regum, qui poſt eandem

cladem

cladem Normannicam ſumma rerum potiti fuerunt in Dania. Plane quaſi Normannica iſta clades intra Daniam, vel in eius finibus, contigiſſet: cum notiſſimum ſit, Normannos, quos *Arnulphus* celebri illa protrivit pugna, nequaquam in noſtris finibus, ſed in Belgio, conſtitiſſe, prope Lovanium. Habes itaque geminum eorundem ſcriptorum de irruptione in Daniam figmentum, unum, quo *Arnulphum*, alterum, quo *Henricum*, perhibuerunt fines regni huius invaſiſſe, utrumque, ut ſatis inter ſe ſimile, ita ex eodem ἀνιςορησίας fonte derivatum.

Denique, occaſione de *Marca* & *Slesvicenſi Marchione* dictorum, lubet nonnihil attexere, coronidis loco, de vocabulo Daniæ vernaculo *Danemarca*. Occaſionem vero fateor oblatam a Celeb. *Conringio*, in cuius annotatis ad *Lib. I de Finibus I. G. cap. 14* hæc legas: *Perquam ſane veriſimile eſt, ortum hinc eſſe Denemarca nomen, in Germania uſitatum: cumque primum pertineret ad ſolam illam Cherſoneſi Cimbricæ partem, ab Henrico I & Ottone Magno ſubiugatam, poſt ad totum Daniæ regnum, etiam quod eſt ultra Balthicum ſinum, uſu populari fuiſſe translatum.* Eadem verba cum in nova editione magni Viri Operum repetantur, textuique ſubſtrata lectorum oculos invitent, etſi obſoleta ſcio & putida eſſe, atque ab aliis popularium meorum (nominatim ab *Andrea Velleio*, diu ante, quam *Conringius* naſceretur,) refutata, non poſſum tamen vel ob hoc ipſum præterire,

quia incautis fortaſſe videbuntur aliquid ponderis & firmamenti fabulæ de Marchia Sleſvicenſi adſtruere. Nam & quotusquisque eſt, qui talia, præſertim antequam diſcutiantur, examinenturque, externa ſpecie non abſona, adhæc profecta a viris, tanta, quanta *Conringius*, doctrina & auctoritate præditis, non exoſculetur, & tanquam ex Oraculo Apollinis Pythii edita ſibi putet? Quanquam apud Danos ceterosque Septentrionales, qui legunt, rident ea tanquam puerilia, exemplisque annumerant temeritatis doctorum virorum, in coniecturis nonnunquam ultra illa, quæ intelligunt aut didicerunt, evagantis. Interim nihil *Conringius* hac in re enuntiavit novi; ſed quod centum ante ipſum annis iam vulgare erat. Memorat *Velleius* noſter in *Oratione*, quam *de Origine appellationis regni Daniæ* A. 1584 edidit, iuvenem ſeſe id ipſum a *Caſparo Peucero* coram audiviſſe. Idemque *Peucerus* deinde *Chronico Carionis*, a *Philippo* ſeſeque locupletato, hæc verba inſeruit *Lib. IV pag. 369: Gormone, Danorum Rege, devicto, huic genti Marchiam Sleſvicenſem in Cymbrica Cherſoneſo oppoſuit, præſidio firmatam, quod ad arma revertentem cohiberet atque arceret. Inde reliquum eſt nomen Danomarchiæ.* Eiusdem *Peuceri* eſt *Expoſitio* illa *de Statu Germaniæ, eiusque populis ante Caroli Magni imperium*, quæ habetur inter *Commentarios in Taciti Germaniam*, Auguſtæ Vindel. A. 1579 editos in 8. Inque hac ita ſententiam eandem repetit *pag. 144: A Cimbris*

eſt

eſt Cimbrica Cherſoneſus, quam nunc Daniam vocant, & colonis Danis, profectis in ea loca, a ripis Iſtri multo poſt, & Danomarchiam, a præfectura limitanea, quam ad coercendos & reprimendos Danos inſtituit, perpetuoque munivit præſidio Henricus Auceps. Nullus vero longius, quantum ſcio, progreſſus eſt, aut plus ſibi confidentiæ ſumſit in fingendo, atque fabula, de qua egimus, eique annexis, exaggerandis, quam *Melchior Goldaſtus* in *Memorandis*, ut inſcribuntur, *veteribus Holſaticis*, a Viro Illuſtriſſimo, *Ern. Ioach. de Weſtphalen, Tomo I Rerum German.* inſertis. Ibi enim homo perquam doctus, ſed & perquam temerarius & ad quævis ementienda aptus, præter alias, novam plane cudit fabulam *pag. 894, de pacto, ſive compoſitione inter Ottonem M. & Haraldum Regem, cuius legibus Marchionatus Sleſvicenſis, olim ab Henrico Aucupe erectus, ceſſarit, fueritque abrogatus, viciſſim autem totum Daniæ regnum in Imperii Romani limitem, ſive Marchiam, ordinatum, contra barbaros inſulares in Oceano, ne ſcilicet Imperium infeſtarent.* Atque ex iſta pactione, A. 948 inita, (cuius ſi exemplum apographum ab homine poſtulaſſes, credo, illud fuiſſe, haud ſegniter, ex ſua ſcilicet officina, producturum,) regnum *Danemarchiæ* nomen accepiſſe, quod adhuc gerat. Hæcne, Te obſecro, egregie excogitata perdocteque? Ego vero ita ſentio, Virum, cui haud plus puoris religionisque ineſt, quam ut hoc modoquect lectoribus ſuis imponere, quorum minor numerus

cunctis, quæ requiruntur ad cognoſcendam falſitatem, inſtructus eſt facultatibus, famæ ſuæ male conſulere; efficereque, ut neque etiam in veris rebus ulla teſtimonii ſui habeatur ratio. Ceterum in præſens cum uno nobis *Conringio* res erit, cui ſcilicet exiſtimantum, nomen *Danemarcha* primum ſub *Henrico I* & *Ottone M.* ad partem tantum Cimbricæ *Cherſoneſi* pertinuiſſe, poſtea ad totum fuiſſe regnum Daniæ translatum. Equidem contra fictionem hanc non urgebo teſtimonium *Reginonis*, qui duobus luſtris, antequam *Henricus* Germaniæ regnum eſt adeptus, diem ſupremum clauſerat; ſiquidem *Danemarcæ* illud nomen, quod is profert *ad an. 884*, poſſint, qui cavillari velint, non eo modo, quo vel *Douſa* & *Altingius*, ſuperius nobis laudati, vel *Pontanus* noſter, ſed ſive de cuſtodia limitis, hoc eſt, *Marca* Danis iſtic terrarum oppoſita, ſive in alia omnia, *Scriverii* exemplo & *Boxbornii*, abeundo, interpretari. Quærerem vero potius a *Conringio*, ſi adhuc viveret, quantum temporis putaret requiri, ad novam appellationem provinciæ, apud hoſtes eius natam, atque uni primum parti impoſitam, deinde toti imponendam, ac tandem univerſo regno applicandam, ita ut omnis populus, eiusque Reges, nec non ceteræ per orbem gentes, eam in communem uſum, abrogato in perpetuum priore ac vetuſto regni iſtius nomine, generali conſenſu transferrent? An hoc effici poſſe intra unum alterumque crederet ſeculum? Iam vero ante medium etiam ſeculum

elapſum

elapſum ab *Ottonis M.* regno vocabulum *Danemarchiæ* in literis atque in titulis *Canuti M.* apparuerat, quod ex eius Diplomatibus, ſæpius apud Anglos editis, manifeſtum. Evolvant *Ingulfi*, Abbatis, *Hiſtoriam Croylandenſem*, *Monaſtici Anglicani* Volumina, *Alfordii Annales Eccleſiæ Anglicanæ*, qui nobis non credunt. Atque eundem *Canutum* in literis ſuis *Fulbertus*, Epiſcopus Carnotenſis, A. 1020 ſcriptis, *Regem Danemarchiæ* ſalutavit. Vid. *Biblioth. Max. Patrum Tom. XVIII pag. 27*, ne nunc plures ex eodem Seculo ſcriptores producam, *e. g. Ademarum*, Monachum S. Eparchii, qui ſcripſit ante an. 1030, & *pag. 172* (*edit. Labb.*) *Regem Danamarcorum & Anglorum, nomine Canotum*, habet; & *pag. 178 Canotum de Danamarca:* quod nomen & pluries in eodem Chronico repetitur: nec non *Emmæ* Reginæ Encomiſten, & *Wilhelmum Gemmeticenſem*, *Ingulfum*, alios, apud quos *Danemarchiæ* vox occurrit creberrime. Hisque cunctis nullus ſane dubitaverit fuiſſe perſuaſum, idem ipſum nomen ab ultima antiquitate, cuius nulla amplius exſtaret memoria, plurimisque ante *Henricos* & *Ottones* Seculis, Daniæ noſtræ adhæſiſſe. Unde & *Ioannes Wallingford*, Abbas S. Albani, (ſi modo is, neque vetuſtior potius aliquis, auctor eſt Chronici, quod in *Hardecnuti* obitu deſinens, in *Tomo I Scriptor. Hiſtor. Angliæ*, a *Tho. Gale* editorum, conſpicitur,) ad *Antenoris* Trojani refert tempora. *Vocavit*, inquit, *nomen terræ regni ſui a Dana quodam Rege, ex qua ſtemma produxerat*,

duxerat, Danemarchiam, nomenque ſatis hiſtoriæ conſentit. Et mox aliam originem afferens, a Gothis, qui inſulam Scanzam inſederint, *Alter*, ait, *populus ab eadem vagina, ſcilicet Scanza inſulam erumpens, cum Rege ſuo Berig, intra Germaniæ ſinus Mæotidas paludes occupavit, & in ſecunda ſede Danemarchiam.* Qui poſterior locus eiſdem verbis legitur apud *Gemmetic. de Geſtis Normannorum Lib. I cap.* 4. Nugas dices, quas allego. Concedo, quantum ad *Antenorem* & ſimilia: & tamen cur conditores Troianos nobis magis, quam tot nationibus aliis, invidebis? Cetera tales affirmo nugas eſſe, quæ demonſtrent, veteres illos Anglos longiſſime abfuiſſe a ſententia, ex nugis *Adami Bremenſis* Seculo demum XVI efficta, eisque unice ſuperſtructa, quod *Danemarchiæ* vocabulum, eius ſcilicet regni, unde tot in ipſos mala incubuerant, tam ſeræ ac recentis eſſet originis. At quid dices, ſi Auctorem etiam protulero, non tantum *Canuti M.* eiusque patris *Suenonis*, & avi *Haraldi Gormonidæ*, ſed etiam *Henrici Aucupis*, regno multo antiquiorem, imo *Reginoni*, ſi hæſitare in eius loco velis, æqualem. Is *Alfredus M.* Rex erit, qui *Otheri* & *Wulfſtani*, alterius Norvegi, alterius vero Angli, Periplum geminum, ſeu itinerum & navigationum hiſtorias, ipſorum ex ore exceptas, lingua Anglo-Saxonica deſcripſit. In eis *Denemarcam* videbis omnino ter nominatam; *§. XI: Tha vas him on that bacbord Denamearc;* & paulo poſt: *Tha Igland the in Denemearc hyrath;* ac *§. XII: And that*

thas Land eall hyrath to Denemearcan. Hocque monumentum, ex veteri Codice Cottoniano productum, exhibuit *Io. Spelmannus* in *Append. ad Alfredi Vitam num. 6 pag. 205*, excuſ. Oxoniæ *A.* 1678, unde deſumtum, denuo cum Notis ſuis edidit Hafniæ A. 1733 *Andreas Buſſæus*, Conſul Helſingoranus, iam defunctus. *Alfredum* autem omnes noverunt mortuum eſſe ipſo anno 900, adeoque pluribus annis ante, quam vel *Henricus I*, vel deceſſor eius, *Conradus*, de obtinendo Germaniæ imperio poterant iudicare. Haud ergo neceſſe porro, ad confringendam opinionem, ſatis per ſe ficulnam & caſſam, de *Henrico I* & *Ottone*, domeſticis teſtimoniis uti; ſive *Snorronis Sturlæi*, vel Islandorum eo vetuſtiorum, quippe qui *Dan* Regem, cognomento *Mikillati* ſeu *Magnanimum*, Seculo a Chriſto ſecundo, *Danemarkæ* ἐπώνυμον faciunt, (quamvis & hoc, meo iudicio, incertum,) ſive ex monumentis ſaxeis, in quibus idem vocabulum Runis noſtris exprimitur; ſive ex *Edda*, ubi *Danmarkar auka* (h. e. Daniæ augmentum,) legitur in *Bragonis* carmine, quem Poetam floruiſſe vergente Seculo octavo, *Carolo Magno* rerum apud exteros potiente, certiſſimum. *Danemarchiam* non occurrere *in ullo monumento Carolingico, aut Saxonico Latino veteri eiusdem temporis*, obſervatio eſt *Schurtzfleiſchii* in *Diſp. de rebus Danicis.* At quid inde concludendum? Idem enim nonne dici poteſt de pluribus vernaculis? cum neque *Englandiæ* mentio in monumentis illis habeatur. Reſpondet

det tamen ſibi ipſe Vir doctiſſimus, & largitur, *Danemarchiam* a Carolingicis exprimi *verbis Latinis, paria facientibus. Sic Ado Viennenſis ad an. 804 de Godefrido Danorum Rege affirmat ſequentia : Ibi per aliquot dies moratus,* Limitem regni, *qui Saxoniam reſpicit, vallo munire conſtituit.* Porro de *Hemmingo* Rege *Adami Bremenſis* locum, atque ex *Annalibus Pithœanis* illum *anni 825* de *Marca* adducit; nempe ut concludat, inde *ſequiore factum tempore, ut Marchia Danorum in Danemarchiæ compoſitionem deſineret.* Atque hic error eſt profecto, diverſus a *Peuceriano* & *Conringiano* in hoc tantum, quod appellationis originem centum & aliquot annis antiquiorem faciat. Ego, *Danemarkæ* nomen & *Carolo Magno*, & cunctis, quæ ſuperſunt, medii ævi monumentis, antiquius eſſe, nullus dubito. Errant autem plerique omnes Germani, inque iis ipſe *Leibnitius, Tomo I Scriptor. Brunſu. pag. 29*, quod in iſta compoſitione *Markam* omnino ſignificare volunt *Limitem.* Sed hoc falſum. Neque vero id eo dico, quod verear, ne hic *Limitis* ſignificatus novitatem omnino quandam appellationis ſecum ferat, quaſi per illum ea nequeat altius *Carolino* ævo provehi. Monſtrabo enim, poſſe per eandem notionem immenſum quantum adque ipſam gentis originem adſcendi. Sed, ne aliorum inventis me iactem, potius Auctorem nominabo, *Ioannem* videlicet *Goropium*, cuius olim hæc opinio fuit, (quam vero haud unquam meam faciam,) *veniſſe Danos e Norvegia,*

atque

atque Cherroneſum eapropter dici Danorum Marcam, id eſt, Danorum limitaneam regionem, quaſi hunc ſibi ditionis ſuæ terminum poſuiſſent, cum ulterius eam, Germanorum, qui proximi erant, armis prohibiti, proferre nequiviſſent. Gotho-Danic. Lib. VII. pag. 761. Verum enim vero non ſequitur, quia *Marca* (*Mark* & *Marke*) terminus eſt ſeu limes, eumque ſignificatum habuerit ab omni ævo apud Francos, Germanos, Anglos, Danos; (de quo ad ſatietatem *Voſſius, Du-Cange, Seldenus, Menagius, Schilterus, Wachterus*, alii,) ideo *Danemarkæ* nomen illuc quoque pertinere. *Mark* profecto & alias, haud minus in ſeptentrione cognitas atque uſitatas, notiones habet. In Danorum lingua, ex uſu antiquiſſimo, *Campum* notat; proprie magis *regionem campeſtrem, ſylveſtrem*, nec adeo *montoſam*. Norvegi veteres Islandi hoc ſenſu *Maurk* & *Mörk* ſcripſere. *Gudmundus Andreæ* in *Lexico Island.* MAURK, ſeu MÖRK, *ſylva, ſylveſtris regio, unde* DANAMÖRK, *Dania, cum fuerit ſylveſtris.* Sic ille. Deinde omnia illa, quæ Germanorum *Feld*, pariter Danorum *Mark* exprimit, uſque eo, ut, (quemadmodum & *Campus* apud nonnullos Latinorum,) non minus *Caſtrorum* locum & *expeditionis militaris*, atque etiam *pugnæ locum*, deſignet. (Hand ſtaar i Marken med en ſtor Hær, *eductas habet in expeditionem magnas copias.* Hand beholdt Marken, *pugna ſuperior fuit.* Hand ſlog Fienden af Marken, *hoſtem profligavit.* Sed & inſuper *ſedem* alicuius *populi;* ita ut in compoſitione ſy-

 nonymum

nonymum ſit *Terræ*, *Provinciæ*, *Regni*. Recte hinc quondam *Velleius* noſter: *Mark in Danemarchia non limitem, ſed regionem, ſignificat.* An & *provinciam, bello partam*, ex idiomate Germanico, quemadmodum exiſtimatum olim *Andreæ Althamero*, Viro ſuo Seculo erudito, haud dixero. Verba eius in *Comment. in Taciti Germ. pag. m. 467*: *Marchiam, quod alias quoque ſoleo narrare, Germani provinciam, bello partam, & diſtrictum unius ditionis aut villicationis limitemque vocare ſolent: quomodo eſt Danomarchia, Styromarchia, & Feldmarch: & Marcomannos gentem, undecunque confluentem in unam ditionem.* Sed *Meibomius* reſtringit magis in *Notis ad Chron. Schowenburg. pag. 525*: *Mihi*, inquit, *perſuaſiſſimum eſt, Marcam eſſe pagi alicuius partem, ſive territorium, non ita magnum.* Credo, eum de *Marcis* tantummodo loqui iis, de quibus *Chronicon* illud meminit *pag. 502*, cuiusmodi in terra Slavorum permultæ erant. De *parvis territoriis*, aut *pagorum parte*, non videtur intelligendus *Ermenricus*, quo ex Auctore in *Schilteri Gloſſario pag. 571 ſeq.* hoc affertur: *Spoliantibus omnia, quæ in marchis duorum regnorum conſiſtebant.* Mihi admodum placent hæc Cl. *Wachteri*, ſicuti alia eius multa: *Moris fuit, inde a prima orbis cultura, camporum terminos certis quibusdam ſaxis, palis, aliisve notis, quas invito tranſcendere nefas erat, inſignire. Et ſic deinceps factum eſt, ut, poſt ſtabilita in orbe imperia, idem nomen ad ampliſſimos terrarum tractus, & integras provincias, quibus*

regnum a regno dividitur, pervenerit. In Norvegia tres ſunt provinciæ, ſive diſtrictus grandiores, quorum ſinguli vetuſtiſſimis temporibus ſub ſuis fuere Regibus: eorumque in nominibus eadem, quæ in *Danemarkæ* illo, forma. Vocantur ſcilicet *Heidemark, Tellemark, Finmark,* hoc eſt, *Hеidarum, Tellarum,* (priſcorum populorum) & *Finnorum,* ſedes, aut regiones, quas inhabitabant. Non ſane, quia partes pagorum aut non magna erant territoria, multoque minus, quod Germaniæ Imperatorum aliquis *Marcas* conſtituit, *Marchiones*que ordinavit in Norvegia. Atque, hoc modo, mihi perſuaſum, intelligenda nonnunquam eſſe monumenta Francica & Saxonica, e. g. *Annal.* vulgo *Eginhardi,* nec non *Bertin.* ad an. 825: *Imperator filiorum Godefridi de Nordmannia Legatos audivit, ac pacem, quam iidem ſibi petebant, cum eis in Marca eorum menſe Octobri confirmari fecit.* Ubi *Markam* puto, neque limitem, neque portionem terræ limiti adiacentem, ſed ditionem, ſeu regnum, notare. Sic & in Diplomate *Ottonis M.* de Eccleſiis Danicis an. 965: *Quicquid proprietatis in* MARCA *vel regno Danorum ad Eccleſias in honorem Dei conſtructas, videlicet Sleſvicenſem, Ripenſem, Arnuſenſem, pertinere videtur.* Eſt nimirum hic *Marca* idem, quod *Regnum*; cum (quicquid etiam de Sleſvicenſi dixeris,) Ripenſis haud certe Eccleſia, multoque minus Aarhuſienſis, prope limites conſtitutæ. Sed & ante *Caroli M.* Saxonumque tempora, integris quoque ſeculis ante *Marchionis* nomen cognitum, *Marca, regio, provincia,*

diſtrictus,

diſtrictus, ἰσοδυναμοῦντα erant. In *Lege Alamannorum* id, quod *cap.* 47 eſt, *Si quis fœminam liberam extra Marcham vendiderit*, in *ſeq. Cap.* exprimitur: *Si autem fœminam liberam infra provinciam vendiderit.* Hæcque eſt ratio, cur in diſtrictibus Norvegiæ, quos nominabam, *Heidemark*, *Tellemark*, &c. MARK nihil diverſi ſignificet a vocabulo LAND, in aliis eiusdem Norvegiæ provinciis, *Hadeland*, *Opland*, *Halogeland*; nihil diverſi a RIGE, in *Raumarige*, itidem provincia Norvegica, ſic vocata; imo RIGE in *Frankerige* (Francia, ſeu Gallia,) *Suerrige* (Suecia), *Garderige* (antiquo Ruſſiæ nomine); nihil etiam diverſi a LAND, in *Engelland* (Anglia), *Valland* (Italia), *Iutland* (Iütia), *Liſland* (Livonia), &c. Pariter MARK in *Danemarka*: quod regnum ſi primo, quicunque ille fuerit, impoſitori placuiſſet nominare *Daneland*, vel *Danerige*, haud ſane plus minusve, idem vero, quod *Danemark* denotat, dixiſſet. Vale, mi *Menkeni*, pluraque aliquando, ſi otium dabitur, a me exſpecta.

IV.

EMENDATIONES ALIQUOT CRITICÆ, IN IUL. CÆSARIS LIBRIS DE BELLO GALLICO TENTATÆ, AUCTORE I. C. H.

I. *Cæſar* ſtatim ab initio deſcribit Galliam, eamque incoli, refert, a Belgis, Aquitanis, ac Celtis,

ac Celtis, ſeu Galatis, Gallisve. Horum omnium fortiſſimos eſſe Belgas, idem oſtendit, ratus, ipſos a conciliandæ mollitiei adiumentis abeſſe, ac perpetuis cum Germanorum gente exerceri bellis. Hæc cum tradidiſſet *Cæſar Lib. I cap. I v. 4*, ipſe ſtatim ſubiunxit hæc verba: *Qua de cauſa Helvetii quoque reliquos Gallos virtute præcedunt, quod fere quotidianis prœliis cum Germanis contendunt, cum aut ſuis finibus eos prohibent, aut ipſi in eorum finibus bellum gerunt: Eorum una pars, quam Gallos obtinere, dictum eſt, initium capit a flumine Rhodano, continetur Garumna flumine, Oceano, finibus Belgarum.* Legendum eſſe, exiſtimo, hunc in modum: *Qua de cauſa Belgæ quoque reliquos Gallos virtute præcedunt*, &c. Apparet lectori illico, intruſum hic eſſe gloſſema Grammatici, ſeu Commentatoris cuiusdam, in quo vox *Belgæ* minus clare potuit legi. Librarius gloſſema id inter verba *Cæſaris* intexuit, &, dum deſcriptor novus putavit, ad Belgas hæc non quadrare, quippe quos *Cæſar* iam dixerat continenter cum Germanis bellum gerere, ipſe Helvetios ſubſtituit. Eximenda idcirco ſunt e contextu *Cæſaris* illa: *Qua de cauſa Helvetii - - gerunt.* Eis enim eiectis, oratio ſibi conſtat, & cuncta prono fluunt alveo. Verba enim, quæ ſequuntur: *Eorum una pars - - Belgarum*, non referenda ſunt ad Helvetios, ſed ad Galliæ incolas omnes, quos *Cæſar* ante dixerat *lingua, inſtitutis, legibusque, inter ſeſe differre.* De Helvetiis diſtincte *Cæſar* hæc tradidit *cap. II v. 4*: *minus*

facile

facile finitimis bellum inferre poſſint. Quomodo hæc, obſecro, conciliari queunt cum eis, quæ gloſſemate docentur? Gloſſema enim Helvetiis tribuit facilitatem gerendi bellum in finibus Germanorum. Nec ulla apparet ratio, cur *Caſar* in expoſitione, de virtute Belgarum inſtituta, de Helvetiis voluerit diſſerere, de quibus quippe demum *Capite ſecundo* agit. Et quomodo verba illa: *eorum una pars initium capit a flumine Rhodano*, cum Helvetiis connecti, eisque ſubiici, poſſunt?

II. In *Capite II v. 3* dicitur *Orgetorix* Helvetiis, demigrationem cum copiis ut pararent ipſi in Gallias, perſuaſiſſe, eo, *quod undique loci natura tuti Helvetii continentur.* Aut ego magnopere fallor, aut legendum eſt, *undique locis natura tutis Helvetii continentur.* Hæc enim formula loquendi eſt *Caſari* familiaris, ac trita. Ita *Lib. IV cap. 23 v. 3* ſcripſit: *Montibus anguſtis mare continebatur.* In re nota omittendos credo locos complures.

III. In *Capite III v. 7* legitur vulgo: *non eſſe dubitandum, quin totius Galliæ plurimum Helvetii poſſent.* Eiecta hic ſunt verba: *præ incolis.* Emendandus enim ita eſt locus: *non eſſe dubitandum, quin præ incolis totius Galliæ plurimum Helvetii poſſent.* Gallia enim comprehendit tantum Belgas, Celtas, & Aquitanos, & in partes tres fuit diviſa. Helvetii ab eis ætate *Caſaris* penitus fuerunt diverſi. Lectio autem vulgaris eos Galliæ adnumerat, ac eam ob cauſam ipſa eſt emendanda.

IV.

IV. Sub finem *Capitis III Libri I* inſignis exſtat lacuna in contextu. Additur enim ſtatim ſub initio *Capitis* ſequentis, *Orgetorigem* moribus Helvetiorum ex vinculis cauſam dicere debuiſſe. Dixerat iam *Cæſar*, *Orgetorigem* ſolicitaſſe alios, ac inter eos *Dumnorigem Æduum*, fratrem *Divitiaci*, eo eventu, ut oratione *Orgetorigis* fuerint hi adducti ad fidem iurisiurandi ac promiſſionis mutuam dandam de Gallia occupanda. Nihil vero additur de conatis ſeverioribus quorundam in *Orgetorigem*, nec de modo, quo *Orgetorix* in vincula fuit coniectus, ibi inſeritur quidquam. Videtur *Orgetorix* in legatione, ad civitates Sequanorum & Æduorum ſuſcepta, interceptus, ac in carcerem amandatus fuiſſe. Nam *civitas* (*Cap. IV v. 3*), in qua ipſe vinculis attinebatur, armis ius ſuum in eum voluit exequi, cum multitudo clientum ipſius advolaſſet. Ipſo autem mortuo, Helvetii a conſilio profectionis in Gallias nondum fuerunt depulſi, quin potius deſtinationibus ſuis conſtanter inhæſerunt. Ex qua ratione facile patet, Helvetios haud exſtitiſſe eos, a quibus *Orgetorix* in vincula fuerit coniectus. Si quid coniectando licet aſſequi, Romanorum artibus per Sequanorum vel Æduorum nonnullos *Orgetorigem*, credo, fuiſſe comprehenſum, ac carceri mancipatum. At hæc omnia exciderunt e *Cæſare*, & membranula illa fuit amiſſa, cui illa *Orgetorigis* hiſtoriæ pars fuerat inſcripta. In hac membrana præterea fuerant ea etiam deſcripta, quæ ad conſpirationem Sequanorum

quatuorum nonnullorum cum *Orgetorige* fueſant referenda. Librarius vero ea, quæ perieſant, reſtituere voluit per coniecturas. Unde factum eſt, ut *inciſum octavum Capitis ſecundi* ſit obſcurum plane & ieiunum. En locum: *Hac oratione adducti, inter ſe fidem & iusiurandum dant, &, regno occupato, per tres potentiſſimos ac firmiſſimos populos totius Galliæ ſeſe potiri poſſe ſperant.* Prima verba uſque ad illud: *iusiurandum dant*, ſtilum *Cæſaris* perſpicuum ſpirant. Reliqua, quæ ſequuntur, ab inepto librario fuerunt adiecta. Quis enim tam eſt iudicio vacuus, ut ipſi haud ſuboleat, ea, quæ ſequuntur, rei ipſi parum congruere? Librarius indicare voluit hanc propoſitionem: *Ipſi, qui, iureiurando interpoſito, fidem & opem mutuam confirmaverant, in ea ſpe fuerunt, fore, ut ipſi omnis Galliæ potirentur, quæ nationibus conſtabat tribus, atque inter eas ſibi dominatum pararent.* At hæc adiectio eſt ſupervacua. Niſi enim id fœderati ſperaſſent, ad fidem ei mutuam dandam haud ſeſe adſtrinxiſſent. Librarius vixit ea ætate, qua omnis Gallia formam induerat unius regni. Inde enata ſunt verba illa: *regno occupato. Orgetorix*, auctore *Cæſare*, *Caſtico* Sequano & *Dumnorigi* Æduo promiſerat, ſe *illis regna conciliaturum.* Si de hiſce regnis, id eſt, ſumma poteſtate *Caſtici* in Sequanos & *Dumnorigis* in Æduos, librario fuit ſermo, rationes & res ipſa exigebant, ut ſcriberet: *regnis occupatis.* Per illos tres potentiſſimos ac firmiſſimos populos librarius deſignavit Helvetios,

Sequanos,

Sequanos, & Æduos. Dicendum ipſi potius fuiſſet: *fœdere & auxilio mutuo tres potentiſſimos ac firmiſſimos populos potiri totius Galliæ poſſe ſperant.* At inutilis & ſupervacua erat hæc verborum acceſſio, ſiquidem hoc ipſum ſpei argumentum in ipſa fœderis natura iam erat ſitum.

V. In *Lib. I cap.* 10 *v.* 1 legitur vulgo, *Helvetiis fuiſſe in animo, per agrum Sequanorum & Æduorum iter in Santonum fines facere, qui non longe a Toloſatium finibus abſint, quæ civitas ſit in provincia.* Notum ſane eſt, Santones haud fuiſſe interiectos inter Æduos & Toloſates, ſed habitaſſe ad Oceanum Aquitanicum inter Ligerim atque Garumnam, flumina ſatis magna. Quare ea, quæ ſequuntur clauſulam verborum; *fines facere*, pro gloſſemate ſunt habenda, quod librariorum aliquis in contextum e margine aſſumit. Auctor vero gloſſematis, ad ſenſum incisi ſequentis animum attendens, credidit, a ſeſe rationem fuiſſe inventam, cur Toloſatium civitas debeat confinis fuiſſe Santonum genti.

VI. In *Lib. I cap.* 14 *v.* 1 excidit vox *calamitatem*, vel ſimilis. En verba contextus: *His Cæſar ita reſpondet: Eo ſibi minus dubitationis dari, quod eas res, quas Helvetii commemoraſſent, memoria teneret: atque eo gravius* (calamitatem) *ferre, quo minus merito populi Romani accidiſſet.* Incommodi, quod veteres Helvetii Romani intulerant, paulo ante meminerant legati Helvetiorum. Ad illud reſpicit *Cæſar*, atque, id merito populi Romani accidiſſe,

negat. Si malis vocem *incommodum* inſerere, haud intercedo, ſiquidem is, qui reſpondet, ſolet verba ſententiarum, ad quas reſponſum profert, repetere. Obiter monemus, veriſimile eſſe, in *Cap. 18 v. 9* legendum eſſe: *ſi quid gravius accidat Romanis*, loco eius, quod legitur: *ſi quid accidat Romanis.* Ea enim, quæ nobis accidunt, in utramque patent partem fortunæ. Legitur *v. 10* vulgo: *Reperiebat etiam Cæſar inquirendo, quod prælium equeſtre adverſum paucis ante diebus eſſet factum* &c. Senſus vero poſtulat, ut legamus: *cum prælium equeſtre* &c. Legitur porro *Cap. 25 v. 1* vulgo: *Cæſar primum ſuo, deinde omnium* (e conſpectu), *remotis equis.* Vox, quæ excidit, reſtituenda eſt, & legendum: *primum ſuo, deinde omnium, iuſſu* &c. Legitur ita *Cap. 25 v. 6: capto monte, & ſuccedentibus noſtris*, nec tamen indicatur, an a Cæſareanis, an ab Helvetiis, mons ille fuerit occupatus. Inſerendum itaque eſt verbis antecedentibus verbum *Helvetii* hunc in modum: *eo ſe Helvetii recipere coeperunt*, præcipue, cum paullo poſt id ipſum confirmetur. In *inciſo* ibidem *octavo* nonnihil eſt omiſſum. En locum, qualis legitur: *Romani converſa ſigna bipartito intulerunt: prima ac ſecunda acies, ut victis ac ſubmotis reſiſteret; tertia, ut venientes ſuſtineret.* Quærendum igitur eſt de loci mutili remedio. Solent Critici ellipſin vulgo ita explere: *Prima ac ſecunda acies ſigna converſa bipartito intulit, ut victis* &c. At, ſi univerſi vel plurimi Romanorum bipartito ſigna converſa intulerunt,

tulerunt, cur ſpeciatim opera primæ, ſecundæ & tertiæ, aciei commemoratur? Indicata indubie fuit ſpecialior opera; quam vero potius aliorum divinationi, quam meæ, relictam eſſe credo. Id eſt luculentius, in *Cap. 36 v. 5* ita eſſe legendum in oratione *Arioviſti* ad *Cæſarem: Si id non feciſſent, longe ab ſeſe fraternum nomen populi Romani abfuturum.* Vulgo legitur: *ab his*, ſcilicet Aeduis. Sed repugnat ſcopus dicentis. In oculos etiam, ni fallimur, emendatio incurrit ipſos, ſi legimus ita in *Cap. 38 v. 6: Huic murus circumdatus arcem efficit, & hunc cum opppido coniungit.* Videtur vero librarius vocem *hunc* præpoſuiſſe voci *murus*, eo quod levis eſt differentia inter voces *huic* & *hunc.* Ac eam ob rationem librarius poſteriorem priori ſubſtituit, ac iuſto in loco neglexit.

VII. In *Cap. 40* reſcribenda videntur duo. Legitur in *inciſo quinto: factum etiam nuper in Italia ſervili tumultu.* Nexus orationis autem requirit, ut legatur *factum idem* &c. In *inciſo decimo* difficilior ſeſe offert locus: *Qui ſuum timorem in rei frumentariæ ſimulationem anguſtiasque itineris conferrent, facere arroganter.* Norant milites, rem frumentariam haud ſimulari. Timebant ipſi enim, ut res frumentaria commode ſupportari poſſet *Cap. 39 v. 6.* Quæ eſt ratio, cur ita ſit reſcribendum: *qui ſuum timorem in rei frumentariæ itinerisque anguſtias conferrent, facere arroganter.* Anguſtias enim rei frumentariæ ipſe dictione ſua terſa & perſpicua

commemoravit *Cæſar de Bello civ. II, 17, 3.* Huc transferenda etiam videtur emendatio loci *Lib. I de B. G. Cap.* 44 *v. 10*, ubi legimus vulgo: *amicitiam populi Romani ſibi ornamento & præſidio, non detrimento, eſſe oportere, idque ſe ea ſpe petiſſe.* Res ipſa monet, ut reſcribamus: *eamque ſe ea ſpe petiſſe*, ſubaudi *amicitiam*, cuius modo facta fuerat mentio.

VIII. Exſtat locus *Lib. III Cap. 8 v. 3*, qui Criticorum crux poteſt appellari, eo quod voces nonnullæ inde exciderunt. En illum: *Ubi* (*Cæſar* ſcil.) *noſtros non eſſe inferiores intellexit, loco pro caſtris ad aciem inſtruendam natura opportuno atque idoneo.* Deeſt pars orationis illa, quam ſolent vocare prædicatum. Licet enim ea, quæ ſequuntur, verba uſque ad vocem *redibat* includamus parentheſi; nihilo minus ſibi ſeries & vinculum orationis haud conſtat. Suppleo proinde ea, quæ videntur deeſſe, hunc maxime in modum: *Ubi noſtros non eſſe inferiores intellexit, loco pro caſtris ad aciem inſtruendam natura opportuno atque idoneo* (confligere decrevit, &) *quod is collis, ubi caſtra poſita erant, paululum ex planitie editus, tantum adverſus in latitudinem patebat, quantum loci acies inſtructa occupare poterat, atque ex utraque parte lateris deiectus, & in fronte leviter faſtigatus, paullatim ad planitiem redibat; ab utroque latere eius collis tranſverſam foſſam obduxit circiter paſſuum quadringentorum, & ad extremas foſſas caſtella conſtitui*

IX. Superſunt loca complura, quæ medicâ manu egent. In *Lib. II Cap. 17 v. 2* exſtat locus, quem ita oportet, ni fallimur, ſanare. *Quidam ex his, ut poſtea ex captivis cognitum eſt, eorum dierum conſuetudine*, (& ratione) *itineris noſtri exercitus perſpecta, nocte ad Nervios pervenerunt* &c. Difficilior eſt locus *III*, 13, 7, 8, *ſeq.* qui ita eſt reſtituendus: *Cum his navibus noſtra claſſi eiusmodi congreſſus erat, ut hac illis celeritate & pulſu remorum præſtaret, reliqua pro loci natura, pro vi tempeſtatum, illis eſſent aptiora & accommodatiora. Neque enim illis noſtra roſtro nocere poterant. Tanta in illis erat firmitudo.*

X. Occurrit præterea *Caput* & *viceſimum primum* & *viceſimum ſecundum Libri* illius *tertii* inter loca illa, quibus medicina eſt afferenda. Prioris *inciſum tertium*, ſi quid iudicamus, ita eſt reſtituendum: *illi, alias eruptione tentata, alias cuniculis ad aggerem vineasque* (noſtrorum) *actis* (*cuius rei Aquitani longe peritiſſimi ſunt, propterea quod multis locis apud eos ærariæ fodinæ ſunt,*) (vires ſuas periclitati fuerunt). *Ubi diligentia ſua nihil his rebus profici poſſe, intellexerunt, legatos ad Craſſum mittunt, ſeque in deditionem ut recipiat, petunt. Qua re impetrata, arma tradere iuſſi* (ſunt. Quod etiam) *faciunt.* Qui emendationem hanc cum editionibus vulgatis contulerit, is, nos veriſimilem attuliſſe ſanationem, haud inficiabitur. Pro *ſecturis*, vel *ſtricturis*, *ærariis* reſcribendæ videntur *fodinæ æraria.* Cuilibet enim, veteris ſcripturæ peri-

to, ſatis conſtare poteſt, quanta ſit ſimilitudo in manuſcriptis, in quibus literæ *n*, *m*, *i*, *u*, *r*, haud ſatis definitæ, ſed iugi nexu ac citra puncta ſuperſcripta exaratæ, occurrunt, inter voces *fodinæ*, *ſecturæ*, *ſtricturæ*. Literæ ſ & f in chartis veteribus aegre diſtinguuntur. Nec differentia indidem inter *d* & *ct* admodum eſt conſpicua. *Sectura* præterea vox eſt, quæ diviſionem, ſecando fieri ſolitam, denotat. *Plinius* huic ſignificatui auctoritatem concedit. Ipſe enim indicaturus rationem, qua gemmæ, quibus *Callaidibus* eſt nomen, poliuntur, ac ad nitorem uſumque transferuntur, *Lib. XXXVII Cap.* 8 hæc habet: *Comitatur eam ſimilitudine propior, quam auctoritate, Callais, e viridi pallens - - Et venatus quidem Callaidis* (lege *Callaidum*,) *talis. Sectura* Callaides *formantur, alias fragiles*. Propterea enim, quod hæ gemmæ ſunt molliores, atque facilius queunt frangi, non limantur, ſed leniori inciſione ſecantur. Hæc ſecandi ars vocatur hic *ſectura*. At æs & metallum in ſpecubus ſubterraneis non eſt adeo fragile ac molle, ut ſecando formari poſſit. Durioribus ibi inſtrumentis opus eſt. Nam metalli maior pars in Gallia profundis ſuffoſſionibus ſumma cum moleſtia & difficultate laborantium reperiri ſolebat, *Athenæo* teſte *Dipnoſ. Lib. VI pag.* 233 *edit. Commelin.* Adde, quod cuniculi in fodinis haud fiunt, terram ſecando, ſed perfringendo & excavando ea, quæ obſtant. Commodum ſeſe offert locus *Arnoldi Lubecenſis Chron. Slav. V*, 4, quo commemoratur

ratur ars illa cuniculos eiusmodi agendi, terræque ſpecus excavandi, quam operæ metallurgicæ in fodinis argentariis in monte ad Gloſſariam ſito adhibere conſueverunt. Vox *noſtrorum* ſede ſua fuit exturbata, in quam ipſa nunc fuit repoſita. Licet vero huic emendationi haud moroſe ſimus immoraturi; tamen neminem fugiet, locum eſſe difficiliorem, ac ipſum ante vocem *faciunt* laborare.

XI. *Caput vicesimum ſecundum* intruſo de Solduriis gloſſemate vehementer obſcuratum fuit. Gloſſema id omnino eſt antiquiſſimum, ſiquidem illud in Græca translatione ac teſtimoniis ſcriptorum, vetuſtate eminentium, iam legitur. Omiſſo autem gloſſemate locus ita fluit: *Atque, in ea re omnium noſtrorum intentis animis, alia ex parte oppidi* Adcantuannus, *qui ſummum imperii tenebat, cum DC devotis, quos illi* Soldurios *appellant, eruptionem facere conatus, clamore ab ea parte munitionis ſublato, cum ad arma milites concurriſſent, vehementerque ibi pugnatum eſſet, repulſus in oppidum eſt. Nicolaus Damaſcenus* in *Hiſtoriarum* ſuarum *Libro* ***ρι***ϛ expoſuit eadem. Paucula, inde decerpta, nobiſcum communicavit *Athenæus Dipnoſ. Lib. VI pag.* 249. Rex ibi vocatur *Adiatomus*, qui a *Cæſare* appellatur *Adcantuannus*. Suſpicandi inde patet ratio, ſcripſiſſe *Cæſarem* id nomen aliter, ac libri noſtri habent. Rex ille a *Cæſare* videtur denominatus fuiſſe *Adiantuamus*, isque Rex *Sotiatum*, ſeu, ut apud *Athenæum* eſt, τῶν Σωτιανῶν βασιλεύς. Subit mirari, qui ii, quos

Latini vocant *devotos*, a Celtis dici potuerint Soldurii. Apud *Athenæum* vocantur ipſi haud Soldurii, ſed Siloduni: Λογάδες, οἱ καλέονται ὑπὸ Γαλατῶν τῇ πατρίῳ γλώττῃ Σιλοδοῦνοι. τοῦτο δ' ἐστιν ἑλληνιστὶ εὐχωλιμαῖοι. Hæc *Athenæus* ex *Nicolao Damaſceno*, Latine ſic vertenda: *Proximi, qui vocantur a Gallis patrio ſermone Siloduni. Hoc vero eſt Græce devoti.* Vix videtur dubitari poſſe, quin apud *Cæſarem* legendi ſint *Selduni* loco *Soldurii*, ex *ſile*, ſeu *ſele*, anima, atque ex *dinen*, ſerviendo, dicti. Celtica enim lingua exſtitit Scythicæ pars, & Gallis Germanisque fuit communis. Celtæ *roſtrum* vocabant, *Suetonio* teſte, *bec*. Quam vocem Galli & Germani ſervant. *Sel*, vel *Sael*, reſtat in lingua Anglo-Saxonum, ac denotat *bonum*. Anima itaque, præcipuum hominis bonum, merito ſecundum excellentiam a Celtis priſcis dicta eſt *Sele*. Servum Celtæ vocarunt *theow*. Cambri ſervum vocant *tywas*, ex *ty*, domus, & *was*, famulus. Videtur inde Celtica vox fuiſſe contracta. Ex voce *thev* orta eſt compoſita alia, quæ denotat idem ac *ſervire*, *thevnen*, ſeu *dienen*. Quapropter ſatis eſt probabile, lectionem *Silodunorum*, ſeu *Seldunorum*, præferendam eſſe *Solduriis*, qui vulgari lectione apud *Cæſarem* teruntur. Quantum vero ad gloſſema ipſum attinet, quod apud eundem contextui verborum invito intruſum ac interiectum fuit, non poſſumus, quin, illud ex *Nicolao Damaſceno* in marginem aſſumtum, ac in ſe in complexum orationis translatum fuiſſe, credamus. Sed hæc hactenus.

V.

V.

I. C. S.

EXPLANATIO INSCRIPTIONIS CUIUSDAM VETERIS.

I. Nota eſt Inſcriptio illa Bononienſis:

D. M.
AELIA LAELIA CRISPIS
NEC VIR, NEC MULIER,
NEC ANDROGYNA,
NEC PUELLA, NEC IUVENIS,
NEC ANUS,
NEC CASTA, NEC MERETRIX,
NEC PUDICA,
SED OMNIA,
SUBLATA
NEQUE FAME, NEQUE FERRO,
NEQUE VENENO,
SED OMNIBUS.
NEC COELO, NEC TERRIS,
NEC AQUIS,
SED UBIQUE, IACET.
LUCIUS AGATHO PRISCIUS,
NEC MARITUS, NEC AMATOR,
NEC NECESSARIUS,
NEQUE MOERENS, NEQUE GAUDENS,
NEQUE FLENS,
HANC
NEC MOLEM, NEC PYRAMIDEM,
NEC SEPULCHRUM,
SED OMNIA,
SCIT, ET NESCIT, CUI POSUERIT.

II. Satis celebres ſunt interpretationes *Richardi Witii*, *Ioannis Turrii*, *Franciſci Scoti*, *Nicolai Barnaldi*, *Andreæ Neſmondii*, *Ioannis Caſperii Gevartii*, *Octavii Boldonii*, *Marci Zuerii Bockshornii*, *Fortunii Liceti*, *Ovidii Montalbani*, *Aldrovandi*, *Achillis Voltæ*, *Zachariæ Pontini*, *Caroli Cæſaris Malvaſiæ*, *Chriſtophori Auguſti Heumanni*, *Franciſci Maſtrii*; & multorum aliorum. Sed nihilo minus novæ coniecturæ erit locus.

III. Nos quidem nihil addubitamus, quin *Ælia Lælia Criſpis* ſit Eccleſia, qualis fere his in terris eſſe ſolet. *Ælia* quidem acute nominatur. Etenim Hieroſolyma nomen hoc aliquamdiu habuit. Atqui urbs Hieroſolyma Eccleſiam olim ſæpe ſignavit, ut ex Scripturis ſacris abunde conſtat. Ne nunc illud memorem, quod ipſum *Æliæ* nomen, ſi originem ſpectes, divinum quiddam innuat. Nam, ſive ex lingua Græca id ducendum putes, ſol, quod ex *Macrobio* dudum liquet, omnium pæne Deorum numen deſignavit; ſive ex Hebraica repetendum exiſtimes, ne ſic quidem inanis erit ſuſpicio, propterea quod, ut ex *Catone* intelligitur, nomen Dei Hebraicum ſaltem in carminibus ſuperſtitioni ſerviebat. Neque familia illa Romanorum *Ælia* nullas appellationis huius rationes ſuppeditabit, ſi forte illuc reſpiciendum opineris. *Lælia* autem dicitur eccleſia propter celeberrimos *Lælii* illius mores, quorum in Chriſtianis merito requirimus imaginem. Etenim, ſublata ſapientiæ, virtutis, amicitiæ, opinione,

ne ipſum quidem Eccleſiæ nomen ſtabit. Eadem denique cur *Criſpis* vocetur, obſcurum vix eſſe poterit iis, quibus *Criſpi* fata in mentem venerint, falſo a noverca accuſati, falſo condemnati, iure tandem vindicati. Nam Eccleſiam quoque falſæ divexarunt accuſationes, falſæ condemnationes, quas tamen utrasque Deus ſuo vindicabit tempore. Nominis igitur ratio ita iam conſtituta eſt, ut, qui hoc ænigma interpretari ſunt conati, nihil tam probabile attuliſſe videantur. Hoc igitur freti auſpicio, ad interpretationem ſubſequentium ænigmatis verborum aggrediemur. *Ælia nec vir* eſſe dicitur, *nec mulier*. Belle, & ad noſtram coniecturam apposite. Nam civitas Dei, quæ uno capite, Chriſto, eſt ornata, & corporis Chriſti nomine honeſtatur, de ſententia ipſius *Pauli*, *nec vir eſt*, *nec mulier*, *Gal. III*, 28, ſed ex viris tamen, & mulieribus, & puellis, & iuvenibus, conſtat.

IV. Auctor Inſcriptionis fœminæ nomen dedit eccleſiæ, quia ſponſa Chriſti eſt eccleſia *Hoſ. II*, 21, *Eph. V*, 31, *Apoc. XXI*, 2, 9, *XXII*, 17. Caſta tamen non eſt, nec pudica, hæc ſponſa, ſi lubricam eius & naturalem & viciſſitudini obnoxiam conditionem ſpectes, & eam identidem propter imbecillitatem humanam a ſponſo deſciſcere memineris. Meretrix tamen non eſt, quia ſponſo reconciliata identidem, & gratia divina magis magisque ſublevata per eius exuperantiam caſtitatis honeſtatisque eximie condecoratur, ut ipſa quoque caſtiſſima eſſe videatur.

videatur. Nam veteris hominum ſtatus humaniſſime Deus obliviſcitur, nec mutato illorum animo inſtitutisque veteres labes exprobrat, *Ezech. XXXIII, 11, 12, Mich. VII, 18, 19, Hymn. XXXII, 1.*

V. Coetus huius membra alia aliis ſuppliciis excruciata occiderunt, & poſt mortem alia alibi ſuum ſortita ſunt locum. Nullum quidem mortis genus eſt, quod non alios Chriſtianos alibi ſuſtulerit. Eorum autem corpora cum miſere fuerint dilacerata & diſperſa; *ubique* iacere vere dicuntur.

VI. *Lucius Agatho Priſcius* auctor huius Inſcriptionis exiſtimandus eſt, ſive verum hoc eius nomen fuit, ſive commentitium. Dicitur autem nec *maritus* eſſe, nec *amator*, cum præſertim *amator* ſæpe hominem ſignet impurum, & a ſimplicitate caritatis Chriſtianæ alienum. Maritum quidem eccleſiæ præter Chriſtum nemo ſe dixerit ſanus. Neque magis amatorem ſe quisquam appellaverit. Cum enim eccleſiæ, his in terris degentis, membra multa ſæpe ſint peccatis contaminata; peccatis autem nemo non recte ſit offenſus & infeſtus; amatorem talium perſonarum nemo ſe temere profitebitur. *Neceſſarius* autem quanquam Latine is vocatur, qui, officii rationibus adductus, opera, conſilio, ſtudio, labore, amicis præſto eſt; tamen *Agatho* noſter, *neceſſarium* ſe eſſe, negat, cum maxima iam eccleſiæ pars cum Chriſto verſetur & verſatura ſit, cui ipſe præſto eſſe nec potuit, nec poterit.

VII.

VII. Idem *Priſcius* nec *mœrere*, nec *gaudere*, nec *flere*, dicitur. Cum enim ſingula cœtus Chriſtiani membra vitæ rationibus mirifice diſcrepent; profecto nec amoris, nec gaudii, nec mœroris, materia queunt eſſe promiſcue. Et, quia providentia divina *Priſcium* ab eccleſiæ, tum veteris, tum futuræ, inſpectione ſeiunxerat, nec gaudio, nec mœrore, nedum luctu, movebatur. Etenim præteriti temporis bona & calamitates vel gaudio, vel mœrore, excipere, ſerum erat, & futuri ſtatum prævidere haud poterat. Nulla igitur inſignior vel gaudendi, vel lugendi, ſuppetebat materia. Quoniam item acerbiſſimæ quæque vexationes ſtudium veri atque honeſti magis inflammant, quam reſtinguunt; hæſitat bonus animus & ambigit de lugendi ac lætandi facultate. Quo magis enim externa vis ſævit, eo magis interna pietatis probitatisque vis & conſcientia corroboratur, &, cum a malis hominibus victa creditur, victoriis potitur, ut gratulandi dolendique facultas propemodum æque deſit. Humanitas quidem, quæ dolorem exantlati laboris auget, eadem illa virtus eſt, quæ propter præmii cœleſtis ſpem omnem dolorem abiicit, quippe quem non modo compenſari, ſed præmiis etiam mirifice cumulari, præſcit.

VIII. Monumentum autem, quod cœtui illi Chriſtiano poſuerat auctor, moles fuit, pyramidis ſpeciem quoquo modo imitata, quæ ſepeliendi, item ut pyramides Ægyptiæ, locum daret. Magnifica quidem moles illa non fuit, ſi

artem

artem ſpectares; magnifica tamen ſatis, ſi ſitum ac naturam loci. Moles autem de operibus artis potiore quodam iure vulgo dici putatur. Multa quidem loca & opera ex alio atque alio loco conſiderata vel moles, vel pyramides, videantur, quæ ipſa tamen per ſe & aliis rurſus e locis ſpectata nihil molis, nec pyramidis, habere videntur.

IX. Et, quia monumentum idem, cum hæc Inſcriptio confingebatur, nondum cadavera hominum ſepulta continebat, & aliis item uſibus ſacratum erat, uti templa noſtra fere ſacrata ſunt, fidenter ſepulcrum eſſe negatur, quamvis etiam ſepulchrum eſſet, & eſſe deberet.

X. Sed *Priſcius*, cum neſciret, qui tandem forent ii, qui huc inferrentur, aut mole illa uterentur, quanquam hominum uſum facile prævidere poterat, & eum ipſe ſpectaverat, belle ait, ſe & *ſcire*, & *neſcire, cui monumentum iſtud poſuerit.* Scienter quidem loquitur tam inſcienter, uti inſcienter fecerat monumentum illud & ſcienter.

XI. Neque vero quemquam offendi velim literis D. M., quæ gentilium monumenta tam crebro inſigniunt. Certum eſt enim ex libris *Fabretti, Gruteri,* & aliorum, qui Inſcriptiones collegerunt, easdem a monumentis Chriſtianorum non magis abeſſe ſolere. Et, quoniam illæ *Deum Magnum* ſignare poſſunt, ſaltem in Chriſtianorum monumentis eum unum ſignare debent, propterea quod religio illorum præter unum Deum nihil auguſti, nec ſummo honore

digni,

digni, agnoſcit, non poterunt ex hic certe in aliam ſententiam detorqueri.

XII. Nam, quod caput eſt cauſæ noſtræ, Inſcriptio hæc a Chriſtianis profecta eſt, & eo quidem tempore proponi cœpit, cum iam dudum orbis terræ, & præſertim etiam Italia, religioni ſibi duxiſſet, religionis non eſſe Chriſtianæ. Inſculpta eſt quoque templo, cui convenientiſſima erat, & iure ſuo debita. Et, quia *eccleſiæ* nomen iam eo tempore ad *templa* quoque adhæſerat, auctori Inſcriptionis utraque vocabuli huius vis ante oculos obverſata videtur.

XIII. Ita igitur conſilium quoque ſcriptoris perſpectum nobis eſt & exploratum. Quando ergo nihil eſt totius Inſcriptionis, ad quod non quadret noſtra interpretatio; eruditi iudicent, an operæ pretium fecerimus.

VI.

VOCES ALIQUOT LATINÆ, QUÆ IN LEXICIS VULGARIBUS FRUSTRA QUÆRUNTUR, EX PRISCIS AUCTORIBUS COLLECTÆ A FRID. OTTONE MENCKENIO.

PARS II.

LECTORI S. P. D. F. O. MENCKENIUS.

QUam nuper ingreſſi ſumus, nunc, age, & tanti putas, Lector, proſequamur viam. Nec, quod futuri fortaſſe ſunt nonnulli, qui, ad

ad vocabula nos rediiſſe; tanquam ad nuces, dicant, id tantum apud nos habeat ponderis, ut conſilii, ſatis per ſe honeſti, & ni fallor, utilis, nos pudeat. Nuper ex arcula noſtra voces gentiles atque patronymicas expromſimus; nunc, ſi quid nobis aliorum, quocunque appellentur nomine, vocabulorum collectum olim ex Scriptoribus antiquis, ſervatumque ad poſteritatis uſum diligenter, fuit, in commune hoc conferamus. Sunt hæc varii generis, ſive formam & ſtructuram, ſive pretium & dignitatem, ſpectes. Alia officinam boni artificis redolent, & ipſo meliorum Auctorum uſu proba ſunt; alia ſecum natas ſordes circumferunt, nec macula ætatis carent, a *Tulliano* ævo longius remotæ. Et in hoc quidem numero, non abnuerim, ea ſuo eſſe merito habenda, quæ uni uſurpata *Caſſiodoro*, vocum non optimarum architecto, vides, ſed quæ notari tamen diligenter in vulgaribus Latinæ linguæ Lexicis, etiam in illo *Fabri*, ſolent. Dedi igitur his etiam colligendis vocibus non omnino nihil operæ, partim quod cauſam non viderem, cur hæ minus nominandæ ſint in Lexico, quam eiusdem furfuris tot aliæ, magno numero a *Fabro* nominatæ, partim ut hæc etiam vocabula, a quibus abſtinendum putant ſermonis purioris ſtudioſi, ad verum auctorem ſuum referrentur, &, qui noſtra ætate hoc elegantiarum genere, tanquam gemmis quibusdam, exornare ſolent libellos ſuos, eum nominare, a quo tantum profecerint, Scriptorem ſcirent. Sed, utcunque de his exiſtimetur, maiorem utique Lectori uſum ſpondet earum vocum cognitio,

gnitio, quæ a melioris ævi præſtantiſſimis Au-
ctoribus, *Cicerone*, *Livio*, & horum ſimilibus, ſunt uſurpatæ; quales mihi tanto numero colligere hic licuit, ut Lectori, cogitanti inprimis, quantum a doctiſſimis viris in augendo *Fabri* Lexico laboris ſit conſumtum, immenſo illi mari tantum a me addi aquarum potuiſſe, futurum valde mirum videatur. Atque in his plurimæ ſunt eius generis, ut, de harum integritate dubitare, nemini in mentem unquam venerit; ceteræ, ſi auctoritatem aliqua ex parte habent dubiam, vel ideo tamen, quod non certo conſtet, eſſe barbaras, dignæ, quæ nominentur, viſæ ſunt. Tu, ſi, Lector, oculos acutos huc attuleris, videbis facile, ex omni hac vocabulorum ſupellectile, quæ, quod ſpecie & ornatu placeat, aut animum legentis paſcat, parum habet, non omnino nihil commodi exſpectari bonis literis poſſe; quibus ſi attuliſſe incrementi aliquid hoc meo tenui labore dicar, maioris hoc ipſum, quam lautiſſima quæque ſtipendia, æſtimabo.

ACCEDENTER. Barbaram, per me licet, vocem dicas, & Latina civitate indigniſſimam; ſed qua uſum tamen *Caſſiodorum* vides, Scriptorem, cuius voculæ complures in Lexico leguntur. Habet is Comparativum *accedentius* in *Prologo* libri *de Amicitia*, quem, ſunt, qui tribuant *Petro Bleſenſi*, ſed *Caſſiodoro* rationibus haud infirmis vindicavit *Io. Bernh. Zinzerlingus* in *Præfatione*, editioni huius libri, quæ

 prodiit

prodiit Roſtochii A. 1664, 8, præmiſſa. In huius igitur libri *Prologo* ita *Caſſiodorus* §. 16: *Mortalis eſt hæc amicitia, quæ, quanto* accedentius *conſentanea cupiditati, tanto longius eſt a palatio amicitiæ relegata:* &c. Docet autem ipſe verborum ſenſus, *accedenter Caſſiodoro* idem valere, quod *prope*, & verba: *quanto accedentius conſentanea cupiditati*, ita debere explicari: *quanto propius accedit ad cupiditatem, & quanto magis ei eſt conſentanea.*

ACTUM, *Subſt.* Ignorat ſingularem numerum *Faber* æque ac *Stephanus*; quorum uterque pluralem tantum, *Acta*, habent. Fieri igitur poteſt, ut, qui illis utuntur magiſtris, vocem hanc in earum numero ponant, quarum ſi numerum ſingularem in oratione adhibeas, nemo ſit Scriptorum veterum, cuius te auctoritate tuearis. In quo rectiora te doceri ab ipſo *Cicerone* patiaris, habente numerum vocis ſingularem in *Or. Phil. I cap. 7*: *Ecquid eſt, quod tam proprie dici poſſit* actum eius, *qui togatus in republica cum poteſtate imperioque verſatus ſit, quam lex?* Debere enim hic non neutrum Participii, ſed ab hoc ipſo formatum Subſtantivum, intelligi, ſatis ex adiuncto ei caſu gignendi patet. Plura exempla deſideras? At minime diſſimulare hic licet paupertatem meam. Itaque hoc facile dederim *Fabro* meo, multo uſitatiorem pluralem, quam ſingularem, eſſe numerum; modo illi viciſſim *Tullii* auctoritas ſufficiat ad id, ut, cognitum Latio fuiſſe ſingularem numerum, agnoſcat mecum.

ADAE-

ADACQUISITIVUS, *a*, *um*. En monſtrum vocis, natum in *Caſſiodori* fabrica, pleniſſima eiusmodi vocabulorum, quæ, ſi nominari, non ideo etiam commendari, mereantur. In libri, quem paulo ante dixi, *de Amicitia cap. XIA* §. 8 hæc lego: *iſtis tamen & vera miſeria præcavetur, & vera beatitudo acquiritur: nimirum paupertas regni cæleſtis* adacquiſitiva *eſt*. Ita exſcripta ſunt verba a *Petro Broſſeo* in illa, quam eius curæ debemus, Operum *Caſſiodori* editione; a quo diſcedit *Io. Bernh Zinzerlingus*, pro *adacquiſitiva* legens *acquiſitiva*. Hunc ne ſequar, illud facit, quod mutationis ipſe ſuæ rationem non adiecerit; de *Broſſeo* autem ſatis conſtet, hunc in edendo Codices antiquos & fide dignos ſecutum. Certe, ſi indignam *Caſſiodoro* talem vocem, quæ ſit ex duplici *ad* compoſita, putavit *Zinzerlingus*, æquius cum Scritore hoc egit, quam ipſe ſecum velit agi, cui, in formandis vocibus ad leges veterum ſe componere, non fuit in more poſitum. Ceterum, ſive *adacquiſitivus*, ſive *acquiſitivus*, legas, neutri voci quidquam peti præſidii ex Auctoribus antiquis poteſt.

ADMINATIO. Non infelici coniectura vocem hanc *Caſſiodoro* reſtituit *Io. Bernh. Zinzerlingus*, in loco libri *de Amicitia cap. 5* §. 9: *Si ergo fidem amici experiri volueris, non ei prius tui cordis arcana committas; ſed aliqua exteriora, & modica, de quibus non magnum emergat diſpendium, ſi fuerint revelata, & ea nihilo minus ſub ea conditione &* adminatione *terribili credas, ac ſi obeſſent prodita, & celata prodeſſent.*

ſent. Qui locus cum ita olim in editione Genevenſi, Aurelienſi *Broſſei*, & pleriſque omnibus, exſcriptus eſſet, ut pro *adminatione* legeretur *admiratione*; primus voci corruptiſſimæ, quippe quæ locum hic habere minime omnium poſſet, medelam adhibuit *Zinzerlingus*, leviſſima mutatione literam *r* in *n* convertens, & ſic vocem effingens, quam, ſi nemo veterum Auctorum, at lubenter *Caſſiodorus*, in ſtructura vocum novitatem amans, ſuam agnoſceret, cuius etiam accommodatiſſima ad mentem Auctoris ſignificatio eſſet. Nimirum, ſi analogiam ſpectes, non minus huic *adminatio*, quam *comminatio*, reſpondet; eſtque eadem harum vocum ratio, *quæ* ſimilium *adhortatio*, *cohortatio*, auctoritatem ſuam ex ipſo *Tullio* petentium. Multo autem rectius menti *Caſſiodori* convenire vocem *adminatio*, quam *admiratio*, quilibet, etiam me non docente, intelligit. Sed, ſi durum putes, vocem barbaram, certe melioris ætatis ſcriptoribus non uſurpatam, in locum vere Latinæ reponere, reiecto *adminatione*, facile patiar, *adiuratione* legi, eiusque lectionis auctoritatem a *Petro Bleſenſi*, imitatore *Caſſiodori*, præberi, qui in ſuo *de Amicitia* libello, ut alia *Caſſiodori* multa, ita ipſiſſima hæc verba, habet, ſed pro *admiratione terribili* ponens *adiuratione*, non addito *terribili*; qua, *Apuleio* uſurpata, voce non ineleganter *Caſſiodorus* expreſſiſſe putari poteſt mentem ſuam. Potuiſſe autem, librariorum vitio, facillime tranſire *admirationem* in locum *adiurationis*, ipſa ſtructura vocum, & literarum forma, docet.

ADVOCA-

ADVOCATA, *Subſt.* Non huius vocis indicium *Faber* facit, ſed quæ mihi eodem iure videtur Latio ſe vindicare, quo *amica*, *patrona*, & his ſimiles non paucæ. Sunt enim in promtu mihi loca *Tullii*, in quibus, cauſam non video, cur malis participium præteriti paſſivi, quam Subſtantivum, agnoſcere. Ex variis, olim mihi inter legendum obſervatis, ſed quorum aliqua nunc invenire non licet, hæc dabo ex *Tuſc. Diſp. Lib. IV cap. 23.* *Non igitur deſiderat fortitudo* advocatam *iracundiam. Satis eſt inſtructa, armata, parata per ſeſe.* Nihil intellectu facilius, quam *advocatam* hic dici eam, quæ *aſſiſtit officii cauſa*, *&*, *ut inſtructior, armatior, paratior, ſit fortitudo, efficit*; ſicut advocati inſtruere in iudicio, armare, parare, clientes ſolent. Concinnus igitur verborum ſenſus, ſi Subſtantivo hic locum facias; ſin Participium accipias, hoc videris efficere, ut, aut voce uſus prorſus inutili, (nihil enim hac exprimitur, quod non ſine ea poterat intelligi,) aut *advocatam* poſuiſſe pro *advocandam*, ſecus ac conveniat Latinæ linguæ rationi, *Tullius* dicendus ſit. Similis locus eſt *Lib. IV Acad. Quæſt. cap. 27. Sed adhibet artem* advocatam *etiam ſenſibus. Pictor videt, quæ nos non videmus: &, ſimul inflavit tibicen, a perito carmen agnoſcitur.* Nihil hic me prohibet, quin, translato ſenſu *advocatam* dici eam, mihi perſuadeam, quæ *auxilium præbet ſenſibus, ut audire melius, acutius videre, &c. poſſint*; quod ipſum artis munus eſſe, ipſe pluribus *Cicero* docet. Ita viſm aliquam

& acumen habent verba *Tullii*, in quibus elegantiæ huius nihil eſt, ſi participium paſſivi in voce *advocata* agnoſcas, & ſimplicem verbi *advocare* notionem hic accipias. Maiorem, ſi recte memini, ad probandum id, quod poſui, vim habent cetera, olim mihi lecta, *Ciceronis* loca, ſed quæ ſupplenda iis relinquo, quibus memoria hæc, quam mihi, ſunt feliciori cuſtodita.

ALARIUS, *Subſt.* Qui Lexica condiderunt, nomen Adiectivum fecerunt *alarius*, non item Subſtantivum. In quo ne ſatis ab his factum accurate dicam, illud me movet, quod varia exſtent veterum Auctorum loca, in quibus aut abſolute, non addito Subſtantivo, poſitum hoc nomen, aut additum ei, ex ratione Subſtantivorum, Adiectivum eſt. Et quidem abſolute poſitum habes in *Livii Lib. XXXV cap. 5: Obſtabant duces, haſtilibus cædentes terga trepidantium, & redire in ordines cogentes: ſed interequitantes* alarii *non patiebantur;* ubi, ſi dicas, per ellipſin omiſſum eſſe *equites*, ex te quærere liceat, cur *amicus*, aut *inimicus*, facias Subſtantivum, nec in omnibus, quæ habent voces illas, Auctorum locis ellipſin τοῦ *hominis*, aut vocis ſimilis, accipias. Si negare non potes, eſſe hic nomini *alarius* virtutem Subſtantivi; mihi quidem hoc ſatis eſt ad id, ut voci huic natura Subſtantivi tribuatur, aut, quod idem eſt, ut Subſtantivum dicatur. Sed nunc aliqua etiam ex iis locis accipe, quæ coniunctum hoc nomen cum Adiectivo oſtendunt. Hoc modo *Tacitus*

Annal.

Annal. Lib. XV cap. 10: Expediri tamen itineri ſingula millia ex tribus legionibus, & alarios octingentos: *parem numerum e cohortibus iuſſit*; & *Caeſar de Bel. Gal. cap. 51: Poſtridie eius diei Caeſar, praeſidio utrisque caſtris, quod ſatis eſſe viſum eſt, relicto*, omnes alarios, *in conſpectum hoſtium pro caſtris minoribus conſtituit, quod minus multitudine militum legionariorum, pro hoſtium numero, valebat, ut ad ſpeciem* alariis *uteretur*; ipſe denique *Tullius Lib. II ad Diverſ. Ep. 17: Quod autem meum erat proprium, ut* alariis Transpadanis *uti negarem, id etiam* &c.

ALIUSVIS. De voce hac quae dicta a me ſunt in *Miſcellaneorum Nov. Vol. I P. III pag. 518 ſeq.* forte adhuc meminiſti, Lector. Illis, nunc, quae addam, pauca habeo. Mihi, ſi quid ſentio, vocula haec finibus antiqui Latii non videtur proſcribenda. Quod ad formam eius & compoſitionem attinet, non in ea plus eſt maculae, quam in ſimilibus *quivis, utervis*, quae ſunt probatiſſimis Auctoribus non ſemel aut bis, ſed ſaepiſſime, uſurpatae. Nec de ſignificatione laborabis, ſi, quid notent *quivis* & *utervis*, non ignoras. Cum compoſita ſit vocula ex *alius* & *velle*, per ſe patet, idem eſſe, ac *alius, quem velis, alius quicunque*. De uſu autem ſi requiras, hunc ex loco diſce *Tullii Lib. VIII ad Attic. Ep. 4: Cui qui noſter honos, quod obſequium, quae etiam ad ceteros contempti cuiusdam hominis commendatio defuit? ut, meum iudicium reprehendi a Quinto fratre, vulgoque ab omnibus mallem, quam illum non efferre laudi-*

bus; Ciceronesque noſtros meo potius labore ſubdoceri, quam me aliumvis *magiſtrum quærere.* Conſentiunt in hac lectione MSti omnes Codices; nec quidquam hic mutandum Editores duxerunt, qui conſtanter illud *aliumvis* habent. Unus autem *Grævius*, nulla, niſi, quod ferre non poſſet auribus ſuis peregrinam vocem, ratione adductus, nec Codicis alicuius fidem ſecutus, divellere illud *aliumvis*, & ex voce una duas, *alium vis*, facere, non dubitavit, ita legens verba: *quam me* alium vis *magiſtrum quærere*. In quo illud primum reprehenſione non caret, quod, reiecta Codicum vetuſtiorum auctoritate, falcem criticam in locum integrum, & mendi habentem nihil, immiſit, ſatisque idoneam hanc emendandi cauſam putavit, quod nemo Scriptorum præter unum *Tullium*, nec is niſi ſemel, uſus ſit hac vocula: quam ſi valere rationem putes, nemo non videt, ſexcentis locis emendandum fore *Tullium*, de quorum emendatione nemo unquam interpretum, nec ipſe quidem *Grævius*, cogitavit. Deinde, ſi ita intelligit hæc verba *Grævius*, ut *Atticus* voluerit alium a *Tullio* ſuis, quos vocat, *Ciceronibus* magiſtrum quæri, multum huic coniecturæ ipſe verborum contextus repugnat, quo inſpecto, nemo facile negaverit, ſuum hic, non *Attici*, a *Tullio* iudicium explicari. Valeat igitur *Grævius* cum medicina ſua, quam aut non expetit *Tullius*, aut, ſi expetat, certe adhibiturus fruſtra videtur. Si quis tamen Criticorum ſenatus, emendari hunc locum, ſevere imperet, tunc ego in libera hac

republica

republica *Graviana* facile prætulerim: doctiſſimi Clariſſimique *Heumanni* coniecturam, qui, lectis iis, quæ nuper in *Miſcellaneis* his ſcripſeram, videri ſibi in loco hoc *Tullij* pro *aliumvis* legendum *alium iis*, amice per literas me docuit. Quæ, ut facile acumen illud *Heumannianum* redolet, nec quidquam duri, aut quod repugnet menti *Ciceronis* habet, emendatio, ita inter eas, quarum, ſi quid emendari debeat in loco *Tullii*, maxime ſit ratio habenda, principem, meo iudicio, tueri locum poteſt.

AMBIGUOSUS. *Caſſiodori* vocem damus, & ob id in Lexico notandam. Sic enim ille in *Prologo* libri *de Amicitia*: *Amicitia ſiquidem ipſa ſui cauſa eſt: ipſa ſibi merces eſt, & longe infra fines amicitiæ amor ille ſubſiſtit, quem exſpectatio* ambiguoſa, *vel ſpes quæſtuaria, antecedit.* Ita habent editiones omnes, etiam illa *Zinzerlingi*, emendatiſſima, ni fallor, omnium. Poſſit autem, ut pro *ambiguoſa* legat *ambitioſa*, facile lectori perſuadere *Petrus Bleſenſis*, imitator *Caſſiodori*, cuius in libro *de Amicitia* hæc ſunt verba: *Et longe citra fines amicitiæ amor conſiſtit, quem* ambitioſa *exſpectatio antecedit.* Nimirum hic *ambitioſus* eo adhibetur ſenſu, quo *Cicero* dixit *Lib.* I. *ad Att. Ep.* 15: *Illa* ambitioſæ *noſtræ fucoſæque amicitiæ ſunt in quodam ſplendore forenſi*: & in *Or. pro Flac. cap.* 42: *Qui ita ſit* ambitioſus, *ut omnes vos quotidie perſalutet*. Ita *ambitioſa amicitia* dicitur, quæ *quaſi honores ambit*, *& multa commoda ſectatur.* Quam facile autem fieri potuerit, ut *ambitioſa*,

 librario-

librariorum vitio, in *ambiguoſa* tranſiret, omnes vident. Interim ſervanda eſt antiqua lectio, quippe quam, ut dixi, conſtanter habent editiones omnes; fierique adeo poteſt, ut *ambiguoſam exſpectationem* per *dubiam* interpreteris.

AMICABILITER. Ad voces barbaras Adverbium hoc *Voſſio* reiicitur *de Vit. Serm. Lib. IV cap. 31*, nec ego quidem hoc numero exemtam volo. Hoc unum moneo, ſex, & quod excedit, Seculis antiquiorem eſſe voculam, quam perſuaſum *Voſſio* fuit, qui primo eam *Petro de Vineis* tribuit, Seculi XIII Scriptori. Scilicet incognitus ei fuit *Caſſiodori*, qui Seculo, ut omnes norunt, ſexto vixit, locus in libri de *Amicitia cap. 3: Talem, quamdiu certa eſt affectio, patienter expedit tolerare, & exceſſum verbi aut operire blande corrigendo, & benigne docendo, vel diſſimulare patienter, vel* amicabiliter *indulgere.* Ubi idem eſt *amicabiliter*, quod *amice*; vel *amicabili modo.*

ANAPÆSTUS, *a, um.* Bene feceris, ſi in *Theſauro Fabri* deleas vocem *Anapæſticus*, & in locum huius reponas Adiectivum *Anapæſtus.* Sunt enim, quæ *Faber* ad firmandam vocem *Anapæſticus* attulit, ita comparata duo illa *Ciceronis* loca, ut, ſi Codicum probatiſſimorum lectionem ſequaris, hanc potius, quam poſui, vocem, quam alteram *anapæſticus*, tueantur. Alter locus eſt *Lib. III Tuſc. Diſp. cap. 24: Nec ſiletur illud potentiſſimi regis* anapæſtum, *qui laudat ſenem, & fortunatum eſſe dicit*, &c. Hic *Lambino* pro *anapæſtum* viſum eſt legere *anapæſticum*, ſed invitis Codd. MStis, certe iis, qui

optimi

optimi & antiquiſſimi habentur. *Daviſius*, qui illam *Lambini* lectionem inventam ſibi in duobus Elienſibus Codd. teſtatur, *aliis*, addit, *MStis potius crediderim*. Nec quod ſciam, Editorum *Ciceronis* unus eſt, qui cum *Lambino* faciat, nec in loco illo *anapaſtum* legat. Eſt autem hoc *anapaſtum* idem, quod *metrum*, aut *carmen*, *anapaſtum*; niſi malis in Subſtantivis habere *anapaſtum*, id quod minime abnuo. Alterum *Ciceronis* locum habes in *Oratore cap. 56: Elegit ex multis Iſocratis libris triginta fortaſſe verſus Hieronymus, Peripateticus inprimis nobilis, pleroſque ſenarios, ſed etiam* anapæſta &c. ubi idem, quem dixi, *Lambinus*, neſcio qua fide, pro *anapæſta* legit *anapæſticos*, ſed quem vix unus & alter, ſive ex vetuſtioribus, ſive ex recentiſſimis, editoribus, ſecutus eſt, quod plurimi, iique meliores, Codices haberent *anapæſta*, intellige *carmina*. Itaque, ſi voci *anapæſticus* non aliunde, quam ex duobus his *Ciceronis* locis, peti auctoritas poſſit, non video, quo iure huic locum *Faber* in *Theſauro* dederit. Maiori autem iure vindicare ſe Latio videtur adiectivum nomen *anapæſtus*, quippe quo uſus eſt *Cicero* non in his tantum, quæ dedi, locis, ſed in alio etiam *Lib. II Tuſc. Diſp. cap. 15: Quorum* (Spartiatarum) *procedit mora ad tibiam, nec adhibetur ulla ſine* anapæſtis pedibus *hortatio*, &c. Nec mihi eſt dubium, quin in multis, ſive *Tullii*, ſive aliorum Auctorum, locis, ubi abſolute *anapæſtus* legitur, intelligendus ſit *pes*, huiusque vocis eadem ſit ratio, quæ tot aliarum, quas origine adiectivas

adiectivas eſſe, ſed deinde per ellipſin frequentem degeneraſſe in Subſtantiva, conſtat. Certe Græcis, a quibus Romani mutuo acceperunt hanc vocem, Adiectivum eſſe *ἀνάπαιστος*, varia Auctorum loca docent: *Athenæi Lib. IV: ἐν ῥυθμῷ μὲν ἀναπαίστῳ*, &c. & *Luciani Tom. I pag. 17 ed. Græv.: Ἀναπαίστοις μέτροις ὑποχυμένη τὰ πολλά.* Sic etiam *Plutarcho in Pericle* neutro genere *ἀνάπαιστα*, eodem modo, quo *Tullio* Latine *anapæſta*, dici, *Henr. Stephanus in Theſauro Græcæ linguæ* teſtatur.

ANCILLATUS, *Subſt.* Peregrinum caſtis auribus nomen habes, ſed quo uti non dubitavit *Caſſiodorus* in libri *de Amicitia cap. 22: Cumque ille angelus transfuga & emanſor deinde deteſtabilem peteret* ancillatum, *Chriſtus litem, contrate poſitam, ſuam fecit*, &c. De ſignificatu vocis ſi requiras, ex ipſo verborum contextu patet, *ancillatum* idem eſſe *Caſſiodoro*, quod *ſervitus*, & *petere ancillatum* idem, quod *tradere ſe in ſervitutem.* Bonum, & quod æque probari poſſit, ac *dominatus*, vocabulum, ſed cuius nullum eſt apud ſcriptores veteres veſtigium.

ANDRONIUS, *a, um.* Subſtantivum *Andronium* ponitur a *Fabro*, neglecto adiective, quod maiorem in Scriptoribus antiquis auctoritatem habet. Nam, quod interdum abſolute legitur *Andronium*, id elliptica fit ratione, omiſſa voce *medicamentum*, quam plerique addunt. Ita enim *Scribonius Largus Compoſ. med. cap. 88 §. 225: Facit & Andronium medicamentum,*

quod

quod initio poſuimus, ad condylomata vino dilutum bene; & *Celſus Lib. VI cap.* 14: *Eſt etiam* medicamentum *huic aptum, quod* Andronium *appellatur*, &c. Nec alia vocis ratio apud Græcos eſt, &, *ἀνδρώνιον κυκλίσκον*, *paſtillum Andronium*, *Galeno* dici, docet me *Henricus Stephanus* in *Theſauro Græcæ linguæ*, qui & recte hoc addit, *ἀνδρώνιον* eſſe idem, ac τὸν τοῦ Ἄνδρωνος. Eſt enim ortu & natura ſua poſſeſſivum hoc nomen, dictum a quodam, ni fallor, Medico, cui nomen *Andronis* fuit. Inde eſt, quod hoc ipſum medicamentum vocari interdum *medicamentum Andronis* ſolet, ut hæc docent *Scribonii Largi Compoſ. med. cap.* 13 *§.* 63: Medicamentum Andronis *prodeſt in omni parte corporis facto cancro*; & alia *Celſi Lib. V cap.* 20 *§.* 4: Andronis (paſtillus) *vero eſt ad uvam inflammatam*, &c. eiusdemque hæc *Lib. VI cap.* 18: *Si vero ulcus latius atque altius ſerpit, eodem modo elui debet: imponi vero aut ærugo, aut omphacium cum melle, aut* Andronis compoſitio, &c.

ANDRONICUS, *a, um*, Vim & ſignificationem, quam modo dictum *Andronius*, eandem *Andronicus* habet, iungiturque cum voce *medicamentum* a *Scribonio Largo*, cui, quod ſciam, uni uſurpatum eſt id nominis *Compoſ. med. cap.* 98 *§.* 248: *Ad utrumque autem genus vitii mirifice* medicamentum Andronicum *facit.*

ANIMANS, *Adiect.* Si *Fabrum* ſequaris, inter Subſtantiva locum occupat hoc nomen, non

item

item inter Adiectiva. At meliora Lectorem docebunt, ut iam alios Auctores taceam, vel tria unius *Ciceronis* loca, in quibus, nemo facile neget, adjectivi naturam habere hoc nomen, idque omne, quod *eſt animo & mente preditum*, notare. Habes horum primum *Lib. I de Nat. De. cap. 43: Tum enim cenſet, imagines divinitate præditas ineſſe univerſitati rerum: - - tum* animantes imagines, *quæ vel prodeſſe nobis ſolent, vel nocere:* &c. Alter eſt *eod. Lib. cap. 44: Quæ enim poteſt eſſe ſanctitas, ſi Dii humana non curant? Quæ autem* animans natura, *nihil curans?* Tertium legis *de Nat. De. Lib. II cap. 30: Quo conſtituto, ſequitur, ab* animantibus principiis *eam* (naturam) *eſſe generatam.* Nec quisquam in his locis illud *animans* pro participio verbi *animare* accipiat; quod ſi eſſet, non haberet ſignificationem eius, quod eſt *præditum anima*, ſed eius potius, quod *aliis animam tribuit.*

ANNIVAGUS, *a, um.* Incertæ auctoritatis vocabulum eſt, ſed non ideo excludendum Lexico, in quo dubia etiam nominari, vel ob id bonum eſt, ut inquirere in horum integritatem ſagaciores quique lectores poſſint. Eſt locus in *Ciceronis Lib. II de Nat. De. cap. 27: Itaque, ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam, ſic apud noſtros Iunonem Lucinam in pariendo invocant: quæ eadem Diana* omnivaga *dicitur, non a venando, ſed quod in ſeptem numeratur tanquam vagantibus.* Ita leguntur verba in editionibus non vetuſtiſſimis tantum, ſed *Daviſii* etiam recentiſſima,

centiſſima, qui, ita habere libros omnes MStos, teſtatur. Inde etiam factum, ut voci omnivagus locum in *Theſauro* ſuo *Faber* dederit, nec de huius integritate quidquam dubitaverit. Primus autem pro *omnivaga* legendum in hoc loco *annivaga* docuit *Hadr. Iunius* in *Animadv. Lib. IV cap. 20 pag. 246 ſeq.* eiusque lectionis præſidium inveniſſe ſibi viſus eſt in *Valerio Probo*, Seculi primi, aut, quod alii volunt, ſecundi, Grammatico, in cuius libris ita exſcripta *Tullii* hæc verba ait: *Itaque, ut apud Græcos Dianam, eandemque Luciferam, ſic apud nos Iunonem, in pariendo invocant, quae eadem Diana* annivaga *dicitur, non a venando, ſed quod in ſeptem vagatur, tanquam venatibus.* Cuius Grammatici, quippe vetuſtiſſimi, & ab ætate *Tullii* haud adeo longe remoti, cum ſit magna, & eſſe utique debeat, apud homines eruditos auctoritas; ita ſe probavit hæc emendandi ratio *Lambino*, *Grutero*, *Bruto*, & nuper demum *Verburgio*, ut, nihil curantes fidem membranarum, in quibus eſt *omnivaga*, in ſuis *Ciceronis* editionibus exſcribendum curarent *annivaga*, hancque lectionem illa altera longe meliorem iudicarent. Ego vero, quid hic decernam, fere neſcio. Nam, ſi fides utique habenda veteri Grammatico putetur: in quo nihil diſſentio; habet tamen etiam momenti plurimum conſenſus veterum librorum, quos eodem omnes librariorum eſſe vitio corruptos, vix impetrare a me, ut credam, poſſum. Sane facilius creditu eſt, ipſum *Probum* incidiſſe in corruptum *Ciceronis* Codicem,

quam

quam, quicunque ad ætatem noſtram pervenerunt, corruptos ad unum omnes eſſe Codices. Quid vero, ſi illi etiam Codices, unde exſcriptus ipſe *Probus* eſt, non ſatis ſcripti emendate putentur, & aliter hæc *Tullii* verba dediſſe hic Grammaticus, ac eſt in eius Codicibus, dicatur? In his *Probi* libris cur accuratiores, quam in illis *Tullii*, fuiſſe librarios, exiſtimes, cauſæ nihil video. Eſt autem, quo mihi ſcrupulus inicitur, illud inprimis, quod quantumvis diligenter evolventi illius *Probi Inſtitutionum Grammaticarum Libros duos*, qui ſunt ab *Elia Putſchio* inter *Grammaticos veteres* editi, nihil invenire loci huius *Ciceroniani* licuit, ut, ſatisne vere hæc res omnis ſit a *Iunio* relata, mihi vel maxime ſit dubitandum. Non ignoro, quam iniquum ſit, viri tam boni, tamque docti, fidem in dubium vocare; at mihi tamen hoc, velim, credat Lector, non mihi inventa in libris *Probi*, quæ inveniſſe ſe *Iunius* ſcribit. Exſtare autem alios huius *Probi* libros, quam quos *Putſchius* edidit, equidem non memini. Adhuc igitur, dum mihi locum illum oſtendat aliquis in *Probo*, eo inclinat animus, ut *Ciceronianum* putem *omnivagus* vocabulum; at, cum ita aliquando res ceciderit, ut, legi illa in *Probo*, hiſce meis oculis poſſim credere, tum omne huius rei iudicium me ipſo doctioribus permittam, ne temere quid ſtatuam in re, cuius ea eſt ratio, ut in partem utramque poſſit diſputari. Hoc mihi vere videor affirmare poſſe, ſive *omnivagus*, ſive *annivagus*, legatur, utriusque vocis ſtructuram & compoſitionem

poſitionem Latinam eſſe; utramque etiam accommodate ad mentem poſſe *Ciceronis* explicari. Nam, quod ad alteram *omnivagus*, nihil hæc habet, quod magis offendat delicatas aures, quam ſimiles, *omnifer*, *omnigenus*, *omniparens*, *omnipotens*, *omnivolus*, *omnivorus*; nec in altera *annivagus*, quod reprehendas, ſi *Plinianam annifer* ferendam putas, quidquam eſt. Præterea, ſi locum ipſum *Tullii* inſpicias, videtur *Diana*, inter ſidera collocata, tueri poſſe utrumque nomen, ſive *per omnes cæli terrave partes vagantis*; ſive *per annum integrum huc & illuc errantis*. Nam, quod *Tullius*, ideo vocari *omnivagam*, aut *annivagam*, *Dianam*, dicit, quod *in ſeptem numeretur tanquam vagantibus*, id magis pertinet ad id, ut, cur *vagari* dicatur Diana, ſcias, quam ut rationem adiuncti *omnis*, aut *anni*, intelligas.

ANTEFIXUM, *Subſt.* Adiectivo nomini *Antefixus*, quod eſt in Lexico notatum, vellem, addidiſſet *Faber* Subſtantivum *Antefixum*, aut, ſi uſitatius plurali numero putetur, *Antefixa*, atque huic ipſi accommodaſſet illa loca *Livii*, quæ ad firmandum Adiectivum attulit. Nimirum *ornamenta* illa *ædium fictilia*, *quæ ſub ſtillicidio collocabantur*, *antefixa* dici antiquis ſolebant. *Feſtum* auctorem habeo; ita hæc explicantem: Antefixa, *quæ ex opere figulino tectis affiguntur ſub ſtillicidio.* Bene notandum, ſub ſtillicidio locari ſolita hæc *antefixa*, atque adeo diſtincta fuiſſe ab illis ornamentis, quæ in ipſo ædium faſtigio, & ſuprema harum parte, reponi ſolebant,

de quibus *Vitruvius Lib. III cap. 2: In Aræoſtylis autem nec lapideis, nec marmoreis, epiſtyliis uti datur, ſed imponendæ de materia trabes perpetuæ: & ipſarum ædium ſpecies ſunt barycæ, baricephalæ, humiles, latæ, ornantque ſignis fictilibus, aut æreis inauratis, earum faſtigia, Tuſcanico more, uti eſt ad circum maximum Cereris & Herculis, Pompeiani item Capitolii;* ex quo loco *antefixorum* rationem perſpicue cognoſci, temere ſibi perſuaſit *Andr. Dacerius* in *Nota ad l. c. Feſti.* Vix aliunde melius, quam diſcrepent inter ſe hæc ornamentorum genera, cognoſces, quam ex loco *Livii Lib. XXVI cap. 23: In æde Concordiæ Victoria, quæ* in culmine erat, *fulmine icta, decuſſaque, ad Victorias, quæ* in antefixis *erant, hæſit, neque inde procidit.* Steterat nempe Victoria in faſtigio ædis, cum aliis forte ſignis, quibus ornari culmina ſolebant; at, fulmine icta, procidit in eum locum, qui erat ſub ſtillicidio, *antefixis* decoratus. Dedimus verborum *Livii* probatiſſimam lectionem, quam & Codices optimi, & Editorum doctiſſimi quique, *I. F. Gronovius, Dukerus, Drakenborchius,* & *Salmaſius ad Peſcen. Nigr. cap. 12,* tuentur. Ad hos proxime accedit *Lipſius,* qui *in antefixo* legit in *Quæſt. epiſt. VII.* Sed corruptius alii, *quæ ibi antefixa erant,* alii, *quæ in arce fixæ erant,* alii, *quæ inante fixa erant.* Taceo ceteras Codicum quorundam lectiones, manifeſto vitio laborantes, quas diligenter annotavit *Drakenborchius.* Huic *Livii* loco *Notam* ſubiecit *Dukerus,* ſcriptam inprimis adverſus *Salmaſium,*

ſed

ſed qui, meo iudicio, nihil minus merebatur. Nam, quod, hunc in *Notis ad Spartiani Peſcen. Nigr. cap.* 12 *anteſixa* interpretatum, ſcribit, quæ Græci templorum ἀκρωτήρια, Latini *faſtigia*, id eſt, *ornamenta templorum, faſtigiis impoſita*, dicant, in eo, ut intelligas, quam inique actum ſit cum *Salmaſio*, vel, hunc legiſſe, ſatis eſt, quippe qui loco illo copioſe agit de ornamentis, in ipſo ædium faſtigio collocari ſolitis, & hæc Græcis ἀκρωτήρια, Latinis *faſtigia*, vocata, recte docet, de *anteſixis* autem ne verbo quidem mentionem facit. Sane ita clara perſpicuique ſenſus verba ſunt *Salmaſii*, ut ſatis mirari vix poſſim, qui factum ſit, ut mentem ei tam alienam *Dukerus* tribueret. Mihi certe, lecta *Salmaſii Nota*, tale quid affirmare, ne per ſomnium quidem in mentem venerit. Quod vero hunc, quem dedi modo, locum *Livii* adduxit *Salmaſius*, non id eo factum eſt, ut *anteſixorum* rationem hinc cognoſceret lector, de quibus, ut dixi, ipſe tacet prorſus, ſed ut ex hoc *Livii* teſtimonio illa de *faſtigiis*, hoc eſt, ſignis, in ædium culmine poſitis, diſputata robur aliquod acciperent. Vix enim Auctorum veterum locum oſtendas, ex quo genus utrumque ornamentorum tam clare poſſit, quam ex hoc ipſo *Livii*, intelligi. Huic autem *Livii* loco alium eiusdem Auctoris addo, qui eſt *Lib. XXXIV cap.* 4, ſed in quo nominata magis *anteſixa*, quam horum explicatam rationem, invenias: *Iam nimis multos audio Corinthi & Athenarum ornamenta laudantes mirantesque, &* anteſixa fictilia Deorum

Romanorum *ridentes.* Id unum hinc diſcas, fictilia, quod ipſe *Feſtus* docet, & Deorum maxime ſignis ornata, hæc *antefixa* fuiſſe.

ANTIDOTUS. Quærentes hanc vocem ſub litera *A*, hoc unum docentur a *Fabro*, acturum de ea ſe eſſe ſub voce *Doſis.* Sed parum memor promiſſi fuit, nec in loco illo de voce hac quidquam invenias. Nos, veniam daturi huic memoriæ peccato, ſupplebimus hac ex parte *Theſaurum Fabri*, & Auctorum veterum exemplis huius nominis vim & uſum oſtendemus. Originis hoc, ut omnes vident, Græcæ eſt, ex ἀντὶ & δίδωμι compoſitum, idque adeo notans, quod *contra venenum datur, & huius vim vi ſua pellit*, ſcilicet *medicamentum.* Genus voci fœmineum eſt, vel docente id vetere Grammatico, *Capro*, in libello *de Verbis dubiis: Antidotus hæc.* Uſum veterum requiris? At hæc *Gellii* habe *Lib. XVII cap. 16: Huius regis* antidotus *celebratiſſima eſt, quæ Mithridatios vocatur.* Ceterum vox ipſa uſitatiſſima eſt Auctoribus antiquis, etiam qui a ſermonis elegantia commendantur. *Plinius Hiſt. nat. Lib. VIII cap. 38: - - eſt in Nilo natus ſcincos, contra venena præcipuus* antidotis; *Lib. XVI cap. 13: Eſt autem fungus candidus, odoratus*, antidotis *efficax; Lib. XX cap. 11: Ob id & in* antidotis *utuntur illo* (buniade); *Lib. XXV cap. 3: Primo invenit genera* antidoti, *ex quibus unum etiam nomen eius* (Mithridatis) *retinet; Lib. XXXII cap. 31: Contra dorycnium aut opocarpathon* antidoti *vicem obtinent* (myaces); *Lib.*

XX

XX cap. 9: *A multis vero* antidoti *vim habere* (rapum) *in vino & oleo*; *Lib. XXVI cap.* 15: *Peucedani ſuccus pectoris doloribus, & acerum, ſubvenit, & ideo* antidotis *miſcetur*; *Lib.* XX cap. 51: *Cetera inter prima miſcetur* antidotis (ruta); *Lib. XXV cap.* 27: *Eſt & alterius generis* (ſcordotis), - - - *inter alia in* antidotis; *Lib. XXVII cap.* 107: Antidotis *quoque miſcetur* (ſtoechas); *Lib. XXVIII cap.* 45: *Leporis coagulum & contra venena additur* antidotis; *Lib. XXXII cap.* 14: *Hæ* (teſtudines) *ibi amputato capite pedibusque pro* antidoto *dari dicuntur*; *Lib. XXIV cap.* 92: *Laudavit Cleophantus & pro* antidoto *contra venena*; *Lib. XXIII cap.* 77: *In ſanctuariis Mithridatis, maximi Regis devicti, Cn. Pompeius invenit in peculiari commentario ipſius manu compoſitionem* antidoti; *Lib. XXXII cap.* 16: *Teſtudinem* - - - antidotum *eſſe, auctor eſt Pelops*; *Lib. XXXIII cap.* 38: *Illa cinnabaris* antidotis *medicamentisque utiliſſima eſt*; & *Lib. XXXV cap.* 14: *Omnibus ideo* antidotis *familiaris*. *Suetonius in Ner. cap.* 34: *Et cum veneno ter tentaſſet, ſenſiretque* antidotis *præmunitam*, &c. in *Calig. cap.* 29: Antidotum, *inquit, adverſus Cæſarem? Quintilianus Inſt. Orat. Lib. VII cap.* 2: *Ille datum ei venenum dixit, ſed ſe* antidotum *daturum*. Sunt etiam, qui, formam nominis Græcam retinentes, pro *antidotus* dicunt *antidotos*, ut *Scribonius Largus Compoſ. med. cap.* 23 §. 99: *Danda erat* antidotos *Hiera*; *eod. cap.* §. 106: *Facilius adiuta* antidotos *adiuvabit*; *cap.*

 42 §. 169:

42 *ſ*. 169: Antidotos *Zopyri ad letalia venena & omnem ſerpentis ictum efficax*; cap. 46 §. 178: *Interdum enim hae melius adverſus quaedam, quam* antidotos, *faciunt*; & cap. 42 *ſ*. 167: Antidotos *altera ad aſpidis morſum ſive praeſumta, ſive poſt data*. Denique *Serenus Sammonicus cap.* 60:

Antidotos *vero multis Mithridatica fertur*
Conſociata modis, &c.

ANTIDOTUM. Rem eandem ſignificant & *antidotus* genere foeminino, & neutro *antidotum*. De altero dictum eſt modo; nunc alterius uſum exemplis oſtendemus. Dabo haec ex *Scribonii Largi Compoſ. med. cap.* 42 §. 194: *Item alvo acri clyſmo ſaepius ducta, poſtea paſſo, lacte, &* antidoto Mithridatio; ex *Celſi Lib. V cap.* 23: Antidota *raro, ſed praecipuo interdum,* neceſſaria *ſunt*, - - Unum eſt, *quod habet* - - Alterum, *quod Zopyrus Regi Ptolemaeo dicitur compoſuiſſe*, &c. ex *Suetonii Calig. cap.* 23: *Ille* antidotum *obolevisset, ad praecavenda venena ſua ſumtum.* Addo *Plinii* nonnulla: *Lib. XXII cap.* 36: *Non facit* antidota *parens illa ac divina rerum artifex; Lib. XXVII cap.* 95: *Additur in* antidota; *Lib. XXXII cap.* 13: *Urina quoque fibri reſiſtit venenis, & ob id in* antidota *additur; Lib. XXIII cap.* 81: *Comburuntur & in* antidota (folia myrti). Etiam in *Apuleii cap.* 17 *antidotum* genere neutro legi, docet *Io. Rhodius* in *Lexico Scriboniano*, *Scribonii Largi Compoſitionibus medicis* adiuncto; ſed mihi invenire loci huius nihil licuit. *Voſſio* hoc nomen in eorum numero ponitur *Lib. I de Analog. cap.* 36, quae naturam

turam habent adiectivi, eidemque ſub voce *antidotum* intelligi videtur *medicamentum*. *Voſſium Io. Rhodius* loco modo dicto ſequitur, nec immerito, quandoquidem illud Græcorum *ἀντίδοτον*, quod eſt ipſum Latinorum *antidotum*, in adiectivis habere nos iubet verſus in *ſecundo Epigrammatum*:

Τῦτο γάρ ἐςὶ κακῶν Φάρμακον ἀντίδοτον.

APPETITIVUS, *a*, *um*. Vox talis eſt, cuius vel ſtructura hoc docere poteſt, non eſſe in caſtiſſimis ponendam. Digna igitur putetur *Caſſiodori*, talia ſcilicet amantis, ævo, quem voce hac in libro *de Amicitia* uſum ſemel iterumque video. Nimirum ita in *Prologi* §. 16: *Amor enim eſt vis* appetitiva *rerum, quas deſiderio eligimus & amplectimur ad fruendum*; & *cap.* 36 §. 2: *Iudicio & exiſtimatione quorundam, dilectio eſt quædam vis animæ rationalis*, appetitiva *rerum, quas ſibi quis eligit ad fruendum*. Fueritne aliis illius ævi ſcriptoribus uſurpata, iam non inquiro. Nec addi opus eſt, cum verba omnibus pateant, id *appetitivum* dici *Caſſiodoro*, *in quo ineſt appetitus*.

ARUNDINARIUS, ſive HARUNDINARIUS. Habes id nominis in una Inſcriptione antiqua, Romæ olim, extra portam S. *Pancratii*, in quadam vinea obvia, quam ſervavit *Thom. Reineſius* in *Synt. Inſcript. antiqu. Claſſ. XI num.* 27 *pag.* 617:

A. ÆMILIUS A. L.
NICEPOR.
HARUNDINARIUS.

 Ignotum

Ignotum ſibi nomen ipſe *Reineſius* profitetur. *Quid barundinarius*, ait, *quæro, qui me doceat.* Sed conjecturam addit, in qua, non video, quid reprehendi poſſit. Nimirum, ut *eborarius* dicatur is, qui *ebora tractare, & communi uſui accommodare didicit*, ſic, *arundinarium* eſſe eum, conjicit, qui *arundines parare ſciat ad id, ut ſagitta inde poſſint confici*, aut, ſi hoc malis, qui *in hos uſus vendat arundines.* Sane, cum uſus arundinis, ut ex *Plinio* & *Theophraſto* conſtat, varius fuerit & multiplex, vix dubitare licet, huic aut parandæ, aut vendendæ etiam, operam dediſſe certum aliquod genus hominum, quos, nihil prohibet, quin appellatos *arundinarios* putemus.

ASCITÆ. Fuit quoddam olim genus Arabum, cognomine *Aſcitarum* cognitum. Dicti hi ex eo ſunt, quod bubulis utribus crates, aut tabulas, imponerent; hisque piraticam exercerent. Græcis enim ἀσκὸς, unde cognomini origo, *utrem* ſignificat, ſuntque adeo *aſcitæ* ii homines, qui *utuntur utribus*, hinc non incommode *utricularii* vocati Celeberrimo Altorfinæ Academiæ doctori, *Chriſtiano Gottlieb Schwartzio*, in *Miſcellaneis politioris humanitatis cap. 2 §. 16 pag. 45*, quo in loco de *Aſcitis* ita erudite atque copioſe actum eſt, ut vix ſit, quod addi poſſit. Ipſum *Aſcitarum* nomen apud *Plinium* & *Solinum* legitur, illum *Hiſt. nat. Lib. VI cap. 32*: *Toani*, Aſcitæ, *Chatramotitæ*, &c. & *cap. 29*, quo in loco ipſa etiam etymologiæ ratio

explicatur:

explicatur; *Quin & commercia ipſa infeſtant ex inſulis* Arabes, Aſcitæ *appellati, quoniam bubulos utres binos ſternentes, ponte piraticam exercent ſagittis venenatis*; hunc in *Polybiſt. cap. 70: Mercantium ibi tranſitus infeſtari ex Arabicis inſulis dicit Iuba, quas* Aſcitæ *habent* Arabes, *quibus e re nata datum nomen: nam bubulis* utribus *contabulatas crates ſuperponunt, vectatique hoc ratis genere, prætereuntes infeſtant ſagittis venenatis.* Quem locum docte illuſtratum vide a *Salmaſio* in *Exercit. ad Solinum pag. 877.* Græci Scriptores ipſam gentem *Aſcitas* dicunt, non addito *Arabum* nomine, ut *Ptolemæus Lib. VI cap. 7:* Παρὰ δὲ τὸν Σύαγρον τὸ ὄρος μέχρι θαλάσσης, Ἀσκῖται, & *Stephanus*: Ἀσκῖται, ἔθνος παροικῶν τὸν Ἰνδικὸν κόλπον, &c. Iucundum eſt, quod doctiſſimus *Schwartzius l. c.* ex *Caroli du Freſne Gloſſario med. & inf. Latinitatis* obſervat, olim certum genus piratarum *Aſcomannos* dictos, hosque eodem modo, quo *Aſcitæ* Arabes, utribus fuiſſe uſos, nec improbabile videri, hos ad exemplum illorum *Aſcitarum*, ab ἀσκὸς, *uter*, & *mann*, *homo*, *Aſcomannos* appellatos.

ATHENIPPUM. In re medica collyrii quoddam genus *Athenippum* vocatur. An ab inventore, *Athenippo* quodam, nomen traxerit, conjicere magis, quam definire certo, licet. Nimirum, qui nominant hoc Collyrium, ſunt Medici, plerumque parum curioſi earum rerum, quæ ad origines artis ſuæ pertinent. In *Scribonio Largo* hæc leguntur *Compoſ. med. cap. 3 §. 26: Sed*

præcipue hoc collyrium, quod quidam Athenippum, *quidam Diaſmyrnes, quidam εὐώδες vocant, quia boni odoris eſt.* Plura deinde de eius conficiendi ratione. Iterum eius mentionem facit idem Scriptor *eod. cap.* §. *27: Interdum & hæc ſuperinungantur, qui prius* Athenippo *curati ſunt.* Sed, qui eadem *Scribonii* verba in ſuo *de Medicamentis* libro *cap. 8* repetit, *Marcellus*, notiſſimus *Scribonii* expilator, pro *Athenippo* habet *Athenippio.* Ita enim ille: *Interdum autem & hoc ſuperinungantur, qui prius* Athenippio *curati ſunt.* Nec dubium eſſe cuiquam poteſt, ſi nomen hoc ab *Athenippo* quodam habeat originem, melius Latinæ linguæ rationi *Athenippium*, quam *Athenippum*, convenire. Ita mecum iudicat *Io. Rhodius* in *Notis ad l. c. Scribonii.* Etiam ex Græcis coniecturæ huic peti præſidium poteſt. *Galenus* certe *de Comp. med. ſec. loca Lib. IV cap. 7* ex *Aſclepiade* nominat πάγχρηστον Ἀθηνίππιον. Cuius ſi valeat, ut valere debet, auctoritas, *Athenippium* etiam in Adiectivis magis, quam Subſtantivis, numerandum, & ſub eo intelligi *Collyrium* putandum eſt.

AVELLANUS, *a, um.* De voce *Avellana* hoc docet *Faber*, vere adiectivam eſſe, &, quando *Avellana* abſolute dicatur, *nucem* intelligi. Probo hoc ipſum, & magis probarem, ſi confirmare *Faber* loco Auctorum veterum ſeiviſſet, ubi voci *Avellana* alia *nux* coniuncta legitur. Talem enim ſi invenire nuſquam liceat, difficile *Faber* coniecturæ ſuæ fidem præſtabit. Iam

vero

vero nos robur huic dabimus ex manifeſto *Scribenti Largi* loco, vocem utramque, *avellanam & nucem*, coniungentis *Compoſ. med. cap.* 34 §. 135: *Item nitri victoriati pondus cum reſina terebinthina* avellanæ nucis *magnitudine devoratur*. Mallem igitur, in Lexico Adiectivo *Avellanus*, quam Subſtantivo *Avellana*, locum datum.

AZYMUS, *a*, *um*. Hic vere deludit Lectores *Faber*. Hos enim, quærentes vocem ſub litera *A*, quærendam eſſe docet infra ſub nomine *Zyma*; quem ubi evolverint locum, redire ad literam *A* iubentur. Similem errorem paulo ante Voce *Antidotus* notavimus; ſimilesque deinde notabimus. Ne igitur de voce hac nihil ſciant lectores, vel duo hic addidiſſe verba ſatis erit. Vere Græca vox eſt, ſed quæ, ut plures aliæ, uſu ſcriptorum in Latium tranſiit. Habet enim ἄζυμον ἄρτον *Athenæus Lib. III*, ἄζυμον κρέας *Plato* in *Timæo*, ſuntque in N. Fœdere loca, ubi legitur hoc adiectivum nomen, uno plura, *Luc. XXII*, 1, *Act. XII*, 3, 1 *Cor. V*, 7. Cum ſit ex ἀ privativo, & voce ζύμη, *fermentum* notante, compoſitum; hinc per ſe patet, ſignificari hac voce *id, quod ſine fermento eſt*. Itaque *panis ſine fermento*, quem *Celſus* habet *Lib. II cap.* 24, & *panis Iudaicus nullo fermento*, cuius *Tacitus* meminit *Hiſtor. Lib. V Cap.* 4, idem eſt, quod Græcis ἄρτος ἄζυμος, aut Latinis nonnullis *panis azymus*. Uſitatiſſima veteris Eccleſiæ Patribus vox eſt, ſed quorum hic addi loca, non

non eſt opus. Magis e re Lectorum videtur, antiquiſſimo Scriptori, *Scribonio Largo*, uſurpatam oſtendere vocem *azymus* in *Compoſ. med. cap.* 33 *§.* 133: *Oportet vero* - - - *ciboſque aſſa carnis dare*, *cum* pane azymo, *fricantem totum corpus ſale*, &c. Sed eſt ſcilicet unus hic Auctorum veterum, quem nomine hoc uſum ſciam; etſi non unus fortaſſe, quem alii, in his rebus me ipſo oculatiores, ſciant.

BARBARA, *Subſt.* Ex *Scribonio Largo*, Medicorum vetuſtiſſimo, conſtat, *emplaſtri* quoddam genus, a *Glicone*, Chirurgo, quo gladiatores inprimis uſi ſunt, inventum, olim *Barbara* vocatum. Sunt verba huius in *Compoſ. med. cap.* 75 §. 207: Emplaſtrum *nigrum eius* (Gliconis, Chirurgi,) Barbara *dicitur: facit ad omne recens vulnus & contuſum: hoc plerique in gladiatoribus utuntur.* Hunc igitur ſi ſequaris, in Subſtantivis habendum eſſe *Barbara*, nemo dubitet. Diſcedit autem aliqua ex parte a *Scribonio Celſus*, qui, emplaſtrum hoc *Barbarum* vocatum, ait, hoc adeo in dubio relinquens, utrum Subſtantivis, an Adiectivis, aggregandum ſit hoc nomen. Eſt huius locus *Lib. V cap.* 19: *Optimum ex his* (emplaſtris) *eſt*, *quod* Barbarum *nominatur.* Fortaſſe ex *Galeno* clarior res fieret, ſi nunc ad manum is eſſet. Teſtari enim hunc ipſum *de Comp. med. per gen. Lib II cap.* 22, recentiorum pleroſque *emplaſtra ex bitumine* vocaſſe *Barbara*, docet me *Io. Rhodius* in *Nota ad l. c. Scribonii*, ſed quem, doleo, non ipſa *Galeni* verba Græca addidiſſe.

CATAPO-

[1] CATAPOTIUM. Pluraſi numero *Catapotia* ponit *Faber*; quo ipſo perſuaſum ivit lectoribus, uſum huius vocis ſingulari numero nullum eſſe. At mihi, aut vetuſtis potius Scriptoribus, hoc credas, velim, non ſingulari minus, quam plurali, numero uſitatam vocem eſſe. Ita enim *Scribonius Largus Compoſ. med. cap.* 22 *§.* 87: Catapotium, *id eſt, medicamentum, quod non diluitur, ſed ita, ut eſt, devoratur, ad tuſſim, quæ cum fluore eſt.* Ita etiam *Celſus Lib. IV cap.* 8: *Neque alienum eſt, apſinthium contritum ex melle & pipere, eiusque* catapotium *quotidie devorare.*

CEDRIUS, *a, um.* A *Cedro*, ut plures aliæ voces, ita adiectivum hoc nomen, ortum ac formam habet. Uſum eo *Scribonium Largum* video in *Compoſ. med. cap.* 54 §. 186: *Benefacit & pix* cedria, *ſi quis inde bina ternave cochlearia eius ſumſerit per ſe* &c. Ubi *cedrius* idem eſſe, quod *e cedro factus*, alius eiusdem *Scribonii* locus docet *cap.* 57 §. 189: *Cantharides guſtum & odorem ſimilem* pici e cedro factæ *habent.*

CHYLISMA. Natura ſua Græcum eſt vocabulum, ſed a *Scribonio Largo* in Latium translatum. Is *acaciæ chyliſmatis* mentionem facit *Compoſ. med. cap.* 3 §. 23. Præter *Scribonium*, dubito, an quisquam veterum Scriptorum uſurpaverit hanc vocem. Certe *peculiarem huic Auctori* ipſe *Rhodius* in *Lexico Scriboniano* dicit. Inter Græcos χύλισμα habet *Dioſcorides Lib. III cap.* 125, ubi *ſuccum expreſſum* vertit *Io. Ant. Saracenius.*

Saracenus. Similem ad modum *chyliſma acaçiæ* vertas *ſuccum ex acacia expreſſum.*

CINEREUM. Non, qui *Scribonium Largum* legerunt, his ignotum eſſe poteſt, collyrium illud, quod vulgo, deſumto a Græcis vocabulo, (eſt enim σποδὸς idem, quod *cinis,*) *ſpodiacum* dicitur, alio nomine abſolute *cinereum* dici. Sic enim ille *Compoſ. med. cap. 3 §. 24:* Collyrium ſpodiacum *a quibusdam* cinereum *dicitur.* Sed hæc tanquam otioſa diſpungi iubet, & lemmatis loco a recentiori quodam adſcripta putat, *Io. Rhodius* in *Notis ad h. l.* idque vere, meo iudicio, quandoquidem rem eandem paulo ante, ſub finem §. 23, dixerat *Scribonius: Hoc quidem etiam in initiis utuntur, cum ovi aquato liquore per ſe, vel cum collyrio, quod a* cinereo colore *σποδιακὸν appellatur.* Nec illa, paulo ante prolata, *Scribonii* verba *Marcellus* ille, qui totum pæne *Scribonium* expilavit, in ſuo *de Medicamentis* libello habet. Sed in promtu eſt alius *Scribonii* locus, quo, ſi nihil ille alter valeat, uti poſſis ad id, ut veram nominis *cinereum* rationem cognoſcas. Eſt ille *Compoſ. med. cap. 3 §. 26: Oportet autem eo ad ſordida ulcera diluto cum ovi albo, id eſt, aquatiſſimo, uti: deinde, cum lachryma fluere deſierint,* cinereo *ſuperinungere.*

CIRCUMINIICIO. Verbum hoc, *Fabro* prorſus incognitum, in uno legitur *Livii* loco *Lib. XXV cap. 36: Circumſpectare atque agitare dux cœpit, ſi quo modo poſſet vallum* circuminiicere.

Conſen-

Conſentiunt enim in hac lectione, quam optimæ notæ Codices tuentur, *Io. Clericus*, *I. F. Gronovius*, & recentiſſimus *Livii* editor, *Arn. Drakenborchius*. Monet tamen idem *Drakenborchius*, non deeſſe Codices, in quibus *circumiicere*, aut *circumiacere*, legatur. Nec, ſi coniecturis adverſus Codicum auctoritatem locus eſſet, difficile a me impetrari paterer, ut pro *circuminiicere* hic *circumiicere* legerem. Illa enim inaudita alias, nec niſi in uno hoc *Livii* loco obvia, hæc ſatis uſitata eidem Scriptori, vox eſt. Habes hanc ipſam *Lib. XXXV cap. 4: Sarcinas in medium coniici iuſſit, & triarios vallum* circumiicere; & *Lib. XXXVIII cap. 19: Foſſam quoque & alia munimenta verticibus iis, quos inſederant*, circumiecere. Sed ſalva ſit Codicum, qui in loco, quem paulo ante dedimus, *circuminiicere* exhibent, fides. *Thomas Hearnius* in ſua *Livii* editione voces ex una duas facit, pro *circuminiicere* legens *circum iniicere*, ſed, quo auctore, neſcio.

CIRCUMSTUPEO. Uni *Cornelio Severo* uſurpatum verbum in uno Carminis, *Ætna* inſcripti, verſu 334:

Quamvis cæruleo ſiccus Iove frigeat æther,
Purpureoque rubens ſurgat iubar aureus oſtro,
Illinc obſcura ſemper caligine nubes
Pigraque defuſo circumſtupet *humida vultu.*

Ita enim, meo iudicio, recte legitur in editione Antverpienſi, & Amſtelodamenſi *Theodori Goralli* (*Io. Clerici*). Nam, quod *Ioſephus Scaliger*, editio-

editiones quasdam vetuſtiores ſecutus, pro *circumſtupet* legi voluit *circumſtrepit*, id nemo facile probet, qui cogitet, quam ſit a natura rerum alienum, nubi pigræ, tranquillo inprimis aere, ſtrepitum tribuere. Optime autem menti Poetæ illud *circumſtupere* convenit, quo *omni ex parte quieſcere, a motu penitus ceſſare*, notatur. Proprie enim verbum *ſtupere* tribuitur iis rebus, quibus nullus, aut difficilis, motus eſt, quæ languere & quieſcere videntur. Hoc ſenſu *ſtupere profundum* eidem *Severo* dicitur *v.* 341:

- - - *tantarum ſemina rerum*
Si nihil irritet flammas, ſtupeat*que* profundum;

& *æther ſtupere Seneca* in *Thyeſt. V*, 991:

- - - - *Ipſe quin æther gravis*
Inter diem noctemque deſertus ſtupet;

& *unda ſtupere* eidem *Seneca* in *Herc. fur. III*, 763:

Ferale tardis imminet ſaxum vadis,
Stupent *ubi* undæ, *ſegne torpeſcit fretum;*

& *Martiali Lib. IX Epig.* 102:

Multum, crede mihi, refert, a fonte bibatur,
Qui fluit, an pigro, quæ ſtupet unda, *lacu.*

Poſtea translata eſt hæc vox ad homines, quibus ſive mentis quædam tarditas, ſive vehementes animi motiones, ita vigorem & alacritatem omnem eripiunt, ut vix loco movere pedem ſciant. Quam igitur ſimplex *ſtupere* vim habet, eadem compoſiti *circumſtupere* eſt; videturque

turque mihi Poeta verbis: *Pigra nubes circumſtupet*, hoc ſignificaſſe: *pigræ omnes nubes in illa cœli regione ſtupent*. Poterat autem *Scaliger*, ſi oculos huc paulo acutiores attuliſſet, facillime cognoſcere hanc verbi notionem ex illo, quem in *Nota* ad hunc *Severi* verſum adducit ipſe, *Strabonis* loco, quippe quo vix ullus eſt ad illuſtrandum hunc Poetæ verſum aptior. Eſt is *Lib. VI pag. 274 ed. Pariſ.*, dignus ſane, quem huc transſcribamus integrum: Ὁρᾷν τε τὸ μέσον βȣνὸν τεφρώδη τὴν χρόαν, - - ὑπὲρ δὲ τȣ̃ βȣνȣ̃ νέφος ὄρθιον διανεςηκὸς εἰς ὕψος ὅσον διακοσίων ποδῶν, ἠρεμȣ̃ν, (εἶναι γὰρ καὶ νηνεμίαν) εἰκάζειν δὲ καπνῷ. Hic cum nubem *Strabo* dicit ἠρεμȣ̃ν, idem dicit, quod voce *circumſtupere* Poeta noſter. Habet enim verbum ἠρεμεῖν eandem vim, quam Latinum *quieſcere*, ſeu, quod idem eſt, *ſtupere*. Sunt hæc tam clara omnia, ut mirari vix ſatis poſſim, hæc *Scaligero* in *Nota ad Severi h. l.* verba excidiſſe: *Quod* (circumſtrepit) *cur in* circumſtupet *mutarit Antverpienſis editio, cauſam non diſpicio.* Multo autem meliora *Scaligero* in *Nota ad* eundem *Severi* locum *Theod. Gorallus* dedit.

COHUMILIO. Cum ſimplex *humiliare* bonis Auctoribus ignotum fuerit; quid de compoſito *cohumiliare* ſperetur? Mihi igitur, notare, ſatis ſit, uſum hoc verbo *Caſſiodorum* eſſe in libri *de Amicitia cap. 8*, eidemque ſignificari hac voce, *ſimilem aliquem in humilitate facere*. Verba ſunt: - - *ipſa gravitas tanto commendabilior erit, quanto benignius ad effectum deſcendet ſocialem; nec mirum: lex enim amicitiæ ſuperiorem humi-*

liori cohumiliat, *&, qui ordine dignitateve præeminuerit, pleno humilitatis ſpiritu iunioribus condeſcendit.* Ita habet emendatiſſima *Broſſei* editio; at in Genevenſi & *Zinzerlingana* legitur *eo humiliat.* Agnoſcit autem idem *Zinzerlingus*, ornatius eſſe *cohumiliat*, &, eodem verbo uſum *Petrum Blæſenſem*, teſtatur, quem ſua pæne omnia *Caſſiodoro* ſurripuiſſe, ſupra diximus.

COINFIRMO. Vel ſonus vocis te doceat, formatam in officina *Caſſiodori* eſſe. Exſtat enim in huius, quod ſciam, unius *Prologo* libelli *de Amicitia: Gratior ex compasſione amicus, Apoſtolus, qualiter* confirmetur *infirmis, ſcandalizatis couritur:* &c. Conſentiunt in hac lectione *Broſſeus* & *Zinzerlingus;* ſed in editione Genevenſi, errore, ni fallor, operarum, *confirmatur* legitur, quod alienum eſt a mente ſive *Casſiodori*, ſive, cuius is dictum profert, Apoſtoli.

COLOPHONIA. Adiectivo nomini *Colophonius* adiunctum a *Fabro* cuperem Subſtantivum *Colophonia.* Nam, quæ aliis Scriptoribus *reſina Colophonia* dicitur, hanc abſolute *Colophoniam Scribonius Largus*, neſcio an unus, dicit *Compoſ. med. cap. 34 §. 137: Bene purgat & hæc compoſitio: Aloes victoriati pondus*, colophoniæ *victoriati pondus*, ad quem locum legenda inprimis ſunt, quæ *Io. Rhodius* annotavit. Eodem *Capite* §. 138 *Scribonius:* Colophoniæ * *P. VIII* &c. & §. 139: Colophoniæ * *P. III.* &c. Ellipſin vocis *reſina* hic agnoſcis? non abnuo; modo

modo hoc etiam agnoſcas, per ellipſin hanc factum, ut *Colophonia* formam æque ac naturam Subſtantivi acciperet. Sed Græci etiam hac voce abſolute uſi ſunt. Certe *Dioſcorides Lib. I cap. 93:* ἀπὸ τῆς κολοφῶνος κολοφωνία κληθεῖσα.

COMMENSURABILIS. *Caſſiodori* eſt vocabulum, ideoque bonum, ſcilicet. Habes hoc in libri *de Amicitia Prologo* §. 51: *Eum, quem habebat, ad ſe coarctavit affectum, & dilectioni proximi proportione* commenſurabili *coaptavit.* Si recte intelligo verba, *commenſurabilis* hic idem eſt, quod *æqualis.*

COMPOSITUM, *Subſt.* Ignorat hoc nomen *Faber*, quod mihi cognitum eſt ex *Scribonio Largo*, ea *medicamenta*, quæ *ex pluribus conſtant ſimplicibus*, abſolute *compoſita* dicenti *Compoſ. med. cap.* 4 §. 38: *Non præterit me, habere te prudentes ocularios, quibus ſi nomina dixeris collyriorum, in hoc libro ſcriptorum, contendant forſan, ſe quoque habere eadem* compoſita: *ſed, ſi pondera, aut effectus, comparare voles, longe diverſos invenies. Ego enim ipſe eodem nomine multa* compoſita, *non iisdem ponderibus & rebus, interdum habeo: ſed his maxime probatis utor.* Neque vero abnuerim, ſi vere adiectivum dixeris hoc nomen, cui ſubeſſe *medicamentum* intelligatur. Ita enim plenius idem *Scribonius* in *Epiſtola ad C. Iulium Calliſtum, Compoſitionibus medicis* præmiſſa: *Interdum enim hæc* (ſimplicia) *efficaciora ſint, quam ex pluribus*

compoſita medicamenta; & *Compoſ. med. cap.* 16 §. 68: Compoſitorum *autem* medicamentorum *hæc ſunt apta;* & *cap.* 21 §. 85: *Faciunt enim* compoſita medicamenta *ad ſanguinis eruptionem*, &c. Facile igitur crediderim, ellipticam eſſe rationem in voce *compoſitum*, ſed quam eſſe in pluribus aliis, nunc Subſtantivorum loco haberi ſolitis, ſatis conſtat. Notius autem, quo res eadem ſignificatur, *compoſitionis* vocabulum eſt, vel ipſa libri *Scriboniani* inſcriptione nobilitatum.

COMPUGNO. Idem, quod ſimplici *pugnare*, aut *inter ſe pugnare*, notatur hoc verbo uni, quod ſciam, *Caſſiodoro* in libri *de Amicitia cap.* 55: *Abraham, iuſſus a Domino filium immolare, contra naturalem affectum nequaquam obduruit, ſed, cum naturalis ei miſericordiam in filium, ſpiritualis eum ad obedientiam excitaret in Deum, duo illi affectus in ſancti viri pectore* compugnabant.

CONDESCENDO. Nominat hanc vocem *Faber*, ſed nullam ei auctoritatem addit, quod idem eſt, ac ſi barbaram dixiſſet. Inter voces Latio incognitas hæc *Voſſio* collocatur *de Vit. Lat. ſerm. Lib. IV cap.* 4; nec mihi animus eſt, inter bonas & bonis uſitatas Auctoribus collocare. Id ſaltem mihi velim dari, tribus Seculis antiquiorem eſſe, quam ſibi *Voſſius* perſuaſerat, Scriptores, qui eam uſurpaverint, *Ivonem Carnotenſem*, & *Agobardum*, Lugdunenſem Epiſcopum, Seculo alterum XII, alterum IX, florentem, nominans. Eſt enim his longe ve-

tuſtiori,

cuſtiori, *Caſſiodoro*, familiariſſimum vocabulum, in uno huius *de Amicitia* libello quater obvium. Sunt hæc loca in *Prologi* §. 33: *Optima enim medicina eſt homini homo: qui eius remediatur adverſis, qui eius* condeſcendit incommodis, &c. & §. 49: Condeſcendimus afflictis, *& eorum onera compaſſionis humero ſupportamus*; & in ipſius libri *cap. 8* §. 4: *Lex enim amicitiæ ſuperiorem humiliori cohumiliat, &, qui ordine dignitateve præeminuerit, pleno humilitatis ſpiritu* iunioribus condeſcendit; & *cap. 18* §. 1: - - *ut appareat, quam ineffabili gratia, & dignatione incomparabili, Deus gloriæ, mediante beneficio caritatis*, homini condeſcendat. In his omnibus *condeſcendere* notat *opem, auxilium, præſtare.*

CONFUSIBILIS. Putidiſſimum, ſive ſtructuram, ſive ſignificatum, ſpectes, vocabulum, ſed vocabulum tamen. Debes hoc *Caſſiodoro*, talium vocum ingenioſo architecto, *ruborem confuſibilem* dicenti in libro *de Amicitia cap. 3* §. 10: *Improperium vero deteſtabile eſt, cum quis falſa obiiciens, perfudit* confuſibili rubore *innocentiæ faciem.* Notionem vocis non intelligo, niſi pro *animi confuſi*, aut, ſi Latinius dicendum, *perturbati*, *indice* accipias. Eandem vocem memini me legere in alio libri eiusdem loco, ſed quem nunc fruſtra requiro.

CONGLORIOR. Uſum hac etiam voce *Caſſiodorum* video. Ita ille in libri *de Amicitia Prologo* §. 2: *Fodi ergo mihi fontem proprium, cui non communicet alienus*, - - *non niſi*

 conſcientiæ

conſcientiæ meæ teſtimonio conglorians. Plura ſive *Caſſiodori*, ſive aliorum Scriptorum, exempla non ſuccurrunt. In hoc igitur, quem dedi, loco *congloriari* idem, quod ſimplex *gloriari*, valet.

CONSCIA, *Subſt.* Liceat Subſtantivorum numerum voce hac augere, quippe pura, & Poetis inprimis, ſed iis ætatis optimæ, uſitata. Habet enim hæc, abſolute poſita, ſignificatum, ab eo, quem habet adiectivum, quodammodo diverſum, notans ſemper *primam ancillarum, quam domina participem ſuorum omnium conſiliorum facit*, Germanis *eine Vertraute* vocari ſolitam. Manifeſtiora Auctorum exempla ſunt, quam ut dubitationi ullus hic relictus eſſe locus videatur. *Ovidius Art. am. Lib. III v. 619 ſeq.*:

Scilicet obſtabit cuſtos, ne ſcribere poſſis,
Sumendæ detur cum tibi tempus aquæ?
Conſcia *cum poſſit ſcriptas portare tabellas,*
Quas tegat in tepido faſcia lata ſinu?
Cum poſſit ſura chartas celare ligatas,
Et vincto blandas ſub pede ferre notas?
Caverit hæc cuſtos: pro charta conſcia *tergum*
Præbeat, inque ſuo corpore verba ferat.

Hic, malle ſe *nuncia*, quam *conſcia*, *Nic. Heinſius* dicit; ſed, cur malit, cauſam non addit; nec maluiſſet ſane, ſi hanc vocis vim ſatis habuiſſet cognitam. Sed bene eſt, quod, *alterum* etiam *conſcia*, ipſe non neget, *probum eſſe*. Habes eandem vocem in eiusdem *Ovidiani* libri verſu 649:

Nec

Nec male deliciis odioſum conſcia tardis
Detinet; & longa iungitur ipſa mora.

Quæ recte explicat idem, quem dixi, *Heinſius*: *Non male ancilla ipſa cum cuſtode coit, idque lente, quo is diutius detineatur.* Inprimis vero notatu mihi dignus videtur eiusdem *Naſonis* verſus 354 *Lib. I de Art. am.*:

Sed prius ancillam captandæ noſſe puellæ
Cura ſit: acceſſus molliat illa tuos.
Proxima conſiliis dominæ ſit ut illa, videto;
Neve parum tacitis conſcia fida *iocis.*

Ita in editionibus, quod ſciam, omnibus, etiam illa *Burmanni*, legitur. Quod vero idem *Burmannus* in Nota, alterutrum, *fida*, vel *conſcia*, gloſſatoris eſſe, & *forte* pro *conſcia* legendum *nuntia*, ait, in eo non cogitaſſe hanc, quam poſui, vocis *conſcia* notionem videtur. Hanc enim ſi tenebat, videbat ſane, optime convenire ancillæ appellationem *fidæ conſciæ*, & eandem rationem, quæ *nuntia* legendum ſuadet, ad id valere, ut *conſcia* legatur. Et ſic carere etiam hic verſus emendatione *Francii*, pro *fida* legentis *facta*, poteſt. Neque vero deſunt loca *Horatii*, in quibus eandem vocis *conſcia* eſſe vim apparet. *Libri I Sat. 2 v. 130*:

Nec vereor, dum futuo, vir rure recurrat;
Ianua frangatur; latret canis; undique magno
Pulſa domus ſtrepitu reſonet; ne pallida lecto
Deſiliat mulier; miſeram ſe conſcia *clamet;*
Cruribus hæc metuat, doti hæc deprenſa, egomet mi.

Ubi *conſciam* recte interpretatur *Lud. Deſprez*

 herilis

herilis flagitii participem ancillam. Eidem *Horatio conſcia peccati herilis* pro *ancilla, quæ eſt conſcia* &c. dicitur *Lib. II Sat. 7 v. 60:*

Auctoratus eas, an turpi clauſus in arca,
Quo te demiſit peccati conſcia herilis,
Contractum genibus tangas caput?

Sed hic vere adiectivum eſt *conſcia*, cui iungi debebat vox *ancilla*, hic per ellipſin omiſſa. Sic enim *Tacitus Annal. Lib. XIII cap. 44: Et Pontia* conſciæ ancillæ *cuſtodiam cubiculi mandat.* Sed addo *Iuvenalis* locum, in quo per *conſciam* nihil aliud ſignificari putem, quam *primam ancillarum, quam nihil eorum celare ſolet domina, quæ ignota eſſe ceteris debent.* Eſt is *Sat. XIV v. 28:*

- - *Exſpectas, ut non ſit adultera Largæ*
Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos
Tam cito, nec tanto poterit contexere curſu,
Ut non ter decies reſpiret? Conſcia matri
Virgo fuit; ceras nunc hac dictante puſillas
Implet, & ad mœchum das eisdem ferre.

CONSCIUS, *Subſt.* Quod de voce *Conſcia* modo diximus, idem iam de maſculi generis nomine, *conſcius*, notabimus, videri hoc non in Adiectivis tantum, ſed in Subſtantivis etiam, habendum. Nam, ſi loca veterum non deſunt, qui vocem hanc abſolute, non addito Subſtantivo, poſuerunt, eidemque vim & poteſtatem Subſtantivi tribuerunt, quid eſt præterea aliud, quod ad id, ut nomen hoc dicatur Subſtantivum, deſideres? Atqui utrumque ex

Livio

Livio patet, qui voce hac ſola, nec iuncta cum Subſtantivo, utitur, *homines*que, *facti aut criminis ſocios*, ſignificat hac ipſa. In uno *Livii Capite 5 Libri XXIV* exempla tria habes: *Index unum ex coniuratis Theodotum, a quo ipſe appellatus erat, nominare potuit. Qui comprehenſus extemplo, traditusque Andranodoro torquendus, de ſe ipſe haud cunctanter faſſus*, conſcios *celabat. Poſtremo, cum omnibus intolerandis patientiæ humanæ cruciatibus laceraretur, victum malis ſe ſimulans, avertit ab* conſciis *in inſontes indicium, Thraſonem eſſe auctorem conſilii, mentitus, nec, niſi tam potenti duce confiſos, rem tantam auſuros: ab latere tyranni, quorum capita viliſſima fingenti inter dolores gemitusque occurrere. Maxime animo tyranni credibile indicium Thraſo nominatus fecit. Itaque extemplo traditur ad ſupplicium: adiectique pœnæ ceteri iuxta inſontes.* Conſciorum *nemo, cum diu ſocius conſilii torqueretur, aut latuit, aut fugit.* Eadem vocis notio eſt *Lib. XLII cap. 17: Promiſſis enim ingentibus præmiis petere inſtitit ab eo rex, quoniam duces omnes legatique Romani hoſpitio eius uti aſſueſſent, quibus eorum ipſe ſcripſiſſet, & venenum dandum curaret. Cuius ſcire ſe comparationem plurimum difficultatis & periculi habere, pluribus* conſciis *comparari.* Plura exempla *Tacitus* ſuppeditat: *Annal. Lib. IV cap. 10: Deinde inter* conſcios, *ubi locus veneficii tempusque compoſita ſint, eo audaciæ provectum, ut verteret;* &c. *Lib. IV cap. 45: Cum tormentis edere* conſcios *adigeretur; voce magna, ſermone patrio, fru-*

ſtra ſe interrogari clamitavit, adſiſterent ſocii, ac ſpectarent. Nullam vim tantam doloris fore, ut veritatem eliceret; Lib. VI cap. 47: Dein multorum amoribus famoſa Albucilla, - - defertur impietatis in principem. Connectebantur ut conſcii *& adulteri eius Cn. Domitius, Vibius Marſus, L. Arruntius; Lib. XI cap. 22: Nam, poſtquam tormentis dilaniabatur, de ſe Novius - - -* conſcios *non edidit, incertum, an occultans.* Ad quem locum legendi interpretes. *Eod. Lib. cap. 26: Adeſſe* conſcios, *paria metuentes. Lib. XIV cap. 5: Nec diſſolutio navigii ſequebatur, turbatis omnibus, & quod plerique ignari etiam* conſcios *impediebant; Lib. XV cap. 57: Non enim omittebant Lucanus quoque & Senecio & Quintianus paſſim* conſcios *edere*, &c. *Eod. Lib. cap. 59: Si conatibus eius* conſcii *aggregarentur, ſecuturos, etiam integros*, &c. & *cap. 66: Ceterum militaris quoque conſpiratio non ultra fefellit, accenſis indicibus ad prodendum Fenium Rufum, quem eundem* conſcium *& inquiſitorem non tolerabant.* *Lib. XVI cap. 8: Trahebantur ut* conſcii *Vulcatius Tullinus, ac Martellus Cornelius ſenatores*, &c. *Hiſt. Lib. I cap. 39: Agitaſſe Laco, ignaro Galba, de occidendo T. Vinio dicitur, ſive ut pœna eius animos militum mulceret, ſeu* conſcium *Othonis credebat, ad poſtremum vel odia.* Ubi *conſcius Othonis* eſt *is, cui cum Othone facinoris eſt ſocietas. Lib. III cap. 23: Mox incipientibus, qui* conſcii *aderant, ceteros, re nova attonitos, in verba Veſpaſiani adigit.* In *German. cap. 10: Se enim miniſtros Deorum, illos* (equos) conſcios, *putant.*

Equis

Equis enim vim quandam divinam tribuebant veteres, hosque putabant a Diis conſiliorum ſuorum participes fieri. Nec dubito, eandem vocis *conſcius* vim & rationem eſſe in duobus *Ciceronis* locis: altero *de Fin. Lib. II cap. 16: Non oportet timidum, aut imbecillo animo, fingi: - - - omnia callide referentem ad utilitatem, acutum, veteratorem, facile ut excogitet, quo modo occulte, ſine teſte, ſine ullo* conſcio, *fallat*; altero in *Or. pro M. Fonteio cap. 3: Satiſne vobis multos, ſatis idoneos teſtes &* conſcios *videtur ipſa fortuna eſſe voluiſſe earum rerum, quæ M. Fonteio Prætore gererentur in Gallia?*

CONSERVUS, *a, um.* Subſtantivo *Conſervus* locum fecit in *Theſauro Faber*; non item Adiectivo. At, non ignotum hoc veteri eſſe Latio, verſus *Naſonis* docet *Lib. I Amor. Eleg. VI v. 74:*

Vos quoque crudeles rigido cum limine poſtes,
Duraque conſervæ *ligna valete fores.*

Quo in loco olim legebatur *conſertæ*; poſtea, legendum eſſe *conſervæ*, ex verſu *Plauti* in *Aſin. II, 3, 6:*

Nolo ego fores conſervas *meas a te verberarier,*

oſtendit *Ianus Douſa* in *Plautin. Explanat. Lib. I cap. 6*, & poſt eum *Nic. Heinſius* ad *h. l. Ovidii.* Uſum etiam hoc adiectivo *Apuleium* video *Lib. VIII Metam.: Habens ex eodem famulitio* conſervam coniugem, &c.

CONVINCIO. Suſcepit huius vocis patrocinium ille Criticorum princeps, *Io. Ge. Grævius*, qui

qui inveniſſe eam ſibi viſus eſt in loco *Orationis Tullianæ pro A. Clu. cap. 5*, ubi ita & ipſe, & poſt eum *Verburgius*, legit: *Repente eſt exorta mulieris importunæ nefaria libido, non ſolum dedecore, verum etiam ſcelere*, convincta. Ita, inquam, *Grævius*, reiecto, quod volunt nonnulli, *convicta*, aut, quod pluribus placet, *coniuncta*. Sunt autem, quæ mihi perſuadeant, hic *coniuncta* potius legendum, quam *convincta*, rationes una plures, eæque, niſi prorſus fallor, multo fortiores iis, quibus ſuam lectionem *Grævius* defendit. Sed nolo hic denuo moleſtus eſſe tanti Viri Manibus, ſatis a me turbatis in *Miſcellaneorum Vol. I Part. III pag. 526*, quo in loco, quid mihi videatur de *Grævii* hac emendatione, quid de rationibus, ab eo prolatis, libere & copioſe a me dictum meminiſti.

CUMAMUM. Uni *Scribonio Largo* in *Compoſitionibus medicis* uſurpatum vocabulum, idque in locis tribus, ſed unde, quid ſignificetur eo, vix intelligas, Hoc ſatis patet, ad ſupellectilem rei medicæ referendum eſſe *cumamum*; ſed, utrum planta, an fructus, an aliud quodcunque demum, dici debeat, id ignorare iubemur. Ipſa *Scribonii* loca hæc ſunt: *Cap. 30 §. 126: Item ex partu reſidua mulieri purgat* (hæc compoſitio), *& vulvæ dolorem tollit ſic: Aneſi* - - - cumami **P. III; cap. 38 §. 144: Ad renium tumorem & dolorem facit eadem*, - - - cumami * *P. unius*, &c. & *cap. 104 §. 271:* Cumami *pondo trientem*, &c. Conſentire in hac

lectione

lectione libros omnes MStos, *Io. Rhodius* in *Notis* ad hæc *Scribonii* loca teſtatur, ſed qui, de voce hac nihil habens cognitum, in locis hiſce ſingulis legere nos *cinnami* pro *cumami* iubet. *Nec usquam facilius*, ait, *potuit contingere librarii peccatum, coaleſcentibus* u & m *loco* i & n *geminati.* Facilis ſane, & quam nemo non probet, emendatio. Sed erunt fortaſſe, qui, in uno nomine ter peccatum a librariis, difficile ſibi perſuadeant, aut, ſi ter peccatum ſit, cur non in ceteris *Scribonii* locis, ubi accurate exſcriptum eſt *cinnamum*, peccatum æque ſit, mirentur. *

---

* Quæ reſtant, dabimus quam proxime cuiuscunque generis vocabula.

In *Voluminis II Parte I* hæc ſunt emendanda: *Pag.* 10 *lin.* 18 pro *peccatorias* legendum *precatorias*; *pag.* 41 *lin.* 13 pro *coorperta* leg. *cooperta*; *pag.* 44 *lin.* 7 pro *non creatus non-ens*, leg. *non creatus eſt non-ens*; *pag.* 62 *lin.* 6 pro *Epiſt. V*, 4, leg. *Epiſt. II*, 4; *pag.* 22 *lin.* 2 pro *deeſſe* leg. *deeſſet*; *pag.* 73 *lin.* 25 pro *nunquam* leg. *nunquam non*; *pag.* 89 *lin.* 25 pro 13, *deſignatur* leg. 13, *hac voce deſignatur*; *pag.* 89 *lin.* 26 pro הבחושש leg. החבושש; *pag.* 91 *lin.* 1 pro *in ipſum factum conſentit* leg. *id ipſum factum peregit*; *pag.* 83 *lin.* 13 pro *ad eius perſcriptum* leg. *ad eius præſcriptum*; *pag.* 74 *lin.* 13 pro *relinquitur* leg. *non relinquitur*; *pag.* 58 *lin.* 1 pro *Pſ. CX* leg. *Pſ. XC*; *ead. pag. lin.* 19 pro *differre* leg. *non differre.*

In *Parte hac ſecunda pag.* 230 *lin.* 7 pro *efficerent* leg. *efficeret.*

INDEX

INDEX DISSERTATIONUM, QUÆ VOLUMINIS SECUNDI PARTE SECUNDA CONTINENTUR:

I. PETRI ZORNII Diſſertatio de חבלי משיח, ſive doloribus Meſſiæ, ex antiquorum & recentiorum Ebræorum iudicio. Pag. 181 - 204.

II. Catecheſis Racovienſis, Latine a *Moſcorovio* tranſlata, eademque A. 1619 Racoviæ edita, cum Polonica editione, ad cuius exemplum illa converſa eſt, collata a IO. DANIELE HOFFMANNO. Pag. 205 - 228.

III. I. G. Diſſertatio de Henrici Aucupis expeditione Danica, ad FRID. OTTONEM MENCKENIUM, cum huius Præfatione. Pag. 228 - 304.

IV. I. C. H. Emendationes aliquot criticæ, in Iul. Cæſaris Libris de bello Gallico tentatæ. Pag. 304 - 316.

V. I. C. S. Explanatio Inſcriptionis cuiusdam veteris. Pag. 317 - 323.

VI. FRID. OTTONIS MENCKENII Voces aliquot Latinæ, quæ in Lexicis vulgaribus fruſtra quæruntur, ex priſcis Auctoribus collectæ. *Pars II.* Pag. 323 - 369.

MISCELLANEA
LIPSIENSIA
NOVA,

AD INCREMENTVM
SCIENTIARVM,
AB HIS,
QVI SVNT IN COLLIGENDIS
ERVDITORVM NOVIS
ACTIS
OCCUPATI,
PER PARTES PUBLICATA.

VOLUMINIS SECUNDI PARS TERTIA.

LIPSIÆ,
APVD IO. FRID. GLEDITSCHIVM.
MDCCXLIV.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

SCIENTIARVM,

AB [illegible]

[illegible] ELICENDIS

[illegible]ORVM NOVIS

ACTIS

[illegible]

[illegible] PARTES PUBLICATA.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

IO. CONR. SCHWARTZII,
S. TH. DOCTORIS, ET GYMNASII COBURGENSIS DIRECTORIS,
OBSERVATIO
DE MORTE CORPORIS SPIRITUALI.

I.

Fuerunt ab aliquo tempore, qui opinarentur, ſtatum illum corporis humani, cum Spiritus divini ope pravæ libidines domitæ, atque improba instituta & conſuetudines depoſitæ ſentiuntur, *mortem corporis ſpiritualem* commode vocari poſſe. Quæ res an cum Scripturis ſacris conveniat, breviter diſputabimus.

II. Mors proprie dicitur ceſſatio illa defectioque naturalis vigoris & actionum animi humani in corpore. Cum autem homo ex conſilio Dei viva ſapientiæ virtutisque divinæ imago eſſe deberet, neque tamen ob imbecillitatem naturæ, iam ab ultima ſtirpis humanæ origine corruptæ, ad tantam laudem valeret; factum eſt, ut ſcriptores divini perditiſſimum illum hominum ſtatum etiam mortem appella-

 rent.

rent. Nam, cum ex univerſa hominis vitæ perpetuum ſapientiæ, ſanctitatis, ceterarumque virtutum, elucere deberet ſtudium, quod tamen inde ab infantia nusquam non deſideratur: hæc talis & tanta bonorum cœleſtium defectio & inopia recte *mors* quædam eſſe videbatur, quam ut a naturali morte facilius diſcernerent, *ſpiritualem* vocarunt Theologi. Intuere, quæſo, hominem natura voluptarium, qui inde a ſomno & lectuli complexu unguenta, vina, cibos opiparos, in ſe ingurgitet, per totum diem mente captus erret, dormitet, ludat, amoribus incenſus obſcœna cantet, donec vino & cibis oppreſſus deficiat & conſopiatur; nihil contra rerum aut humanarum, aut divinarum, cogitet, nihil officii ſui curet, ſolitudinem ſibi acerbiſſimam, familiarium & ſcurrarum turbam unice iucundam, exiſtimet, patrimonium turpiter conſumat, propinquos aut liberos omni ope atque auxilio privet; an tu hunc talem de vita cogitare, & ullo modo vivere, putes? Vita profecto dici nequit, quæ re vera valetudinem perdit, ſocios deſtituit, morbis divexatur, vitam perimit, ac mortem accelerat, neque plus cuiquam prodeſt, quam mors ipſa. Idem ſentiendum, per ſe quisque videt, de inſatiabili honorum famæque ſtudio, de perpetuo rapiendi, violandi, laborandi, operas nimium urgendi, famæ denique moriendi, conatu. Hi tales vivi iam ſunt mortui, nec vivos pluris faciunt, quam mortuos, cum vivis videntibusque ſibi ipſi funus ducant. Præclare

Igitur

igitur Chriſtus *Matth. VIII, 22*: Ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς, *ſine, homines, ſenſu divino carentes, ſuos ſepeliant mortuos.* Et *Luc. XV, 24, 32*: Οὗτος ὁ υἱός μου νεκρὸς ἦν, καὶ ἀνέζησε, *hic filius meus luxuria, ſtupris, peregrinitatis amore, impietate, ac patriæ diſciplinæ contemtione, perditus fuit, ſed nunc ad ſanitatem mentis rediit, priſtinam ſuperbiam & impietatem, & inſtitutorum ſuorum vitioſitatem, peroſus.*

III. Ex locis iam citatis abunde conſtat, & totum hominem mortuum vocari, cum mens eius in officiis deſerendis occupata eſt, & corpus, aut ſingula eius membra, vitiis mentis & ſceleribus polluuntur. Mente quidem vitiis infecta neceſſe eſt corpus item contaminari, cum natura ita comparatum ſit, ut rectioni mentis corpus pareat, quacunque id tandem ratione fiat. De qua re Philoſophi inter ſe digladiantur, cum Theologi, ſubtilitatibus eorum & diſſidiis ſuperſederi poſſe, putent, quando ex Scripturis dudum demonſtratum eſt, opera per corpus facta vel præmiis, vel pœnis, affici, *2 Cor. V, 10.* Ex quo liquet, animum vel bonorum, vel malorum, facinorum effectorem eſſe & principem, corpus contra tantummodo inſtrumentum. Idem colligitur ex *Iacobi II, 26.*

IV. Iam igitur apparet, ſanata mente, ſanum iam etiam corpus intelligi. Gubernatoris nimirum rectionem ſequitur, navis, niſi forte nimia tempeſtas ingruat, cuius vim ars humana depellere non poſſit. Humanæ quidem na-

turæ corruptela illa & labes alte inſidet, quam dæmonis aſtutia illi a mundi primordio perdite inſevit; ſed reprimi tamen ac debilitari poteſt ope illa divina, quæ precantibus, & mala ſtudia peroſis, ſemper eſt paratiſſima. Opem illam *πνεῦμα* vocant ſcriptores ſacri, propterea quod a ſpiritu ſancto liberaliter communicatur cum iis univerſis, qui, nobilitatem generis humani in rectione divina poſitam eſſe, intelligunt. Neque enim corruptus animus malis ſuis per ſe magis mederi poteſt, quam venenatus fons naturam ſuam immutare. In hanc igitur ſententiam interpretari nos oportet loca illa ſacrorum ſcriptorum, quæ vel nos malis noſtris medicinam facere iubent, vel eam utcunque fieri docent. Ad prius genus pertinent *Rom. VI*, 13: *Παραςήσατε ἑαυτὺς τῷ θεῷ, ὡς ἐκ νεκρῶν ζῶντας, offerte vos Deo, ut ex mortuis vivos. Eph. V*, 14: Ἔγειραι ὁ καθεύδων, καὶ ἀνάςα ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριςός, *expergiſcere ſomnolente, & ex mortuis reſurge: illucebit tibi Chriſtus.* Ad poſterius ſpectant *1 Io. III*, 14: Ἡμεῖς οἴδαμεν, ὅτι μεταβεβήκαμεν ἐκ τῦ θανάτυ εἰς τὴν ζωὴν, ὅτι ἀγαπῶμεν τὺς ἀδελφὺς, *novimus, nos e morte in vitam tranſiiſſe, quod fratres amamus. Rom. VI*, 4: Ἵνα, ὥσπερ ἠγέρθη Χριςὸς ἐκ νεκρῶν διὰ τῆς δόξης τῦ Πατρὸς, ὕτω καὶ ἡμεῖς ἐν καινότητι ζωῆς περιπατήσωμεν, *ut, quemadmodum Chriſtus per glorioſam patris potentiam e mortuis reſuſcitatus eſt, ita etiam nos in vita novitate verſemur. Gal. V*, 24: Οἱ δὲ τῦ Χριςῦ τὴν σάρκα ἐςαύρωσαν σὺν τοῖς παθήμασι καὶ ἐπιθυμίαις.

εἰ ζῶμεν πνεύματι, πνεύματι καὶ ςοιχῶμεν· *Diſcipuli Chriſti carnem una cum affectibus & cupiditatibus cruci affigunt. Si ſpiritu vivimus; ſpiritu etiam in viis noſtris duce utamur. Rom. XI, 15:* Τίς ἡ πρόσληψις, εἰ μὴ ζωὴ ἐκ νεκρῶν; *quid eos gratia divina reſtituet, niſi correctio inſtitutorum vitæ? Apoc. III, 1:* Ὄνομα ἔχεις, ὅτι ζῇς, καὶ νεκρὸς εἶ, *diceris quidem vivere, ſed vita cares.* Adde *Ebr. IX, 14.* Ac, ne loca hæc in aliam partem quisquam accipiat, atque nos accipienda diximus, diligenter caverunt ipſi ſcriptores divini, qui vim illam ſanandæ mentis humanæ Spiritui ſancto, vel Chriſto, vel Patri, præclare vindicant. *Rom. VIII, 13:* Εἰ γὰρ κατὰ σάρκα ζῆτε, μέλλετε ἀποθνήσκειν. Εἰ δὲ πνεύματι τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατοῦτε, ζήσεσθε. *Si naturæ pravitati convenienter vivitis; ſenſim moriemini. Sin ſpiritu actiones corporis enecatis; vivetis. 2 Cor. IV, 10, 11:* Πάντοτε τὴν νέκρωσιν τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι περιφέροντες, ἵνα καὶ ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι ἡμῶν φανερωθῇ. Ἀεὶ γὰρ ἡμεῖς οἱ ζῶντες, εἰς θάνατον παραδιδόμεθα διὰ Ἰησοῦν, ἵνα καὶ ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ φανερωθῇ ἐν τῇ θνητῇ σαρκὶ ἡμῶν. *Semper Domini Ieſu mortem in corpore circumferentes, ut etiam vita Ieſu in corpore noſtro luceat. Semper enim nos, dum vivimus, in mortem tradimur, propter Ieſum, ut etiam vita Ieſu in mortali corpore noſtro luceat.* Add. *Coloſſ. III, 3,* collat. *2 Cor. XII, 9. Rom. VIII, 11:* Εἰ δὲ τὸ πνεῦμα τοῦ ἐγείραντος Ἰησοῦν ἐκ νεκρῶν οἰκεῖ ἐν ὑμῖν, ὁ ἐγείρας τὸν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ζωοποιήσει

καὶ τὰ θνητὰ σώματα ὑμῶν, διὰ τοῦ ἐνοικοῦντος αὐτοῦ πνεύματος ἐν ὑμῖν, ſi autem ſpiritus eius, qui Ieſum e mortuis revocavit, in nobis reſidet; is, qui revocavit, etiam veſtra corpora mortalia vitæ reſtituet per ſpiritum, in vobis reſidentem. Coloſſ. II 13, Eph. II, 1, 5.

V. Cum igitur mens a ſpiritu divino recta vim illam divinam cum corpore etiam communicet; obſcurum eſſe non poteſt, eandem illam vim corpori quoque, ſive carni, tribui poſſe. Hoc ſi licet, vita, quæ animo humano iam ſanato tribuitur, etiam corpori competit. Communitas enim laudis, ex honeſtate efflorescentis, comiti, ducem recte ſequenti, negari non poteſt. Atqui vita dicitur in Scripturis ſacris acre illud ſtudium honeſtatis probitatisque, quod in animo ſpiritus divini pleno nusquam non apparet. Quicquid autem vivit, & in vitæ communitatem venit, id mortuum, ſeu vita deſtitutum, dici nequit: niſi forte lucem tenebras appellandam, & ſtudium pro ceſſatione, felicitatem pro rerum adverſitate, emendationem & vitiorum depulſionem pro veteri perverſitate, inſulſitate, ac turpitudine, habendam putes. Quod ipſum nemo rerum intelligens unquam ſenſit, nec ſentiet. Nam ad rerum naturam vocabulorum vis eſt accommodanda. Liquet ergo, vim illam carnis naturalem, ope divina fractam & abiectam, *mortem* carnis *ſpiritualem* vocari haudquaquam poſſe. Mens libidinibus diſtracta, & caro, ſeu corpus, ad turpem libidinum ſervitutem promtum, ſpirituali morte laborare dicuntur. Qui fiat

fiat igitur, ut contraria eorundem ſtudia iisdem nominibus dedecorentur? Grammatici magnopere pugnant, ne linguas vocabulis contraria ſignificantibus inquinatas putemus, propterea quod ea res perſpicuitati, cuius laus in ſermone ſumma eſt, parum conſulit. Et nos, tacentibus, imo reclamantibus, divinis ſcriptoribus, ad docendum verba adhibebimus rerum naturæ adverſantia? Res implicatas explicare, obſcuras illuſtrare, aptas conſociare, eſt laudis & ingenii; expeditas conſtringere, planas intercludere, apertas operire, veras infuſcare, nec doctrinæ eſt, nec ſolertiæ. Hoc igitur, quantum eſt in nobis, cavebimus ſemper ac deteſtabimur.

VI. At enim *Paulus Coloſſ. III, 5*: Νεκρώσατε οὖν, inquit, *τὰ μέλη ὑμῶν τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, πορνείαν, ἀκαθαρσίαν, πάθος, κ. τ. λ. Necate igitur membra veſtra terreſtria, ſtuprorum impuritatisque ſtudium, libidinum licentiam*, &c. Ergo *mors* corporis, quod naturaliter adhuc animatur, *ſpiritualis* vocari poteſt. Sed ne quidquam ita colligitur. Neque enim corpus aut membra corporis hic necari iubentur, ſed vitia, quæ propter perpetuitatem habitus impuri ac propenſionis tanquam membra quædam animo circumfuſa haberi poſſint. Vitia autem iſta quomodo necantur? Legendis nempe Scripturis ſacris, precibus aſſiduis & ſalutis ſtudio incenſis, ieiuniorum opportunitate, animi temperantia & moderatione, exempli Chriſtianorum veterum, ac præſertim ipſius Ieſu, meditatione & imitatione, proborum familiaritate, diligenti admo-

nitionum obſervatione, crebro ſacramentorum uſu, conſideranda honeſtatis utilitate, acri & ſubita occaſionis ſubdolæ fuga, cogitationum bonarum admiratione & cuſtodia, ponderanda conſtantiæ dignitate, & ſimilibus rebus aliis. Hæc autem unde tandem & ubi naſcuntur? E miſericordia & caritate Dei erga homines in animo ſubſidiis hiſce divinis cupide uſo, & proinde magis indies magisque excitato ac beato. Animo autem recte ac ſalubriter informato, nulla eſt iam vitiorum vis, nulla peſtis. Vita illa ſpiritualis, homini primo ingenerata, reſtituta iam cernitur, in cuius communitatem corpus etiam venit. Nulla igitur in corpore ſupereſt mors, quam tralate ſic dicunt ſcriptores ſacri. Ficta igitur & commentitia eſt mors illa, quæ re vera vita eſt, & vita proinde recte dicitur. Semina vitiorum, quod fatemur, in natura noſtra remanent, neque exſtirpari omnino poſſunt. Sed, ut ager, in quo mala ſemina reſtant, propter agricolæ vigilantiam & induſtriam horridus, effoetus, mortuus, dici non poteſt, ita cultiſſimus quisque animus ob ſummam ſpiritus divini ſolertiam & vim minime vocari poteſt mortuus, nec proinde corpus, in quo ipſe non modo reſidet, ſed etiam vivit ac viget. Vetus quidem verbum eſt, a potiori fieri denominationem. Atqui, ubi vita eſt, quanquam ei periculum mortis ſit adiunctum, ibi a vita appellatio depromi debet. Vita eſt enim morte potior. Quare ſpiritus divini etiam hic admiramur ſapientiam, qui, ut vitæ dignitas appareat,

pareat,

pareat, morti corporis fere ſubiicit mentionem vitæ animi. Ecce 2 *Cor. IV*, 10, 11, 16: Πάντοτε τὴν νέκρωσιν τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι περιφέροντες, ἵνα καὶ ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ ἐν τῷ σώματι ἡμῶν φανερωθῇ. Ἀεὶ γὰρ ἡμεῖς οἱ ζῶντες, εἰς θάνατον παραδιδόμεθα διὰ Ἰησοῦν, ἵνα καὶ ἡ ζωὴ τοῦ Ἰησοῦ φανερωθῇ ἐν τῇ θνητῇ σαρκὶ ἡμῶν. Διὸ οὐκ ἐκκακοῦμεν· ἀλλ' εἰ καὶ ὁ ἔξω ἡμῶν ἄνθρωπος διαφθείρεται, ἀλλ' ὁ ἔσωθεν ἀνακαινοῦται ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ. Comparetur *Coloſſ. III*, 3. Perpendatur etiam *Rom. VIII*, 13: Εἰ γὰρ κατὰ σάρκα ζῆτε, μέλλετε ἀποθνήσκειν. Εἰ δὲ πνεύματι τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατοῦτε, ζήσεσθε. *Si enim carni convenienter vivitis; iam iamque moriemini. Sin ſpiritu opera carnis enecatis; vivetis.* Vide, quam belle operibus carnis mors imminere dicatur, & quàm pulchre malarum actionum exſtirpationi vita tribuatur, ſpiritus divini comes & effectus. Quamdiu mala perpetrantur, mors eſt præſentiſſima, cum ſpiritualis, tum etiam naturalis. Repreſſa facinorum libidine, iam vita naturalis pariter ac ſpiritualis adeſt. Hanc vitam cur nos mortem appellabimus? An Chriſtiani perſona dignum eſt, ſpiritus divini ſenſum immutare, ſermonem corrigere, diſciplinam perſtringere? *Minervam Arachne* male provocavit, male corrigere auſa, male periit.

VII. At enim mors in corpus convenit, & vita in animum divinitus colluſtratum & purgatum, eodemque tempore. *Paulus* enim *Rom. VIII*, 10, Εἰ δὲ, inquit, Χριστὸς ἐν ὑμῖν, τὸ μὲν

σῶμα νεκρὸν δι' ἁμαρτίαν· τὸ δὲ πνεῦμα ζωὴ διὰ δικαιοσύνην, vide, ubi Chriſtus in homine ſit, quam inibi corpus pravitate omni vacare, & animus contra divina virtute plenus eſſe, dicatur. Vita igitur corpori negatur tantummodo idcirco, quia peccatis tam naturalibus ipſi & propriis caret. Si igitur vita aliena valet & viget, propria autem & domeſtica, hoc eſt, mala & deteſtabili, caret; gratulandum corpori de tanto bono, gratulandum de victoria Chriſto, neque nova vita mors appellanda, ſed priſtina impuri hominis vita, quæ re vera mors erat, mors ducenda & nominanda. Corpus hominis, in quo Chriſtus ineſt, propter peccatum *Adami*, & proprias cuiusque culpas, mortale & pœnæ mortis obnoxium eſt; ſed non idcirco ſpiritualiter mortuum vocari poteſt. Ubi enim Chriſtus habitat, ibi cœleſtis vita, ibi ſanctitas & omnis bonorum divinorum vis & ubertas procreatur, diffunditur, adoleſcit, matureſcit. Hæc autem vis, hic vigor, hoc incrementum, an mortis eſt, & morti adſcribi poteſt? Ubi Chriſtus vivit, ibi *Paulus* animum vivere, id eſt, ſpirituali vita expleri, aſſeverat. Ab hoc autem animo tam vivido ad corpus, animi domicilium, nihil vitæ, nihil vigoris, nihil boni motus, redundet? Si redundat, uti propter mutuum complexum & commune utriusque vinculum redundare neceſſe eſt; vita & vigor utrique, & corpori & animo, neceſſario competit, ac proinde corpori æque atque animo tribui debet. Unde igitur fiat, ut, Chriſto toti homini præſente &

inhabi-

inhabitante, animo *vita ſpiritualis*, corpori *mors ſpiritualis*, aſſignetur? Communitas Chriſti, hoſpitis animum ac corpus pariter vivificantis, corpori vitam, corpori mortem, afferre dicatur? Quis hoc credere, quis hoc ſentire, quis hoc affirmare, audeat? *Paulus Rom. II*, 1, Romanos per miſerationem Dei hortatur, ut *corpora* ſua *victimam vivam*, *ſanctam*, *Deo probatam*, offerant. Atqui, ſi *viva victima* ſunt *corpora* Chriſtianorum, cur ea ſpiritualiter mortua vocabimus? Idem *Paulus Gal. II*, 20, *ζῶ δὲ*, inquit, *οὐκ ἔτι ἐγὼ, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός· ὃ δὲ νῦν ζῶ ἐν σαρκὶ, ἐν πίστει ζῶ*, negat *ſe vivere*, ait, *Chriſtum in ſe vivere*, ergo vixit Chriſtus & in animo *Pauli*, & in corpore. Addit *Paulus*, *ſe*, *quod in carne vivat*, *per fidem vivere*. Quis autem credat, *Paulum* exiſtimaſſe, in cadavere ſe vivere? Corpus enim ſpiritualiter mortuum eſt cadaver ſpirituale. Cadaver autem ſpirituale quid tandem eſt? *Spiritus* & *vita* ſono differunt; re ipſa non diſcrepant. Repugnat igitur nomen *ſpiritus* nomini *cadaveris*, neque mente conciliari coniungique poſſunt. Loquemur igitur, ſi ſapimus, ſi ſapere videri volumus, quod intelligi queat. Corpus, quod per ſpiritum divinum vivit, vivum appellabimus; corpus, quod ſpiritus divini motu & vi caret, mortuum dicemus. *Paulus* quidem *Ebr. VI*, 1, *μετάνοιαν ἀπὸ νεκρῶν ἔργων* prædicat. Ergo *νεκρὰ ἔργα* ſunt ſcelera, facinora, omne denique malorum ſtudiorum genus. Hæc ubicunque exoleverunt, ibi ſpiritualis vita cœpit. Vitam ſpiritualem mortem

ſpiri-

ſpiritualem ne vocemus. Perpendamus verba *Pauli* 1 *Tim. V, 6:* Η δὲ σπαταλῶσα ζῶσα τέθνηκε, *quæ luxuria, diffluit vidua, ea viva eſt mortua*, id eſt, quanquam naturaliter vivit, tamen ſpiritualiter eſt mortua. Apparet igitur, a ſcriptoribus divinis *mortuos* dici, qui ſenſu divino carent, ſeu quorum animus ſpiritus divini motibus vacat. Quomodo igitur corpus, quocum motus divini communicantur, & quod proinde vivit, ſpiritualiter mortuum dicetur? Imitabimur ſermonem diſcipulorum Chriſti, neque illorum ſermoni formulas dicendi admiſcebimus, quæ diverſum quiddam ſonent, & ſpiritui divino ignotum. Si bona nos opera, quæ illi mala: ſi Belialem, quem illi Deum: ſi neglectionem & incuriam, quam illi providentiam, dicunt, appellabimus; quæ tandem erit theologia noſtra? Ea demum theologia eſt putanda, in qua & ſententiæ & locutionis divinæ expreſſa cernitur imago.

VIII. Sed pungit me hic tamen aliquid. Nam in V. C. *I. A. B. Lib. I Cap. 20*, & alibi fortaſſe, reperio, quod eos, qui nobiscum ſentiant, fortaſſe mordeat. Verum potior nobis ſemper ſpiritus divini, quam hominum, eſt auctoritas. A ſpiritu divino & morum conformatio, & ſentiendi docendique auctoritas, depromi poteſt ac debet. Ab hominum etiam optimis libris ſæpe magis diſciplina morum, quam certa præceptionis fides, ac ſanorum verborum forma, repeti poteſt. Religio uni Deo eſt dedita; hominum auctoritati non eſt dedita.

II.

PETRI ZORNII DISSERTATIO DE S. PETRO, SUPER MARE AMBULANTE,

ad *Matthæi XIV*, 28 ſeq.

I.

Hiſtoria Petri, ſuper mare ambulantis, digna utique eſt, quæ imis noſtris ſenſibus reponatur. Nimirum, cum *Petrus* petiiſſet a Chriſto, ut concederet ſibi ſuper aquas ambulare, ſuper quas videbat eum incedere, Chriſtus illi annuit. Et *Petrus* quidem, ſe dimittens ex navicula, cœpit in aquæ ſuperficie incedere, atque ad Ieſum ire; ſed, cum ventus vehemens eſſet, cœpit timere, ac, deficiente eum fiducia, qua primum Chriſto fidem habens, eius mirificam potentiam experiri cœperat, aqua ceſſit eius veſtigiis, &, cum ſentiret, ſe mergi, Ieſum, ut ſibi auxilio eſſet, magna voce vocavit. Inde famoſus quidam religionis Chriſtianæ inter Mohammedanos proditor & apoſtata [a] *Divinitatem Chriſti oppugnare* ſuſtinuit. *Per hoc*, inquit, *manifeſte apparet*

a) Deſignatur ALHASAN, filius *Ajubi*, ſeu *Iobi*, Apoſtata a Chriſtiana fide, a quo AHMED, filius *Abdalhalim*, ſua arma accepit ad oppugnandam Chriſti divinitatem in *Apologia contra Chriſtianam religionem*.

paret defectus potentiæ in Chriſto, cum non potuerit perfecte præſtare id, quod ab eo Simon Cephas poſtulaverat. Verum enim vero, uti recte iudicat LUDOVICUS MARRACCIUS, [b] ſponte & maligne cæcutit homo impius, dum *tribuit potentiæ Chriſti defectum illum, quem Evangeliſtæ manifeſte declarant fuiſſe fidei Petri* & ceterorum diſcipulorum. Quemadmodum enim, inquit MARRACCIUS, Deus ita vult homines ſalvare, ut ipſa mala opera fugiant, ac bene operentur, recteque credant; nec argui poteſt potentiæ defectus in Deo, ſi hi male operantes, fidemque deſerentes, pereant, quos ille, quantum in ſe erat, cupiebat & volebat ſalvos fieri; ita *Chriſtus ea conditione miracula patrare decreverat ſaltem in aliquibus caſibus, ut ii, pro quibus patranda erant, haberent fidam; qua ſi caruiſſent, ex defectu ipſorum, non ex Chriſti impotentia, miracula non fiebant.* Innumera ſunt, quæ Deus in ſacris literis promittit ſe facturum, quæ tamen minime facit *ob defectum conditionum appoſitarum, ex parte hominum:* neque tamen inde ulla Dei impotentia, aut defectus ullus, poteſt deduci.

II.

Mittimus *Mohammedanos*, audiamus *Iudæos*. Nimirum, uti videre licet apud IOANNEM BRAUNIUM, [c]) famoſus ille libellus, cui titulus

b) In *Prodromi ad refutationem Alcorani Parte III Capite 14 pag. 60,* & in ipſa *Refutatione Alcorani pag. 205.*

c) In *Commentario in Epiſtolam ad Ebræos pag. 130.*

tulus תולדות ישו, *de generatione Ieſu*, ad ignominiam Chriſti impoſitus, fateri debuit, *Chriſtum plurima & plane inaudita feciſſe miracula*, quæ inter refert *hiſtoriam Chriſti ſuper aquas ambulantis.* Videmus vim veritatis, quæ invitis etiam pectoribus ſui confeſſionem extorquet; videmus etiam veſanum Iudæorum in Chriſtum odium, quando *miracula Chriſti eiusdem arti magicæ* adſcribunt, quam, uti legimus apud IOANNEM BRAUNIUM, alii ex Ægypto, alii ex Hieroſolymitano templo, a Chriſto adductam eſſe fingunt. Ceterum *miracula Ieſu, uti numero plurima, ita & genere diverſiſſima, fuerunt, non certæ alicui ſpeciei adſtricta, ſed univerſalia, & poteſtatem atque imperium in omnes rerum ſpecies demonſtrantia*, d) *in mare, in ventos, in piſces.* Mare pavimenti inſtar ſtravit, ut in eo non ſecus, quam in platea, ambularet, & per altiſſimos gurgites pedes ferret illæſos. Idem mare, tempeſtatibus agitatum, compoſuit, ventosque verbo ſilere iuſſit, ad ſpectantium ſtuporem dicto audientes *Matthæi VIII*, 24. Piſces iuſſu ſuo in retia conſertim, & velut agmine facto, compulit *Ioannis XXI*, 6, &, ſi opus eſſet, cum nummo, quem deglutierant, ſponte, ut ita dicam, capiendos ſe dare iuſſit *Matth. XVII*, 27. Quæ cum ita ſint, *primi Chriſtiani in gemmis ſuis* Chriſtum, qui

d) Verba hæc ſunt HERMANNI WITSII *Diſſertatione I de Miraculis Ieſu §. VI pag.* 335. *Meletematum Leidenſium.*

qui *Petrum* iamiam mergendum porrecta manu ad aquæ ſuperficiem retraxit, non ſine ſingulari pietate repræſentarunt. Teſtem eius rei lucu-lentiſſimum habemus HIERONYMUM ALE-ANDRUM [d]).

III.

Redimus ad *Petrum*. Is *Chriſtum loquentem audierat;* eccur ergo dubius & perplexus ſecum adhuc diſputat, &, *ſi tu es*, inquit, *iube me venire*. Nimirum conditio, quam ponit, *non-dum maturam eius fidem eſſe*, teſtatur. Porro in fide tam exigua & debili erumpit *parum conſiderati voti ardor;* debuerat enim ſuo modulo ſe metiri, & potius a Chriſto petere fidei in-crementum, ut ea duce & moderatrice maria tandem & montes tranſcenderet, nunc vero ſine fidei alis temere volare cupit, &, cum in eius corde iuſtam firmitatem non habeat vox Chriſti, aquas ſub pedibus ſuis ſolidas fieri cu-pit. Neque tamen eſt dubium, quin *ex bono principio*, hoc eſt, *ex feſtinatione quadam*, natus fuerit hic affectus, [f]) ſed, quia in vitioſum ex-ceſſum

e) Hic enim edidit Romæ A. 1626 *Navis, Eccleſiam referentis, Symbolum, in veteri gemma annulari inſculptum, & illuſtratum explicatione.* Confer *Bibliothecam* noſtram *antiquariam & exegeticam pag. 76 ſeq.*

f) COELIUS SEDULIUS *Mirabilium divinorum Libro III verſu 229 ſeq.*:

Miratur ſtupefacta cohors ſub calle pedeſtri
Navigeras patuiſſe vias; at Petrus amicam

Doctus

ceſſum degenerat, bonitatis laudem amittit. Hinc fit etiam, ut ſtatim temeritatis ſuæ pœnas dare incipiat *Petrus*. Quare fideles, hoc exemplo edocti, *a nimia feſtinatione* caveant. *Quocunque vocat Dominus, ſtrenue currendum eſt, ſed, qui ultra progreditur, tandem infauſto eventu ſentiet, quid ſit fines tranſilire.* Quæri tamen poteſt, *cur Petri voto annuat Chriſtus;* nam videtur hoc modo probare. Sed in promtu eſt reſponſio, Deum plerumque nobis melius proſpicere negando, quæ petimus, aliquando autem nobis eſſe facilem, ut ipſa experientia ſtultitiæ noſtræ nos melius convincat. Luculentius etiam reſplenduit virtus Chriſti in *Petri* perſona, dum ſibi eum comitem adiungit, quam ſi ſolus ambulaſſet ſuper aquas: interea *cognoſcit, & cernit Petrus, quia ſolida fide non reſidet, nec recumbit in verbo Domini*, arcanam Dei virtutem, quæ prius aquas ſolidabat, diffluere: cum eo tamen benigne egit Chriſtus, quod non paſſus eſt penitus ſubmergi. Notandum etiam eſt, quod *Petrus*, male & infeliciter ſuam temeritatem ſibi ceſſiſſe videns, ad Chriſti miſericordiam ſe confert, qui *Petrum* clementer ſervat, ut tamen eius vitium indulgentia non foveat. Huc pertinet iſta caſtigatio,

Doctus habere fidem, Chriſtumque agnoſcere ſemper,
In medias deſcendit aquas, quem dextra levavit
Labentem Domini, nil tanto in gurgite paſſum:
Cui portus fuit illa manus, pelagique viator
Libera per vitreos movit veſtigia campos.

tio, qua *fidei eius imbecillitas* damnatur. Quæritur tamen, *an fidei defectum arguat quilibet timor*; id enim videntur innuere Chriſti verba, dubitationi non eſſe locum, ubi fides regnat. Reſpondet IOANNES CALVINUS,[g] *dubitationem hic a Chriſto reprehendi, quæ directe fidei contraria erat. Fieri poterit, ut dubitet quiſpiam ſine vitio, ubi ſcilicet* nondum occurrit verbum Dei, quo certior reddatur. *Sed alia fuit Petri ratio, qui inſtructus mandato Chriſti, & iam eius virtutem expertus, ab illa duplici firmitate ad vanum perverſumque timorem delabitur.*

IV. *Centuriatores Magdeburgenſes* aiunt, *Petrum labi, quod præter vocationem ex quadam curioſitate petat, ut evocetur in mare, ideoque poſtea puniri, & in maiora peccata incidere, nempe in dubitationem, ac imbecillitate fidei laborare.* ROBERTUS BELLARMINUS[h] contra, *nullum in hac re Petri eſſe peccatum*, aſſerit. Quid ita? *Nam*, inquit, *Petrus, ſi peccaſſet petendo, ut evocaretur in mare, non obtinuiſſet, quod petiit: non enim miracula Dei cooperantur peccatis noſtris.* Præclare! quaſi vero non peccarint Iſraelitæ, *Numer. XI*, 4, dicentes: *O ſi quis daret nobis comedendam carnem: recordamur piſcium, quos edebamus in Ægypto*, cum tamen obtinuerint carnem, quam optabant; aut miraculum Dei propterea ſit dicendum cooperatum eſſe peccato illorum: quia Deus recte ope-

g) In *Harmonia Evangeliſtarum pag. 181.*
h) *De Romano Pontifice Lib. I Cap. 28.*

operatus eſt, quod illi male concupiſcebant. Mirum, inquit IOANNES RAINOLDUS [i], ni Chriſti etiam miracula BELLARMINUS dicat cooperata eſſe incredulitati, cum regii illius viri, cui dixit *Ioan. IV, 48: niſi ſigna & miracula videritis, non credetis*, tum Apoſtoli *Thomæ, Ioan, XX, 6*, cuius cauſa venit in domum, foribus clauſis, in qua diſcipuli erant, eique ſe ſiſtens, ut manus ſuas & latus videret, tangeretque, *ne eſto*, inquit, *incredulus; ſed credens*. At ego arbitrabar, *imbecillitatem fidei*, quam Chriſtus in his duobus notat, non impediviſſe, quin is *Matth. XII, 20*, qui arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non exſtinguet, in eorum gratiam ederet miracula. Quodſi CORNELIUS IANSENIUS [k] *Thomam* inſimulat *curioſitatis*, &, ut reor, merito, nec enim ANTONIUS POSSEVINUS [l] hoc in eo carpit, & AUGUSTINUS, [m] *Thomam* eiusdem culpæ arguens, laudatur a FRANCISCO TOLETO [n], ſed ſi illi recte *Thomam* inſimulant curioſitatis, quoniam Chriſtum ſe vidiſſe dicentibus non credidit, niſi ipſe etiam videret & tangeret, adeone horrendum ſcelus commiſerunt *Magdeburgenſes, curioſita-*

Gc 2 *tis*

i) *De Romanæ Eccleſiæ Idololatria Libro I Capite 4 §. 4 pag. 116.*

k) In *Commentario in Concordiam & totam Hiſtoriam Evangelicam Capite 147.*

l) Vide paulo inferius *notam p*).

m) *Sermone CLIX de Temp.*

n) In *Evangelii Ioannis Caput 20.*

tis Petrum arguentes, qui non credidit Chriſto, ſe Chriſtum eſſe aſſerenti, niſi miraculo rei fidem faceret? Timorem autem *Petri* & dubitationem iure etiam culpari, quid affert BELLARMINUS, cur inficietur? *Eſt*, inquit, *ſingularis in hac re Petri fides.* Eſto, quoad promtam ingreſſionem maris; at in timore ſubſecuto apparet diffidentia. At MAXIMUS [o] ait, *Petrum de ſe diffiſum eſſe, non de Domino dubitaſſe.* At Chriſtus, maior MAXIMO, eum de Domino dubitaſſe, indicat. Is enim culpat *Petri* diffidentiam, dicens: *exiguæ fide prædite, quid dubitaſti?* Rem autem laude dignam feciſſet *Petrus*, ſi duntaxat de ſe diffiſus eſſet, ut agnoſcit MAXIMUS; præſertim in edendo miraculo, quod vi divina fit, ut *Petrus Actor. III, 12*, recte docuit. *Dubitavit ergo Petrus de Domino*, id quod etiam CORNELIUS IANSENIUS, vir magnæ in eccleſia Romana auctoritatis [p], ſuo ſuffragio

o) *Sermone I de Natali Apoſt.*

p) Hunc CÆSAR BARONIUS in *Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos* vigilantiſſimum Sacrarum Literarum interpretem appellat; huius Commentarios non ſolum GOZEUS, Sacræ Theologiæ Profeſſor Lovanii, & Librorum Cenſor, magna tum pietate, tum eruditione ac iudicio maturo, ſcriptos affirmat, ſed etiam MOLANUS, Cenſor Regius & Pontificius, ſumma diligentia caſtigatos & auctos propter ſingularem pietatem & eruditionem Reipublicæ Chriſtianæ utiliſſimos eſſe, communiter a doctis viris iudicari ait: hunc denique POSSEVINUS, cenſor cenſorum, *Bibliotheca ſelectæ Libro II Capite 18* in omnibus,

ſuffragio comprobat, dum, *Petri*, ſuper aquas ambulantis, fidem infirmam fuiſſe, colligit ex diffidentia, quam venti conſpectus excitavit: *& hinc docemur*, inquit, *quæ ſit naturæ noſtræ in diffidendo ſtupida facilitas: Petrus enim, qui, fide quod maius erat, ſuperavit, nempe undas maris, a minori turbatur, & ſuperatur nimirum a venti impulſu.* Quare, ſi Magdeburgenſes tribuiſſent *Petro* non imbecillitatem fidei, ſed ſtupidam in diffidendo facilitatem, nihil feciſſent amplius, quam quod a BARONIO, GOZEO, MOLANO, & POSSEVINO, probatur. Cum autem lenioribus verbis hunc illius nævum aperuerint, iudicent Chriſtiani, quo ſpiritu BELLARMINUS eos *horrendi mendacii* & *blaſphemiæ* primo loco arguat.

V. Inter *prærogativas Petri* refert Eccleſia Romana, *quod Petrus ſolus cum Domino ſuper aquas ambulat.* Simile eſt, quod *Ioannes* narrat *XXI*, 7, *Petrum* ſe miſiſſe in mare, ceteris diſcipulis in navicula ad Dominum venientibus. Sed quid hoc ad rem? Agnoſco, inquit GUILIELMUS WHITAKERUS [q], hanc *Petri* prærogativam, quod ſuper aquas ambulavit: tale aliquid nullus Apoſtolus tentavit. Et *Pe-*

omnibus, quæ ſcripſit, præſertim in Concordiam Evangelicam & in Proverbia, et magno valentem iudicio, & eruditum, oſtendere profitetur.

q) In *Prælectionibus in Controverſiam de Romano Pontifice Controverſia IV, ſitne Eccleſiæ Monarchia in Petro conſtituta, Quæſtione II Capite 11 pag. 275.*

trus etiam, dum alii naviculam propellunt, nudum ſe in mare abiecit, ut celerius ad Chriſtum perveniret. Ardoris & deſiderii magna ſane prærogativa; ſed, quod hinc Adverſarii concludunt, *Petrum fuiſſe totius Eccleſiæ Principem*, mirum argumentum eſt, quaſi aut natare in aquis, aut ambulare ſuper aquas, idem ſit, quod Principatum obtinere. *Sed aquæ multæ ſunt populi multi*, inquit BERNARDUS [r], *& mare eſt ſeculum*, ergo *Petrus, inſtar Domini gradiens ſuper aquas, unicum ſe Chriſti vicarium deſignavit.* Lepidum *allegoriæ* commentum, de quo nullus Pater ante BERNARDUM ſomniavit. Quam abſurda Allegoria ſit, facile exiſtimari poteſt. Nam BERNARDUS per navem intelligit Eccleſiam, per mare ſeculum; ergo *Petrus* reliquit Eccleſiam, ut ſeculum gubernaret. Sed, niſi maiore argumentum auctoritate, quam BERNARDI, nitatur, qui in maximis ſeculi ſui tenebris vixit, facile contemnitur. Cum igitur ex hoc *Petri* facinore diſci & colligi multa poſſunt, tum nihil minus, quam *Petrum* fuiſſe Monarcham. IOANNES CHRYSOSTOMUS, [s] fide & charitate Chriſti præſtitiſſe reliquis *Petrum*, colligit; id reliqui Patres obſervant; *primatum Petri* nullus hinc elicere potuit. Interim RUTILIUS BENZONIUS [t] delicias ſummas quærit in inepta illa BERNARDI Allegoria.

VI.

r) *Libro II de Conſid.*
s) *Homilia LI in Matthæum.*
t) *De Anno Sancto Iubilæi Libro II Capite 15 pag. 141.*

VI. Revertimur in hac ipſa Hiſtoria *ad Chriſtum*, & vero ea, quæ ab ipſo facta ſunt, aliquid ſignificaſſe, *quaſi viſibilia verba*, Chriſtumque parabolas, etiam πρακτικὰς, atque adeo ἐνεργητικὰς, ut cum Rhetoribus loquamur, *veterum Prophetarum more*, adhibuiſſe, AUGUSTINUS[u] apud ANDREAM LUDOVICUM KOENIGSMANNUM[x] ſibi videtur advertiſſe. Recte, bene! Ieſus mari inambulat, cum illud agitari cœpit, & Apoſtolorum navigantium curſus contrario vento impediri, idem ſuos non exiguo timore percitos alloquitur, bono animo eſſe iubet, ſe enim eſſe, quem mari inambulantem viderent. Denique una cum *Petro*, quem porrecta manu ad aquæ ſuperficiem retraxerat, naviculam conſcendit, mox vero ventus, qui, uti vidimus, contrarius fuerat, cecidit, & navigiolum paulo poſt pervenit ad locum, in quem curſum direxerant. Quemadmodum autem *Chriſtus ſuam veram divinitatem* hoc eximio miraculo probat; [y] ita tanquam *ſummus navarcha Eccleſiæ ſuæ* fata inter medias tempeſtates moderatur. *Navis* eſt Eccleſia, [z]

u) *De Doctrina Chriſtiana II*, 3, *& Quaſt. Evang. I*, 68.

x) In *Diſſertatione Rhetorica de Parabolis Chriſti Propheticis* §. 3.

y) Vide *Iobi IX*, 8, 10, *Pſalmum LXXXIX*, 9, 10, *CXXXV*, 6.

z) Vide *Apocal. VIII*, 9, *XVIII*, 17, & confer *Bibliothecam* noſtram *Antiquariam & Exegeticam pag.* 84.

mare eſt Paganiſmus, ſive Imperium Romanum. [a] Præſtat hæc omnia συμβολικῶς accipere. Faciunt autem interpretando *huic emblemati* inſignia verba, quæ leguntur *Pſalmo LXV, 7, 8: Firmans montes vi ſua, cinctus potentia;* ימים משביח שאון, *componens* (ſedans) *tumultum marium, tumultum marium, tumultum fluctuum eorum & multitudinis gentium.* Per *maria* igitur hic intelligitur *colluvies gentium.* Simile habetur *Pſalmo XXXII, 6, XLVI, 4, 5, LXXXIX, 10, CXXIV, 4, 5.* Quæ cum ita ſint, *viam navis in corde maris* apud *Salomonem Proverbiorum XXX, 19,* PAULUS WEIDNERUS, [b] itemque alius Scriptor Anonymus, [c] interpretantur *de Eccleſia, incolumi ſæpius conſervata inter graviſſimas afflictiones,* quæ magnam cladem Eccleſiæ & ruinam minitabantur. Quid multa? Conſulendus hic erat SALOMO VAN TIL, [d] qui hanc Parabolam Chriſti recte explanavit, quippe ἐνεργητικήν.

III.

a) Vide *Apocal. VIII, 8, XIII, 1, XVI, 3,* & confer IOANNEM BRAUNIUM in *Commentario in Epiſtolam ad Ebræos pag. 901.*

b) In *Locis præcipuis Fidei Chriſtianæ collectis & explicatis pag. 256.*

c) In נפלאות אל *illuſtratis breviori Exegeſi cap. 30 Proverbiorum §. 14 pag. 423 Muſei Hiſtorico-Philologici Voluminis I Parte III.*

d) In *Commentario in Matthæum pag. 567: Ieſus kömt auf dem Meer ſeiner Iünger Schwachheit entgegen, und verwilliget Petro ſeine Bitte, aufdaſs ihr wanckelmüthiger Glaube ie mehr und mehr in ei-*

nem

III.

I. C. H.

DEMONSTRATIO, QUA COMPROBATUR, IESUM, INCHOATO DIE XV NISAN, CUM DISCIPULIS AGNUM COMEDISSE PASCHALEM.

I.

IEſus primo die Azymorum, quo agnus Paſchalis mactari ſolebat, id eſt, ad XIV Niſani menſis diem, diſcipulos iuſſit apparare ea, quæ ad agni Paſchalis lætitiam obeundam erant neceſſaria. *Marcus XIV, 12:* Τῇ πρώτῃ τῶν Ἀζύμων, ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον, λέγουσιν αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ· ποῦ θέλεις ἀπελθόντες ἑτοιμάσωμεν, ἵνα φάγῃς τὸ πάσχα; *Primo die Azymorum, cum agnum Paſchalem mactarent, dicunt*

nem hertzhaftigen und feſten Vertrauen befeſtiget werden mœchte; denn weil ſie wieder nach Galilæam kehrten, woraus ſie vor einem Tag oder zwey bey nahe als Flüchtlinge für den liſtigen Stricken Herodis gewichen waren, *Matth. XIV, 3, ſo wolte er ihnen durch dieſe wunderbare Erhaltung zu erkennen geben*, daſs er der wære, ſo auf den Hochmuth des Waſſers treten, und alles Ungeſtüm des Satans und ſeiner Unterthanen bezwingen konte, ſo daſs dieſelbe ſeine Kirche keineswegs erſticken, oder ſich unterwerffen kœnnen, aufdaſs ſie unbekümmert vor Herodem mit ſeinem Anhang wiederum ans Land fahren, und unter ihrem Volck wohnen, und ſich aufhalten, mœchten.

ipſi (Ieſu) *diſcipuli eius: Ubinam vis abeuntes paremus, ut edas agnum paſchalem?* Primus dies Azymorum erat decimus quartus menſis Niſan. Eo die mactabant Iudæi univerſi agnum paſchalem [a]. θύειν τὸ πάσχα eſt idem ac *macta-re beſtiam vivam, ſeu agnum paſchalem.* Niſi unico die Iudæi omnes concordiſſimo inſtituto tunc mactaſſent agnum paſchalem, dies ille unus non potuiſſet huic actioni deſtinatus & addictus dici. Eo die paraturi erant diſcipuli in ſuperiori ædium Hieroſolymitanarum quarundam *v.* 15 agnum paſchalem, domi edendum. Conf. *Matth. XXVI*, 17 - 19. Eodem die paraverunt diſcipuli ea, quæ ad edendum domi paſcha, id eſt, agnum paſchalem erant neceſſaria. Ipſi ἡτοίμασαν τὸ πάσχα, *præpararunt paſcha*, in urbe domi edendum. *Marc. XIV*, 14, 15, 16, *Matth. XXVI*, 17, 18, 19. Cum dimitteret Ieſus diſcipulos, nominatim *Petrum* & *Ioannem*, dies illa Azymorum iam veniebat *Luc. XXII*, 7, *qua oportebat mactari* τὸ πάσχα, *agnus paſchalis*, domi edendus, *v.* 8, 9, 10, 11, 12.

II. Ieſus diſcipulos miſit Hieroſolymam ex vico Bethaniæ eo tempore, quo erat primus dies Azymorum (§. 1), & quo homines in urbe portabant amphoras fictiles, aqua plenas, quo patresfamilias libere poterant compellari, quo civis quidam oſtendebat diſcipulis conclave in ſuprema ædium ſuarum parte, quo ea poterant expediri & apparari, quæ ad edendum domi paſcha requirebantur. Ad diem lucen-

tem

a) In ſacris comedendis dies præcedebant noctem.

tem hæc ſpectant, haud ad noctem. Die itaque primo Azymorum, quo oportebat agnus paſchalis rite parari & mactari, diſcipuli in urbe, quæ deſtinationi ſuæ & mandato congruebant, pararunt domi paſcha illud edendum. Proprie quidem loquendo dies primus Azymorum inchoabatur a ſequenti nocte. At, quia mactatio agnorum paſchalium poſt meridiem diei XIV menſis Niſan peragi ſolebat, pomeridianum illud tempus ad primum diem Azymorum connumerabatur.

III. Hæc cum *Lucas* expoſuiſſet, addidit illico *XXII, 14*: *ὅτε ἐγένετο ἡ ὥρα, ἀνέπεσε, cum hora illa adveniſſet, accubuit* Ieſus domi in urbe, & in loco prædefinito. Hora illa ſpectat ad edendum Paſcha. Ipſe enim hæc præmiſit *v. 7, 8*: *Ἦλθε ἡ ἡμέρα τῶν Ἀζύμων, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα, καὶ ἀπέστειλε Πέτρον καὶ Ἰωάννην, εἰπών: πορευθέντες ἑτοιμάσατε ἡμῖν τὸ πάσχα, ἵνα φάγωμεν (αὐτό).* Diſcipuli vero, in urbem profecti, dixerunt die artificiali XIV menſis Niſan: *Ubi eſt conclave illud diverſorii, in quo Paſcha edam cum diſcipulis meis? v. 11.* De Paſcha, rite tum mactando, domique edendo, verba facit *Lucas*. Diſſerit itaque de agno paſchali. Idem argumentum copioſe expoſuit Eminentiſſ. *Proſper Lambertini*, nunc Pontifex Romanus, *Benedictus XIV*, in libro: *Annotazioni ſopra le Feſte di noſtro Signore §. 126 ſeq. pag. 68 ſeq.*

IV. Cum ingrueret nox, & cœlum admodum adveſperaſſet, dies inchoabatur apud Iudæos novus. Si itaque Ieſus, ſeriori parte diei

exorta,

exorta, ſeſe ad edendum paſcha in conclavi illo compoſuit, idque poſtea edit, perſpicuum ſane eſt, Ieſum vixiſſe adhuc, cum XV dies menſis Niſan cœpiſſet. *Marcus* dilucide apparato Paſcha, domi edendo, hæc ſubiunxit: ὀψίας γενομένης [b] ἔρχεται μετὰ τῶν δώδεκα, *ſeriſſima diei parte iam inclinante, & elapſa, venit cum diſcipulis illis duodecim Ieſus* in conclave Hieroſolymitanum, in quo Paſcha edendum fuerat paratum. Hæc erat hora illa, illa temporis prædefiniti ſolitique pars, qua paſcha præparatum ſolebat edi in certa ac deſtinata ſocietate. Accubuit Ieſus, ac multa peregit, quæ intra crepuſculi morulam haud poterant expediri. *Ioan. XIII, 30 ſeq. XIV, XV, XVII, XVIII, 1.*

V. Cruci affixus fuit Ieſus die XV menſis Niſan. Ipſe enim in cruce deceſſit die illo, qui ſecutus fuit noctem illam, quæ excepit veſperam illam, qua ipſe venit Bethania Hieroſolymam, ibique accubuit, cibumque cum diſcipulis ſumſit. At hæc veſpera ſucceſſit diei illi, quo diſcipuli Paſcha, quod tunc oportebat mactari, appararunt. Nondum igitur pateſcit ratio, cur Ieſus dicendus ſit agnum paſchalem haud comediſſe. Cum vero certa ſint ea, quæ ex ipſis Evangeliſtis produximus, omnino videndum eſt, an ea, quæ in contrarium afferri ſolent, ſint æque certa & firma, diſſolvique poſſint ita, ut nihil ſuperſit difficultatis. Primus

b) *Veſpera exacta.* Ita *Herodotus I, 73:* Χρόνε γενομένε, *tempore exacto, elapſo.*

mus, qui, Ieſum, negavit, agnum paſchalem tunc comediſſe, fuit *Marcion*, hæreticus, ratus, Ieſum, cruci mox affigendum, cœna uſum fuiſſe communi, ab *Epiphanio Hær.* 42 ideo graviter reprehenſus. Seculo ſexto ſententiam *Marcionis* reſuſcitavit *Ioannes Philoponus*, de quo *Photius* diſſeruit in *Bibliotheca Cod.* 115 & 116. Seculo undecimo Græci, ut, Ieſum in cœna ſacra uſum fuiſſe pane fermentato defenderent, ſententiam *Marcionis* & *Ioannis Philoponi* confirmare ſtuduerunt, quibus nonnulli, de quibus *Theophylactus* & *Euthymius in Ioannem* meminerunt, iam pridem inter Græcos proluſerant. Momenta controverſiæ, Græcos inter & Latinos eam ob cauſam exortæ, exhibuit ſummus Romanæ Eccleſiæ Pontifex in libro: *Annotazioni ſopra le Feſte di noſtro Signoro & della Beatiſſima Virgine, Part. I §. 132 ſeq. pag. 63 ſeq.* Sed iuvat ad rem ipſam accedere, & obiectiones excipere, quibus magnam partem iam navavit operam refellendis *Capellus* in *Diſſ. contra Hieronymum Vecchietti, Florentinum*, ſcripta *de Cœna Chriſti ſuprema, deque præcipuis eius vitæ capitibus*, quam laudarunt *Petavius de Doctrina temporum XII, 6, Ricciolus Chronolog. reform. VIII, 3*, & *Bollandiſtæ Tomo I Menſis Aprilis in Actis Sanctorum pag. 5 num. 4.* Concilio Tridentino recepta fuit & approbata communis ſententia *Seſſ. 22 de Sacrificio Miſſæ cap. 1*, licet *P. Lamy, Tournemine*, & *Calmetus*, contrarium nuperrime adhuc tenuerint.

VII.

VII. Inprimis id ſcrupuli permultos male habet, quod Iudæi traduntur nocte illa, qua de Ieſu quæſtio habita fuit, haud ingreſſi fuiſſe prætorium, ſeu arcem Antoniam, *ne polluerentur, quia adhuc eis animus erat edendi* τὸ πάσχα, id eſt, *agnum paſchalem*, *Io. XVIII, 28.* Cum Iudæi recuſarent ire in prætorium *Pilati*, tempus illud appropinquaverat, quod Græci πρωΐαν appellant, id eſt, *diluculantem, & eoi, ſeu auroræ, proximam, aeris conditionem.* Rem vero omnem ita expediri poſſe, arbitramur. Solebant Iudæi, inchoata die XV menſis Niſan, per omnem noctem quisque pro re ſua veſci agno paſchali, nec nefas erat, ſub ortu lucis, ac die ingruente, adhuc illum edere. Cum vero *Iudas* proditor e cœna Chriſti abiiſſet, & Iudæi, monitu eius, ſeſe referrent in hortum Gethſemane, Ieſum adventurum ibi exſpectarent, eum ad Pontifices deducerent, ac inde ad *Pilatum* comitarentur; agni paſchalis ſodalitatem ipſi deſeruerant, rati, ſeſe ante diem redituros, eumque eſuros eſſe. Et hoc pacto ipſi, prope prætorium ſtantes, nondum potuerant veſci agno paſchali. MAIMONIDES in libro *Korban happeſach cap. 7 §. 14* dilucide: *Ex præcepto legis, ad auroram usque naſcentem ſacrum iſtuc comedi, fas erat.* Sufficiebat enim, tantum ex agno paſchali ediſſe, quantum adæquaret magnitudinem olivæ, eodem *Maimonide* teſte *cap. 2 §. 14, & cap. 8 §. 3.* Nec nefas erat, vel abeſſe azyma & olera amara, ſi ea haud reperiri poſſent, vel pauciſſima pro arbitrio

quem-

quemque ex eis ſumere. Appello teſtem eundem *Cap. 8 §. 2.* Et cur *Ioannes* diſtincte ſignificaſſet tempus, quo Iudæi adhuc paſcha edere voluerunt, niſi hæc ſubfuiſſet ratio? Temporis determinationem, ἦν δὲ πρωΐα, *Ioannes* coniunxit cum actione illa Iudæorum, qua Ieſum a *Caiapha* in prætorium *Pilati* novimus eſſe deductum. Noluerunt eo tempore, auroram præcedente, Iudæi prætorium intrare, *ut ederent paſcha*, ne polluerentur. Nihil proinde eſt in hoc, de quo diſſerimus, ſcrupulo, quod opinioni receptæ, quam propugnavimus, ſolide opponi poſſit.

VIII. Inſtas obiiciendo, perhibens, diem illum, quo Ieſus pro nobis in crucem actus fuit, dici *paraſceven*, *Luc. XXII, 14*, non ſolum ratione Sabbati inſtantis *Io. XIX, 31*, ſed etiam *paraſceven Iudæorum*, præcipuo ſenſu ſic appellatam *v. 42*, & παρασκευὴν τοῦ πάσχα, *paraſceven paſchatis*, vel feſti diei dierumque complexus paſchalis, vel ipſius agni, *v. 14*. Addis, quod rem conficere videtur, inſtitiſſe tempus illud, quo feſtum paſchale adventarit proxime, agnusque paſchalis fuerit mactandus & edendus. Nodus hic omnino talis eſt, quem halitu haud licet removere tenuiori. At nihilo minus notandum nobis eſt & unum & alterum momentum, quod difficultatem oppoſitam imminuit atque tollit. Primo quidem animadvertere licet, voci παρασκευῆς per ſeſe ſignum temporis haud ineſſe. Παρασκευὴ enim eſt *apparatus* & *apparandi actio*, quemadmo-

dum

dum ex *Thucydide* intelligitur *V*, 17, *IV*, 75, &c. Quare παρασκευὴ τῦ σαββάτυ eſt *apparatio eorum, quæ perficienda ſunt diebus Paſchæ feſtis.* Apparatio illa incidebat in ſabbati, proxime venturi, confinia atque exordium. *Marcus* dilucide *XV*, 42: Ἤδη ὀψίας γενομένης, ἐπεὶ ἦν παρασκευὴ, ὅ ἐςὶ προσάββατον, *iam veſpera facta* & *exacta* Iudæi petierunt, ut corpora reorum e cruce deſumerentur, *ſiquidem erat apparatio, quæ notat ipſum ſabbati initium.* Apparanda & apparata fuerunt a Iudæis ea, quæ initio ſabbati, eiusque *magni*, ſeu in Paſcha ipſum incidentis, erant perficienda. *Sabbatum magnum*, שבת הגדול, dicebatur a Iudæis illud, quod feſto paſchali inchoato erat proximum, ſeu quod in unum dierum paſchalium incidebat, teſte *Maimonide de die feriato cap.* 7, ac *Ioanne Lightfooto* in *Horis ad Ioan. XIX*, 31. Locus vero ille *Ioannis* ſic habet: *Iudæi igitur* (*ne manerent in cruce corpora die ſabbati*, *ſiquidem apparatio præſto erat* rerum, ſabbato convenientium, neceſſaria. *Erat enim magnus dies ille illius ſabbati.*) *rogarunt Pilatum, ut frangerentur ipſorum crura, & auferrentur ipſi* e cruce. Videmus itaque, apparationem illam ſpectare ad ſabbatum magnum, ſeu paſchale, ac illam eapropter fuiſſe partim ſabbaticam, partim paſchalem. Alia enim opera, eorumque apparatum, poſtulabat dies ſabbati, alia poſtulabat dies ille paſchalis, in quem ſabbatum incidebat. Exſtitit itaque παρασκευὴ, *apparatio* illa, partim ſabbati inſtantis cauſa ſuſcepta, partim ob

diem

diem feſtum paſchalem, in quem incidebat ſabbatum, expediri ſolita. Prior vocatur παρασκευὴ τοῦ σαββάτου, *apparatus illius ſabbati*, & ratione temporis appellatur προσάββατον Marc. XV, 42; poſterior appellatur παρασκευὴ τοῦ πάσχα, *apparatus illius feſti paſchalis*, Io. XIX, 15, Iudæis lege divina præſcriptus, *v.* 42. Magnus ille dies ſabbati vel rarius, vel nunquam, in diem paſchatis primum incidebat; ſæpius vero in reliquos paſchatis dies ſolebat incidere. Quare *apparatus ille, quem feſtum paſchale requirebat*, παρασκευὴ τοῦ πάσχα, nec ad agnum paſchalem figi debet, nec ad unicum duntaxat diem paſchalem primum ſpectat. Ii vero, quibuscum iam nobis res eſt, ita rationes ſuas ducunt: Cum corpus Chriſti e cruce detraheretur, erat παρασκευὴ τοῦ πάσχα, ac propterea aderat tempus illud, quo, ineunte nocte, primus paſchatis dies inchoabatur, ac agnus comedebatur paſchalis. Verum enim vero liceat nobis expoſitionem illarum vocum Græcarum repudiare. Accedit, quod paſchale feſtum nunc ſeptem, nunc ſex, diebus numeratur atque æſtimatur, *Exod.* XIII, 6, 18, *Deut.* XVI, 8. Die primo inter ſex illos, cuius reſpectu *Ioannes* ſcripſit cœnam fuiſſe πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ πάσχα, XIII, 1, mactabantur duo iuvenci, prætereaque immolabantur unus aries & ſeptem agni in holocauſtum hircusque pro peccato; circa veſperam ſolenniter manipulus hordaceus demetebatur, pugillusque ex eo in ignem aræ victimariæ iniiciebatur. Hæc mo-

menta requirebant inſignem apparationem, ut die XVI menſis Niſan omnia rite peragerentur. Huc referenda eſt illa *παρασκευὴ τῦ πάσχα*, *apparatio rerum, quas ille ſolennis paſchalis dies, quas feſtum paſchale, poſtulabat.* Nam die illo, quo agnus paſchalis mactari ſolebat, diſcipuli ad Ieſum acceſſerunt, expedituri ſolennia, quæ ille requirebat. Iudæi initium diei computant a veſpera. At agnus paſchalis mactari ſolebat duas inter veſperas, & ideo dies azymorum primus inchoabatur a veſpera prima, ſolito utique longior. Pomeridiana igitur pars diei XIV menſis Niſan annumerata fuit feſtæ azymorum diei primæ. Quod ipſum Iudæis adeo eſt cognitum, ut partem illam pomeridianam diei XIV menſis Niſan reputent pro veſpera paſchatis, eamque ob cauſam totum illum diem aliquando *veſperam paſchatis*, ערובת פיסחא; appellent, e. g. in *Midraſch Ruth 46, 4.* Hoc Iudæis adeo eſt familiare, ut a meridie diei XIV menſis Niſan azyma, ſeu panes fermento expertes, & olim edere cœperint, & adhuc incipiant edere. Unde patet, quinam ſit ille dies azymorum primus, quo agnus paſchalis fuit mactatus. Nocte, quæ pomeridianum illud tempus excepit, fuit Ieſus adhuc in vivis, ac ideo diem XV menſis Niſan, ſenſu ſtrictiori ſumtam, vivendo attigit. Diei illius XV meridie ipſe in crucem fuit actus. Tempus vero pomeridianum, inclinans ad initia diei naturalis XVI menſis Niſan, præcedebat veſperam ſabbati, & ſabbatum illud magnum; quo pomeridiano

meridiano tempore apparationi rerum & paſchalium & ſabbaticarum Iudæi erant intenti. Quæ cum ita ſint, vox παρασκευὴ τῦ πάσχατος non indicat tempus, quo agnus paſchalis fuit mactatus, vel cibus azymorum edi fuit cœptus. Templo enim Hieroſolymitano per *Titum* exciſo, & probabiliter iam antea aliquando, caverunt Iudæorum doctores, ne primus Paſchatis dies in ſabbatum incideret.

IX. Perluſtrabimus nunc porro ſententias illas, quas viri eruditiſſimi commemorare, & receptæ, eique noſtræ, opinioni opponere, ſolent. Argumentantur ipſi etiam hunc in modum. Dies, qui excepit illum diem, quo Ieſus in cruce ſuffixus eſt, vocatur *dies magnus*, ἡ μεγάλη ἡμέρα, *Io. XIX*, *31*. Unde confici poſſe credunt, diem illum inſtantem *magnum* fuiſſe primum paſchalem & Azymorum diem. Verum a nobis impetrare haud poſſumus, ut largiamur, rationem ita colligendi & argumentandi firmo ſtare talo. Monuimus enim, diem illum magnum dici, eo quod ſabbatum in diem paſchalem incidebat. *Ioannes* indicat ipſe, diem illum fuiſſe ſabbatum magnum, ſeu paſchale.

X. Inſtas deinde, obiiciendo, *Ioſephum Arimathæum* ac *Nicodemum* funus Ieſu a cruce detracti curaſſe, quo labore & opere ipſi haud fuerint perfuncturi ipſo Paſchatis die. At 1) lex *Moſaica* requiſivit, ut corpora e patibulo veſperi detraherentur & humarentur; 2) nec obſtitit exitus diei paſchalis ptimi, quo minus

rum Synedrio ſecundum lunæ phaſin Paſcha tunc fuerit determinatum. Quæ ratio rurſus evertit argumentum illud, a calculo aſtronomico deſumtum.

XIII. E ſepulcro rediit Ieſus paulo ante auroram intra diem Iudaicum, qui *feria prima*, ſeu *dies ſolis*, appellatur. Sabbato præcedenti requievit idem, peracto creationis ſpiritualis opere. Quia autem *die tertio*, ſeu *μετὰ ἡμέρας τρεῖς*, *intra dies tres*, reſurrexit ipſe, perſpicuum ſane & evidens inde fit, Ieſum die Veneris cruci affixum fuiſſe. Meminiſſe quoque iubet, Pentecoſten, de qua *Act. II, 1*, agitur, Iudæis & diſcipulis Ieſu fuiſſe communem, ac exſtitiſſe ipſum quinquageſimum diem inde a *poſtera luce feriæ paſchalis*, ob *Levit. XXIII, 15, 16*. Monendum vero eſt 1,) *Pentecoſtes illius diem primum fuiſſe diem ſolis*, dici quidem, haud verbo comprobari. Deſunt enim nobis omnino, ut ſic ſtatuamus, teſtimonia, fidei plena. Chriſtiani, ut chronologicum ſuum morem, determinandi Pentecoſten, antiquitate tuerentur, ad tempus & diem Pentecoſtes primæ Chriſtianæ provocaſſe cenſendi ſunt. Fecerunt iidem id ſexcenties in aliis quoque rebus, licet fruſtra. Monendum eſt porro 2), ſententiam incertam haud eſſe certæ opponendam. Iudæi quidem tradunt in *Sanhedrin cap. 6 fol. 43 col. 1*, Ieſum in *veſpera paſchatis* fuiſſe cruci affixum; quis vero *veſperam paſchatis* per veſperam agni paſchalis exponet? Obiit omnino Ieſus *in feſto paſchali circa veſperam*, בערב פסח. Nemini de ea re litem movemus. Si quis vero exiſtimave-

maverit, Ieſum antitypum impleſſe typos horis ac diebus illis, quibus typi, ſtante templo, fuerunt celebrati, cum omnino oportet ſibi perſuadere, Ieſum ſingulis anni diebus mane & veſperi mortuum fuiſſe.

IV.
CHRISTOPHORI SAXII
ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ ΦΙΛΟΛΟΓΙΚΗ,
SIVE
STRICTURÆ, IN NUPERUM FRANCI CUIUSDAM LIBELLUM
DE
INCERTO HISTORIÆ ROMANORUM ANTIQUISSIMÆ.

SECTIO II.

Ab aliquot annis, cum in omnis hiſtoriæ bonarumque literarum ſtudio verſarer, liberiuſque interdum animi cauſa, ut par eſt, & multiplex doctrinæ varietas, artiumque honeſtiſſimarum communio, ſuadet, veteres & recentiores ad id inſtitutum libros legerem, noſtrorum inprimis hominum confidentiam ſæpiſſime miratus ſum, qui, licet multa in quavis liberaliori arte derelicta videant, in eo tamen præcipuam ingenii laudem captare videntur, ſi perfectiſſima vetuſtiſſimæ diſciplinæ exempla, & claſſicos Græcæ Romanæque memoriæ teſtes, quos nemo hodie cum veri amore, tum ſubtili recte dictorum iudicio, ſuperet, quibuscunque criminum titulis onerare & laceſſere poſſint.

Quærenti autem mihi, multumque ac diu cogitanti, unde hæc labes & contagio proficiſcatur, nulla probabilior cauſa occurrebat, quam invidentiæ ægritudo, ob ſummam veterum apud rerum peritos exiſtimationem ſuſcepta. Quamquam enim digna imitatione, non invidia, excellentiſſimorum hominum virtus eſſe debet; hoc tamen in animis inſitum penitusque inclusum eſt humanis, ut non magna magis miremur, quam magna, ſi eadem rerum arduarum excelſarumque cum animi ampla quadam & ſplendida propoſitione ſuſceptio atque adminiſtratio propter ſæculi noſtri ignaviam defecerit, frivolis plerumque criminationibus imminuamus. Quæ paupertatis conſcientia, & ad ſpeciem ſumta reconditæ eruditionis perſuaſio, qua ſe paullum aliquid ultra primas literas progreſſi induere ſolent, cum ita inter ſe aptæ colligatæque videantur, ut raro alia ab alia ſeparari poſſit, mirum non eſt, cur noſtra ætas multos hodie veteris diſciplinæ ingeniorumque cenſores contra morem inſtitutumque maiorum procreaverit. Ferri tamen utcunque hæc reprehenſionis libido contemnive facilius poſſet, ſi in veterum libris verborum vim dignitatemque litera vel ſyllaba detracta aut adiecta perverteret. At, quotiescunque totum eruditionis genus, cui dediti fuerunt Auctores, vel artem, in qua præſertim ſcriptoris ingenium elucet, in contemtum adducere conatur, audaciæ ſuæ veniam ab idoneis rerum arbitris impetrare nullo modo poteſt. Uti enim quodque opus, quo

plus

plus utilitatis & artis habet, tanto pluris fieri debet; ſic, qui diligenter, eoque conſilio, priſcos Auctores legit, ut non tam verba & formulas dicendi deligat, quam ſententiarum divitias, & expreſſa in iis magnorum ingeniorum, candidi pudoris, rerum cum laude geſtarum, prudentiæque civilis, veſtigia, quod ſummum eſt, obſervet & cuſtodiat animo, hæc beatioris ſibi vitæ inſtrumenta dialecticis ratiunculis eripi nunquam patietur. Enimvero, qui dicunt, hoc ſe unum tollere, ut ſcriptor talis videri non debeat, qualem & antiquitas probavit, & noſtri de principibus rei literariæ homines cognitum habuerant; cetera autem concedere, faciunt pueriliter. Quo enim omne in Scriptoribus, quicquid ineſt eorum libris boni, iudicatur, ſublato, reliqua ſe negent tollere? ut ſi quis, quem Poëtam ingenio, aut hiſtoriæ conditorem fide, privaverit, dicat, reliquas eius dotes non ſe ei ademiſſe. Ἐν ὀφθαλμοῖς οὐκ αἰδώς; Qualis iſtorum opinio ſit, qui hæc pro congruentibus ſumunt tam vehementer repugnantia, alii iudicent. Noſtri iam neque otii, neque inſtituti, eſt, hanc rationis concluſionem pluribus verbis convellere. Aliud de hoc loco dicendi tempus magis idoneum dabitur. Nos contra ad propoſitum, cuius cauſa nuper quædam ex commentariolis noſtris inchoata & rudia exciderant, veniamus. Et, quoniam ita accidit, ut, cum nos ad commentandum, quicquid hoc ſcriptionis eſt, comparare inſtitueremus, libri huius Gallici Auctor nobis opportune in-

noteſceret, non ingratam Lectoribus noſtris rem facturos nos eſſe ſperamus, ſi virum doctum, quo ſe abſcondidit, velamento nutabimus. Eſt is antea nobis *ἀνὴρ ἄγνωστος Ludovicus de Beaufort*, Celſiſſ. *Friderici Caroli Guilielmi*, Principis Haſſiaci, cuſtos ac comes [a], qui, poſtquam totam hanc de veritate hiſtoriæ Romanorum antiquiſſimæ controverſiam [b], in Gallia vel parum ſubtiliter a *Puilio* motam, vel confidentius iudicatam a *Salierio*, viderat, id ſibi negotium dari credidit, ut rationibus *Puilii* ſingulari libello non modo ſubveniret, ſed apparatu quoque eius inſtructus, vetuſtiſſimam Romanorum memoriam, a *Salierio* collaudatam ac defenſam, vituperaret, licentiusque accuſaret. Verſabar tum cummaxime in illorum temporum legendis Auctoribus, in quibus magna erat earum rerum geſtarum copia, quæ fabularum nomine contemni ab his vulgo ſolent, qui, elegantiæ quodam lenocinio, & verſatilibus ſæculi noſtri ingenium opinionibus, illecti, priſcam virtutem, quato exquiſitior eſt, tanto magis cavillantur. Oculos meos animumque index libelli, quo, nihil priorum quinque Sæculorum ab U. C. rebus Latinis certi ineſſe, Vir Clariſſ. contenderat, illico pepulit, cum quod rem novam minabatur, tum quod ſperabam, fore, ut

a) Nec diverſus ab eo, qui Hiſtoriam Cæſaris Germanici (*l' Hiſtoire de Céſar Germanicus*) *Leidæ 1741, 8*, promulgavit.

b) De qua vide *Tom. VIII Memoires de Litterature*, edit. *Amſtel. 1731, 8, pag. 21, 46, 81, 110, 180*.

ut publicum de illius aevi memoria iudicium, ſincerum, an fallax, eſſet, accuratius intelligerem, & ſi quid certius in medium attulerit Auctor, etiam calculo meo approbarem. Proinde omni contentione animi confirmandæ populari ſententiæ novas rationes quærere, & circumſpicere, cœpi, an forte divinare poſſem cauſas, quare tot antea ſummi viri hanc hiſtoriam aſſenſione dignam putaverint. Sed, animum per omnia verſatum poſtquam ad conſentiendum appellere nequibam, neque mihi ea titubandi ratio placere poterat, quoniam nemo facile in hiſtoria conturbatum velit, quod ſtabile, firmum, ratumque, eſſe iubent & literarum fines, [c] & librorum veterum ſcita æſtimatio,

c) Qui latiſſime patent, & ad bene beateque vivendum divinitus conſtituti ſunt. Quomodo autem hiſtoria activæ philoſophiæ pars ſit, pluribus verbis *Laur. Duccius* in *Arte hiſtorica* (*Ferrariæ, 1604, 4, pag. 23.*), *Anton. Riccobonus* in libro *de Hiſtoria*, (*Baſil. 1579, 8, pag. 74.*) & *Iac. Facciolatus*, Orator Patavorum diſertiſſimus, in *Orat. VIII ad Hiſtor. pag. m. 149*, demonſtrarunt. Adde *Lud. Thomaſſinum* in libro *la Methode d' etudier & d' enſeigner chrétiennement & ſolidement les hiſtoires profanes* (*à Paris*, *1693*, *8*, *Tom. I Lib. II pag. 324 ſeq.*). Veriſſima hic *Ciceronis* ſententia, mutatis aliquot vocabulis, mentem ſubit. Nihil profecto eſt philoſophia, niſi memoria rerum geſtarum & illuſtrium confirmatur. *Commemoratio enim antiquitatis, exemplorumque prolatio, ſumma cum delectatione & auctoritatem præceptionibus affert, & fidem.* Recte propterea idem *pro Arch. cap. 6*, *quam multas*, inquit, *nobis*

matio, digna nobis res eſt viſa, in qua noſter qualiſcunque labor verſaretur, ſi forte hæc diſputatio ad mitius de rebus illius aevi geſtis ſentiendum Virum Clar. inducere poſſet. Quare ignoſcet, ſpero, ingenuitati meae & iudicio, nullis artium malarum ſtudiis, nulla carpendi libidine aut malevolentia, corrupto, quod de eius libello veritas a me expreſſit. Ut autem Lectores antecaptam animo informationem illius memoriæ haberent, neve falſi in ea ſuſpicionem imperioſa recentiorum hominum Dialectica conflare auderet, ſtatui ante, quam in rem præſentem venirem, nonnullis legibus generatim ſumtis vetuſtiſſimam Romanorum hiſtoriam tanquam vallo quodam munire. Quae etſi vix probari poſſe multis hominibus prævideram, iis præſertim, qui, Hyperdialecticum *Clericum* ſectantes, nihil glorioſius eſſe rentur, quam ad indoctæ plebis iudicium veterum ingenia probabiliter obiurgare, tamen non paſſus ſum, conatus meos, ſemel admiſſos, coerceri reprimique. Uti enim omnis defatigatio turpis eſt, cum id, quod quæritur in literis, pulcherrimum ſit; ita veriti, ne ſtudia Lectorum movere, non retinere, nos voluiſſe videamur,

aut,

bis imagines non ſolum ad intuendum, verum etiam, ad imitandum, fortiſſimorum virorum expreſſas ſcriptores & Graci & Latini reliquerunt? quas ego mibi ſemper in adminiſtranda republica proponens, animum ac mentem ipſa cogitatione hominum excellentium conformabam. Quantum vero Græci præceptis valuerunt, tantum Romani, quod maius eſt, exemplis.

aut, ſi taciti præterierimus Doctiſſ. *Beaufortii* rationes, ad criminandum copioſe inductas, eum ſine cauſa reprehendiſſe putemur, in hoc operam ponemus, ut, non ſolum certi & veri notas hiſtoriæ illorum temporum haudquaquam deeſſe, oſtendamus, ſed etiam omnes libri partes perſcrutemur, & ad veritatem revocemus. Equidem, ſi pauca, quæ res poſtulat, dixerim, vobis, Lectores, id, quod exorſus ſum, perſolvam. Multos video in eo potiſſimum labi, ut, quotiens famam commemorationi ſuæ ſcriptores prætendere vident, totiens, ut mos eſt noſtris hominibus, vernaculi ſermonis, morumque hodiernorum, rationes Latinis verbis accommodare, de nulla re alia, niſi incerto quodam rumoris commento, cogitent, &, cum idem nomen traditionibus Pontificiorum inhærere noverint, tot fabularum maculis contaminatam quamcunque traditionem credant, quot portentorum monſtris illas abundare ferunt. Sed ecce claſſicum *Fabii* [d] locum, ex quo vera famæ vis & poteſtas intelligitur. *Famam*, inquit enim, *atque rumorem pars altera conſenſum civitatis & velut publicum teſtimonium vocat; altera ſermonem ſine ullo certo auctore diſperſum, cui malignitas initium dederit, incrementum credulitas.* Iam, quanquam non ii ſumus, qui omnem veri numerum in fama, nobiliſſimamque rei geſtæ approbationem, quærere velimus, tamen neque ſimpliciter eam damnandam, neque

d) Vid. *Inſtitut. orator.* Lib. *V cap.* 3 *pag.* 372 edit. *Burm.* ibique *Turnebum* in *Notis.*

que ab hiſtoriæ ſtudioſis negligendam eſſe, putavimus. Et hæc fuit cauſa, quare modeſtius paulo & cum quadam cautione dixerimus, anguſte nimis de *hiſtoria antiquiſſima opinari eos, qui famam in illa deceptricem veri iudicent.* Nam, ſi publica eſt, ſi per multos annos ab hominibus patriarum rerum peritis credita, ſi unica, ſi legibus naturæ conſentiens, ſi contrariis rumoribus turbata non fuit, ſi monumentis rerum quibusdam ſignata & quaſi cuſtodita manſit, [e] importunum eſſe iudicavi, talem lubricis Dialectices de definiendo edictis elevare *Aeneam* verbi cauſa, ut hoc exemplo utamur, in Italiam veniſſe, memoriæ proditum legimus. Cuius adventum etſi monumentorum indiciis [f], Annalibus Albanorum, vel ipſius forte

e) Huiusmodi famam doctiſſ. *Freretius* in hiſtoria defendendam putat in Obſervat. criticis (*Reflexions ſur l' etude des anciennes Hiſtoires, & ſur le degré de certitude de leurs preuves,*) dignis profecto, quæ a veteris memoriæ cultoribus legantur. Vid. *Tom. VIII Memoires de Literature, Amſtel. 1731* a *pag. 241 - 250.* Commendanda non minus eſt ſummi *Perizonii* Diſſertatio de *Romana republica*, quæ eſt inter eius viri Diſſertationes, iunctim editas, numero ſeptima. Inprimis huc faciunt, quæ literarum ille anteſignanus in hanc rem *pag. 629 §. 6* ingenioſe diſputavit.

f) Quæ vide apud *Dionyſium* in *Archæol.* v. ε- *μνήματα Αἰνείου Lib. I pag. 43, 44, Βωμοὶ δύο* vid. ib. *περιφανῆ μνήματα Lib. I pag. 48,* titulum inſignem *pag. 52,* Troianorum Deorum imagines *pag. 55.*

te *Ænea*, g confirmari potuiſſe, haud abnuerim, tamen ſumamus, ſola rumoris publici fide nixum eſſe, ſed, vere eum contigiſſe, ipſo *Livio* teſte h ſatis conſtabat. Nec id iniuria credidit poſteritas. Fuit enim res maximi momenti, quæ neminem latere potuerat, nec ab ullo Auctore in dubium ſerio vocata, niſi recentiorum temporum aliquot viris eruditis, quorum neuter hic in cenſum venit, porro artium, ſacrorum, cærimoniarumque, cuſtu Troiano, item urbium, in Italia conditarum, templorum, titulorumque, reliquiis & memoria, ſtetit. Unde efficitur fama rerum, hoc eſt, fama certis quibusdam *ſignis*, quale eſt, verbi cauſa, *Tarpeiæ effigies in æde Iovis Metellina*, hiſtoriam Tarpeiæ referens, (vid. *Feſtum* in *Tarpeia pag.* 580 ed. *Dac.*) *ritibus*, (quales *Plutarchus* in *Quæſtionibus Roman.* cum cauſis ſuis narrat,) *monumentis*, ut *ſororium tigillum*, (apud *Feſtum pag.* 536 ed. *Dac.*) item *locorum*, ut *Tarpeius mons*, *curia*

g) Non enim crediderim, *Virgilium* metri cauſa ſcripſiſſe:

Et vacet Annales noſtrorum audire laborum,

Æn. Lib. I v. 377; ſed, in animo habuiſſe veros *Æneæ* annales, non eſt, quod dubitemus, præſertim cum poeta ſit doctiſſimus, accuratiſſimusque, & in omnibus fere verſibus antiquitatis veram imaginem curioſius referre ſtudeat. Favet huic coniecturæ nonnihil *Servii Scholion* ad *h. l. pag.* 365 ed. *Maſv.* Conf. *Dodwelli Prælect. Cambden.* in *App. pag.* 658.

h) *Lib. I cap. 1: Iam primum omnium ſatis conſtat - - - ab Sicilia claſſe Laurentem agrum tenuiſſe.*

ria Hoſtilia, *Æquimelium*, *Buſta Gallica*; *Argiletum*, *vicus ſceleratus* apud *Varronem de L. L. Lib. IV cap.* 32, *dierum*, ut *ſervorum dies* apud *Feſtum pag.* 520 ed. *Dac.*, *allienſis dies* apud *eund. pag.* 19 edit. *Dac.*; *ſacrorum*, ut *ſacra novalia* apud *Varronem* de *L. L. Lib. V cap.* 4, *ſolennium anniverſariorum*, quale eſt illud *Livii Lib. X cap.* 2: *Patavii monimentum navalis pugnæ eo die, quo pugnatum eſt, quotannis ſolenni certamine navium in flumine oppidi medio exercetur*, &c. *formularum*, ut *opima ſpolia* apud *Feſtum pag.* 312, *ludorum*, ut *Taurii ludi* apud *eund. pag.* 582, aliarumque rerum memoria, ad poſteros propagata, quam nemo contemnat facile, niſi qui data opera a vulgari via decedere volet. Si præterea eventus cauſis congruunt, dubium nullum eſt, quin vera ſit fama. Ponamus enim, Scriptores candidiſſimos ſolo rumoris iudicio res populi Romani perſcripſiſſe, tot gentes ſine multis victoriis & tropæis, ſine magna hoſtium cæde, ſine ingenii artiumque virtutibus, domari qui poterant? In deditionem acceptam ab Romanis omnem Italiam eſſe, novimus, devictos Siculos, deletam Carthaginem, ipſam urbem ſenſim paulatimque rerum dominam evaſiſſe, res ipſa loquitur. Quo pacto talia evenire potuiſſe conicis, niſi, ſcriptoribus & famæ aſſentiens, confiteare, urbem, Regum ſapientia & legibus præclariſſime conſtitutam, ſanctitate morum, incredibili civium ad laudem propenſione, divinis magiſtratuum conſiliis, rectam & auctam fuiſſe? Rerum teſtimonia aderant. Cau-

ſarum

ſiorum nexus fama, externis quibusdam ſignis adiuta, ſuggerebat. Relinquitur ergo, negligi a me ἀκέφαλον μῦθος, hoc eſt, quosvis de plebe rumiuſculos, qui raro ad liquidum perducuntur, quibusque tradentibus omnia vero maiora ſunt, ſed malle me famam civitatis, hoc eſt, opinionem ſapientum virorum, [i] penes quos ſincerum eſt de rebus patriis iudicium, imo eam rerum memoriam poſtulare me, quæ, niſi caſus & fortunæ ἀργὸν λόγον (ignavam rationem) obvertere velis, cauſarum & eventuum colligatione probabiliter conſerta & contexta fuit. Ex quo intelligitur, quæ ordine & ratione non vacant, ea mentita & falſa, plenaque erroris, eſſe nullo modo poſſe. Talia cum præcepta a nobis eſſent haud ita pridem, ut par eſt in cognitione rerum fortuitarum, verecunde, & intellecta non ſunt, a quibus oportuit, licet perſpicua, & controverſia ex iis mota eſt cum aliena, tum propter exemplorum inductionem, quæ inſcitiam prodit, parum e re tractata. Nam, quæ ex Pontificiorum ſcholis fabula contra famæ conſtantiam adducitur, ſua natura corruit, nec dupondium literatorem

i) Ne quis forte criminetur, me verborum Latinorum ſignificationes comminiſci, *Iuſtini* loco, (pluribus enim non opus eſt,) eam verbi vim tuebor. *Satis conſtans*, inquit *Lib. XXV cap. 5 pag. 543* edit. *Gron. inter Auctores fama eſt.* Ita quoque *Plinius Hiſt. Nat. Lib. II Sect. 54 Tom. I* edit. *Hard.*: *Vetus fama Etruriæ eſt.*

rem decipere poteſt. Eiusdem ſartaginis eſt exemplum, quod ab imperii forma ad rempublicam male transfertur. Non enim, quæ ſub Regum hodie auſpiciis publice fiunt, eadem facilitate cognoſcuntur, quam quæ olim florente republica ſuſcepta & acta ſunt. Etenim multarum hodie rerum ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura, quoniam conſilia regum principumque ita teguntur ut raro, etiam per quos, & quomodo, quæque res acta ſit, ſcire poſſis. Quod Græcorum Romanorumque moribus longe aliter evenit. His vel in curia, vel coram populo, res agebatur, publice magiſtratus creabantur, de bello & pace in utramque partem diſceptabatur, quid ab Imperatoribus & quomodo geſtum erat, id omne vel ad Senatum perſcribebatur, vel ab ipſis poſt reditum luculenta oratione exponebatur, ut nemo eſſet, qui, ſi harum rerum intelligendarum ſtudio traheretur, non omnes cognoſcere poſſet [k]. Cetera refellere non eſt opus. Quid enim ineptius, quam rerum a Romanis geſtarum nexum veritatemque cum fabulari hiſtoria *Naſonis* contendere? Qua ex re quid literis promittas, ubi, qualis in hiſtoria partium conſenſio, qualis contra in carmine, ſit, hominibus noſtris ſignificare nequeas. Sed, ſatis de hoc loco ſupra diſputatum eſſe, arbitror. Sequitur, ut perſequar, quæ ad noſtrum librum pertinent. Et, quo-

k) Vid. *Dionem Caſſium Lib. LIII pag.* 509 & 510, quem locum infra citabo.

quoniam paucis comprehenſa dictorum brevitas multarum rerum expeditionem habet, inſtituti leges poſtulant, ut argumenta, quibus veritas hiſtoriæ Romanorum vetuſtiſſimæ debilitata & fracta fuit, ratione concludatur. Placet autem Cenſori, Romanos iſtis temporibus barbaros, literarum imperitos, & agreſtes, homines fuiſſe, nullum propterea æqualem huic ætati ſcriptorem exſtitiſſe, quo ſatis certo auctore ſtetur, ſed raras tum literas effeciſſe, ut nulla, ſaltem minus idonea, ad poſteros rerum monumenta transmitterentur, immo ſi quæ fuerint in Commentariis Pontificum, aliisque publicis privatisque monumentis, incenſa a Gallis urbe, vel interiiſſe, vel nihil minus, quam fidelem memoriæ veteris cuſtodiam, præſtitiſſe, neque his, ſi quæ exſtiterint, monumentis uſos eſſe ſcriptores, cum quod res domi foriſque geſtas parum diligenter literis mandaverint, tum quod diverſa narrando animum lectoris ſuſpenſum teneant, & de dubia rerum geſtarum fide ipſi non raro conquerantur. Hoc etſi locis Auctorum probare contendat Vir Clariſſimus, tamen ei minime licuiſſe videbimus, ut propter aliquot fabularum maculas omnem illorum temporum hiſtoriam falſi, totque homines ſimul communis mendacii, erroris, & inſcitiæ, accuſaret. Quodſi enim, non dicam vera hæc locorum interpretatio, ſed reverentius de ſummis, quæ priſca ætas tulit, ingeniis iudicium habitum eſſet, non intercederem profecto, quo minus impune iſta in origines Romanas con-

ferrentur, totumque hoc hiſtoriæ genus neque ſatis dignum ingeniorum noſtrorum ſtudio, neque ad utilitatem vitæ, gerendasque res, accommodatum, exiſtimaretur. Nunc, cum, remotis ab hiſtoria veri certique notis, naſcatur aliquid, quod comprehendere ſenſibus non poteſt, quod eſt imbecillum, & cum falſo, inaudito, fictove,[1] commune, neque quisquam ſit adeo nihil videns intelligensque repertus, qui pulcherrima librorum antiquorum exempla, quorum auctoritate vera ſcribendi via, & hiſtoricæ artis elegans conformatio, nititur, arrogantius contemni velit, dabunt mihi hanc veniam æqui rerum exiſtimatores, ſi aſperius in veterem Romanorum memoriam dicta mitigavero, &, cum, duas inprimis cauſas annalium Latinorum fidei adverſari, ſæpiſſime audiam, literarum raritatem, & narrationum pugnam, ſi totidem iam auxilia contra comparavero. Id ut eundo per ſingula præſtem, paucis ante omnia, & quaſi in tranſitu, veniamque præfati, dum tentamus, Cenſoris ἀντιλογίας quasdam & in opinando eius levitatem animadvertere convenit. Quamvis enim omnes monumentorum reliquias tum abolitas eſſe malit, ut univerſam proinde hiſtoriam illorum temporum tanto magis in dubium vocare, aut falſi minimum arguere, poſſit, vehementer tamen animo πρώτεως ποικιλώτερος fluctuari videtur, utrum omnia, an multa, perie-

1) Non ſine iniuria coniungit Cenſor noſter, *Timageni* ſimilis, incertum & falſum *pag. 10: l' incertitude, ou la fauſſeté.*

perierint hiſtoriarum monumenta. Sic verbi cauſa modo pleraque: *presque tous les monumens, pag. 18*, & *la perte de la plupart des monumens, pag. 93*, item *on ne peut diſconvenir qu'il ne ſoit échapé quelques monumens à cet incendie, pag. 26*, & ſic in ceteris locis: *presque tous les monumens publiques, pag. 9*, modo omnia, ut: *ils nous autoriſent ſuffiſamment à en nier l' exiſtence, pag 25, la perte de tous ſes monumens, perte dont cette incertitude eſt une conſequence naturelle*, item: *la perte totale de ces monumens, pag. 347*, interiiſſe iudicat. Immo tam parum ſibi conſtans eſt Auctor, ut exiſtimet, veri hiſtorici rationes haud dubie in archetypis latuiſſe exemplis, ſi ſcriptores indagare eas, vel γνησίως explicare, voluiſſent: *Le peu de ſoin qu'ils avoient eu de certifier les faits ſur les monumens authentiques, pag 96, du peu de ſoin que les hiſtoriens Romains ont eu de les conſulter &c. pag. 31, ne ſert qu'à nous convaincre de leur negligence à ſ' inſtruire, pag. 38*, qualem ſcribendi incuriam cum Annalium conditoribus exprobret, quid facit aliud, quam ut, monumentorum aliquot genera in tabulariis eo tempore ſervata fuiſſe, quæ in conſilium adhibere ſcriptorum intererat, invitus largiatur. Alio pacto vana criminatio foret. Nam quomodo negligentem appellaveris ſcriptorem, ſi rem, propter quam quis diligens aut negligens dici debet, ablatam eſſe cupias. Manet ergo, modo literarum inopiam, modo nonnullas monumentorum reliquias, comminiſcendo Auctorum in illis vel

congerendis, vel inſpiciendis, oſcitationem contraria rationis complexione inconſiderate aſſumi. Ab eo, quod infirmius concluſum eſt, parum abludit alia ex propoſitis perperam effecta ratiocinatio *pag. 10.* Perficit enim & concludit rationem Cenſor ad hunc modum: Nihil impedit, inquiens, quo minus omnem rerum IV aut V Seculis ab U. C. geſtarum memoriam valde dubiam putemus: *Nous ſommes fondés à tenir pour fort ſuſpect tout ce qu' on nous raconte des quatre ou cinq premiers ſiècles de Rome.* Quanquam vero ea ad concludendum ſumit, quorum ei nihil conceditur, tamen hæc argumentationis eius comprehenſio nobis probaretur, niſi aliam, quod mireris, ſententiam inferre ſimul & conficere ex contrario voluiſſet. Uti enim in multis aliis locis rigidius illud de vetuſtiſſima Romanorum memoria iudicium paululum emollire cœpit: *Ne ſerions nous fondés en voyant une hiſtoire ſuivie de quatre Siécles de reietter le* tout, ou du moins la plus grande partie, *comme forgeé à plaiſir* &c. *pag 16, &: ou qu' on convienne de bonne foi, que preſque tout ce qu' on nous débite dans l' hiſtoire Romaine n' eſt qu' incertitude, que fable, & qu' on n' y peut compter ſur rien* &c. *pag. 4;* ita ſententiam, quam adamaverat, deſerendo in manifeſtarium errorem inductus eſt. En verba eius: *Ce n' eſt pas que je veuille révoquer en doute tous les evenemens de ce Siécle, pour quelques traits fabuleux,* [m] *dont ils ſe trouvent accom-*

m) Cum, hoc loco aliam Cenſoris orationem con-

compagnés &c. - - - *mon intention eſt ſeulement de faire voir, que les faits les plus marqués & les plus importans, ſe trouvans faux & inventés par les Romains pour ſe faire honneur, les autres nous doivent être fort ſuſpects; mais auſſi d' en tirer de nouveaux motifs de douter de l' hiſtoire des ſiécles précédens qui à plus forte raiſon doit paroître fabuleuſe & forgée après coup.* Hæc Cenſor, quem ſimul tot contraria de ſcriptoribus iudicia uno in libello ferre potuiſſe, vehementer miramur. Iuvat id ſolo *Dionyſii* exemplo commonſtraſſe. Primum enim libri Francici Auctor *Dionyſium* ad horum numerum libenter adſcribit, qui verum in hiſtoria antiquiſſima diligentiſſime perſcrutati ſunt: *Ceux qui en avoient recherché la verité avec plus d' exactitude, pag. 89.* Sed, quem tot antea encomiis extulerat *Dionyſium*, ita, ut huic acumine & diligentia parem noſſet neminem, *qui paſſe pour l' Auteur le plus iudicieux & le plus exact de ceux qui nous reſtent, pag. 125*, eundem illum ita deprimit, ut primo ſuperari a *Livio* exiſtimet, (*on peut dire, qu' il eſt* (Tite Live) *beaucoup plus ſincére, & plus exact, que Denys d' Halicarnaſſe, pag. 147,*) dein ſimulare eum duntaxat accurationem quandam & fidem

(*mal-*

contende, cui rurſus diſſimilis iudicandi aſperitas ineſt. Ait enim *pag. 8, 9: Quoique les faits fabuleux entremêlés à l' hiſtoire Romaine, pourroient à iuſte titre nous faire révoquer en doute tout le reſte, & nous autoriſer à le reietter, ie ne veux* &c.

(*malgré l' air de ſincerité & d' exactitude qu' il affecte, pag. 135, l' exactitude qui paroit dans quelque diſcuſſions* &c. *l'* air de *ſincerité qu' il a eu l' art de répandre dans toute ſon hiſtoire en impoſent facilement à tout Lecteur* &c. *pour ne ſe pas laiſſer éblouir à* ces aparences &c. *toute cette partie de l' hiſtoire Romaine, dont il* paroiſſoit le meilleur *garant*, ne merite nulle creance, *pag. 145, 146,)* præterea nihil minus, quam veri ſtudioſum, fuiſſe (ut *pag. 139 il s' eſt dans le fond peu mis en peine de la verité,*) ipſamque eius hiſtoriam merum ingenii luſum & fabulam, quam vocant Romanenſem, iis, qui cor habeant, videri poſſe arbitretur, (*qu' un ouvrage auſſi grave & où brillent tant de recherches curieuſes n' ait dans le fond aucune ſolidité, & ne ſoit en quelque ſorte, qu' un jeu de l' imagination de l' Auteur, pag. 128, 129,*). Quæ adverſis frontibus pugnantia quis in Critico non aſpernetur? ταῦτ' δ' ὄτ' ἐςὶν ἐδ' ἂν Ἀπόλλων μάθοι. Si autem ſcriptori præcipuam virtutem adimit, ad quam omnia eius recte ſcribendi conſilia ſunt referenda, quid opus eſt amplius hoc fabularum architecto? Tantum ſcilicet temporis eo legendo conſumendum non eſt. Vide, quantum fallare, Vir clariſſime, quantumque hæc iudicandi iniquitas bonis literis obſit. Non addecet profecto bonum, tot Scriptorum teſtimoniis, quæ declarationem rerum propriam habuerunt, fidem non adiungere.

Habuiſti, fateor, non paucos huius diſciplinæ magiſtros, quorum auctoritas nonnullis hodie

dia pro argumento eſſe ſolet. Multa enim ineſſe *Mottii Vayerii*, [n] *Sec. Lancelo-*

E e 5 ti,

n) Vide eius Commentationem *du peu de certitude, qu' il y a dans l' hiſtoire, Paris, 1668, 12.* *Ce traité*, inquit *Langletus du Freſnoy* dans *la Methode pour étudier l' hiſtoire, Tom. VI pag. 9, eſt dans le treizieme Volume des Oeuvres de cet Auteur de l' edition en 12. Comme il étoit Sceptique, ou Pyrrhonien, il lui convenoit de traiter cette matiere; mais il ne paroit pas, qu' il l' ait pouſſé dans un aſſez grand detail.* Conf. de eo *Baylium* ſub voce *Vayer: Nôtre le Vayer ſe propoſoit une autre choſe; il ne cherchoit que des argumens de Pyrrhoniſme.* Contra eius iudicia *de veteribus & præcipuis Hiſtoricis Græcis & Latinis*, quæ in *Tomo I Operum* eius *Pariſ. 1656 fol.* exſtant, nonnulla candide monet *Iac. Perizonius*, ἐ παῤῥ, in Orat. *de Fide hiſtoriarum contra Pyrrhoniſmum hiſtoricum, Opuſcul.* eius *Tom. II pag. 118.* Idem *Vayerius*, nullibi, niſi in revelatione, veritatem eſſe, iudicabat, quod rationis edictum breviter, ſed acute, Cel. *Olivetus* ita convellit in *Hiſtoria Academiæ Francicæ* (*Amſtel. 1730, 12, pag. 91,*): *Peut-on, comme il le prétend, tenir en même temps pour douteux les objets de la raiſon, ou des ſens; & pour certains les objets de la foi? ſi ce n' eſt là une contradiction formelle, c' eſt du moins un étrange paradoxe.* Ceterum rem ingenio ſuo dignam auſus eſt *Argenſius* (Marquis d' Argens), eum in gratiam aulicorum & fœminarum boni ſenſus philoſophiam aulica quadam elegantia conderet. Prodiit hoc magni momenti opuſculum *Hagæ Com. 1740, 12, Tom. II*, talem inſcriptionem referens: *La Philoſophie du Bon-Sens, ou Reflexions philoſophiques ſur l' incertitude des connoiſſances humaines.* Multa hic arcana Logicæ ſuæ miniſterio Auctor indagavit, quæ orbis eruditi noſſe plurimum interfuit.

ti, [o] *Baylii*, [p] *Ed. Stillingfleeti*, [q] libris, quæ dubitationem aliquam rebus priſcis afferre poſſunt, non ignoro, plurima quoque veteris memoriæ capita contra ius faſque ſollicitaſſe *Obſervationum Halenſium Auctores*, [r] *Caſp. Abelium*,

o) Noti eius ſunt *Farfalloni de gli antichi Iſtorici notati dall' Abbate* D. Secondo Lancelloti *da Perugia, Abbate Olivetano, Accademico Inſenſato, Affidato, & Humoriſta, Autore dell' Hoggidi, dal Signor Dottore* Otavio Lancelloti, *ſuo Fratello, mandati in luce. Venezia*, 1668, 8.

p) Vid. *Examen du Pyrrhoniſme hiſtorique, dans l' Examen du Pyrrhoniſme ancien & moderne par Mr.* de Crouſaz, *à la Haye*, 1733, *fol. Sect. V Part. III* a pag. 368 - 382, inprimis pag. 379, quanquam, ſi verum dicere auſim, re mihi nondum ſatisfecit *Cruſatius*; ex eo tamen *Baylii* adverſus monumenta veterum iniquitas, & temeraria ſuper illis æſtimatio, intelligi utcunque poteſt.

q) Vid. *Origines* eius *ſacras Lib. I cap. 5 Operum, Londini*, 1709, *fol.* promulgatorum, *Tom. II pag.* 45 *ſeq.*, quibus adiungere potes *Ægid. Strauchii Dubia hiſtorica & chronologica, Wit.* 1669, 4, etſi non tam ad res Romanas, quam Ebraicas & Aſſyriacas, pertineant. Multarum quoque rerum, quas veteres tradiderunt homines, fidem oppugnavit *Thomas Brown* in libro, cui titulus: *Eſſai ſur les erreurs populaires, ou Examen de pluſieurs opinions reçues comme vrays, qui ſont fauſſes ou douteuſes, traduit de l' Anglois, à Amſterd.* 1733, 12. Vid. *Tom. I Lib. I a cap.* 4 - 9, & *Tom. II Lib. VI cap.* 14, inprimis *Lib. VII cap.* 18 *pag.* 434.

r) Vide *Additamentum ad Obſervat. ſelect. Tom. X Obſerv. V pag.* 148 *de incertitudine hiſtorica*, cui ſimilis

lium,[s] *Bartholomeum Chriſt. Richardum*,[t] *Burchardum Gotthelf. Struvium*,[u] & *Petr. Frid. Arpium*,

ſimilis est *Obſerv. XIV Tomi X de neceſſitate Scepticiſmi in ſtudio genealogico*, a *Iac Frid. Reimmanno* profectum, cuius nomen adſcriptum refert exemplum muſei *Bunaviani*. Sed patellarius eſt Criticus, & minorum gentium, niſi forte ad Cærites & capite cenſos ablegandus.

s) In *Hiſtoria Monarchiarum orbis antiqui*, *Lipſ.* 1715, 8, *Lib. II cap. 2 de priſcis Italorum rebus, & ſpeciatim Latinorum*, inprimis §. 10 *pag.* 739 *ſeq.*

t) In Diſſ., qua oſtendit, *Romam ante Romulum conditam fuiſſe*, *Ienæ*, 1706, 4.

u) In Diſſ. *de Pyrrhoniſmo hiſtorico*, *Ienæ*, 1715, 4. Adde *Obſervat.* 1, 2, 3, in *Obſervat. Halenſ. Tom. III*, quarum auctorem eſſe *Struvium*, exempli modo laudati teſtimonio probamus. Falſus propterea eſt doct. *Langletus du Freſnoy*, qui *Tom. VII pag.* 423, *cette Diſſertation*, inquit, *eſt de Mr. Thomaſius*. Pæne præterii celeberrimi, varioque literarum genere cultiſſimi, Viri, *C. A. Heumanni*, *Theſes ſcepticas ex Hiſtoria Romana* in *Pœciles Tomo I Lib. I n.* 19 *pag.* 76 *ſeq.* quæ, nollem, egregio Viro excidiſſent, quoniam maxima pars earum profecto ſceptica non eſt. In *Ger. Ioan. Voſſio* Voſſium quoque deſidero. Ait enim in *Arte hiſtorica cap.* 7 *pag.* 11 *Operis Amſtelod.* 1699, *fol. Tom. IV*: *Incerta admodum ſunt, quæ ſub Regibus ſeptem Romæ accidiſſe dicuntur. Quin aliquamdia poſt quoque omnia obſcura, neque ullo probato auctore ſubnixa.* Longe aliter idem in *Lib. I de Hiſtoricis Latinis cap.* 1 ſtatuit. Ne quid diſſimulem, operæ pretium eſſe duco, *Caroli Sigonii* verba huc deſcribere, quorum defenſio penes auctorem ſit. *Eſt autem varia*, inquit ille in ſuo *Emendatio-*

num

Arpinum, [x] novi, ſed tanti nobis eſſe debet omnis hiſtoriæ, inprimis antiquæ, recta æſtimatio, quanti literarum & artium elegantia, quantique eſſe debet falſi iudicii in omnibus fuga. Quare, ut liberum tibi fuit, horum veſtigia ſectari, ſic in alia omnia abire nobis integrum eſto. Verum luſus adhuc & iocus fuit. Artius iam te ſtringemus, pollinemque a furfure ſecernere opus eſt. Incertum dico, ubi verum aliquando falſum videri poteſt, ſive ubi nihil intereſt inter veri falſive ſpecies. Quam finitionem ſi pateris, Vir Clariſſime, quis eſt, quem non moveat clariſſimis Auctorum monumentis teſtata conſignataque antiquitas? Quid eſt in hiſtoria, cuius magna pars liquido probari

num libro *cap. 1* adverſus *Fr. Robortelli* librum *de Convenientia ſupputationis Livianæ*, (vid. *Fac. Critic. Ian. Gruteri Tom. II pag. 123*,) *& inconſtans annorum apud omnes ratio uſque ad quingenteſimum ferme annum ab Urbe condita.*

x) Idem, qui *Apologiam pro Vanino ſcripſit*, *prolixum opus elaboravit Pyrrhonis ſub titulo* (ſunt verba ſumme Venerabilis Abb. *Ioh. Laur. Moſhemii* in Epiſtola ad *Lacroſium* data; vid. *Theſ. Epiſtol. Lacroziani Tom. I pag. 273* & *276*,) *quo Hiſtoricorum veterum fidem & auctoritatem magno conatu vellicat, paucaque in illis certa reperiri probat:* utrum in ſpongiam incubuerit hic liber, an ſecus, definire nequeo. Parum bonæ frugis oſtendunt primitiæ illæ in *Feriis æſtivalibus, ſ. Scriptorum ſuorum hiſtoria, Hamburgi, 1726*, 8, exhibitæ. Ibi *Parte III*, quam *Pyrrhonis* titulo inſcripſit, ſatis libere de *Hiſtoricorum veterum dubia & incerta fide diſputat.* Παιδὸς ψῆφοι.

ſari nequeat, aut quod iisdem rationibus & verum & falſum haberi poſſit. Inſigne veri in philoſophia ratio eſt, in rerum monumentis teſtimonium, quo obſcuro & oppreſſo, quod tandem verum attinges? Ad hanc enim aſſentiendi normam & regulam omnia rerum fortuitarum iudicia diriguntur. Neque hic obſtat diſſimilis quandoque rerum commemoratio. In plurimis enim rebus egregiam conſpirationem conſenſumque teſtimoniorum deprehendimus, quæ ubi inter ſe conveniunt, neceſſe eſt, caſu non potuiſſe concinere, ſed ex argumentis rerum naſci, tamque verum declarare, quam fumus ignem ſolet. Atque, his in unum collatis, noſtrum eſt, certam ſumere ſcientiam, non ſuſpicionem falſi. Quodſi malis, incertum ſumi pro eo, quod eſt in cognitione rerum humanarum leve, mancum, mutilum, fateor, controverſiam hanc totam inter nos compoſitam fore. y) Omnia enim, quæcunque arte & ingenio noſtro efficiuntur, debilitatem naturæ humanæ, mortalitatemque, involvunt, ut ſolum inter omnia certum eſſe videatur, nihil eſſe certi. Neque quidquam inter

y) Hoc ſenſu ſi accipimus incerti vocem, nihil facilius erit, quam omnes omnium ſcientiarum fines pervertere. *Henr. Corn. Agrippa* haud difficulter viris eruditis *vanitatem ſcientiarum* (vid. *eius Opp. Lugd. I, 8, pag. 11,*) *Petr. Dan. Huetius*, Epiſc. Abrincenſis, *imbecillitatem mentis humanæ Amſt. 1738, 12,* perſuadebunt. Vincet *Tanequid. Faber* futili ſuo *de futilitate Poeticæ* libro, *Amſtelod. 1697, 8.*

inter homines ita certum & iuſtum eſt, quin hæſitationem aliquam & controverſiam recipiat. [z] Sic eodem pacto præpotens & glorioſa philoſophia in lubricis opinionibus luctatur. Quot enim in Metaphyſica indiſſolubiles propemodum quæſtiones illa non habet? Quot hodie res non acutiſſimæ & ſubtiliſſimæ putantur, quæ, ut communis omnium familiarum philoſophicarum ſors fuit, apud poſteros tanti non fient? aut quot commenta cauſarum & materiarum in naturæ rebus explicandis philoſophi non quotidie procudunt? Notum præterea eſt illud *M. T. Varronis* in *Eudæmonibus* (vid. *Fragmenta veter. Poetarum pag. 1533* in *Oper. & Fragm. veter. Poetarum Latin.* Cl. *Mich. Maittaire, Lond. 1713, fol.*):

Poſtremo ægrotus an quidquam ſomniat tam in fundum, quod non aliquis dicat philoſophus.

Interim, ut nemo tam vecors, omniſque humanitatis expers, eſt, qui cum *Arceſila,* [a] nihil cognoſci, nihil percipi, nihil ſciri, poſſe, nihil veritati relinqui, deinceps omnia tenebris circumfuſa eſſe, ex eo contendat, quod multa lateant in occulto, quod multa cerni intelligique non poſſint, quod in profundo ſit demerſa

z) Vid. *Iuſtinianum* Imp. in Nov. 44 *de Tabellion. & ut prot. dim. in charta: eo quod nihil inter homines hic eſt indubitatum, ut non poſſit (licet aliquid ſit valdè iuſtiſſimum,) tamen ſuſcipere quandam ſollicitam dubitationem.*

a) *Cic. Acad. Lib. I cap. 13 pag. 55,* ed. *Daviſ.*

ſa veritas, ſic nemo verecundiæ fines ita tranſibit, ut omnem præteritorum temporum memoriam & fidem propter errores quosdam χρονογραφίας, aut narratiunculas neſcio quas, multorum ſæculorum contemtu ſituque obſitas, caſtigandam, labefactandam, violandam, contemnendam, iudicet. Quare, etſi multa in priſcis Latinorum rebus propter vetuſtatem obſoleverunt, cum quod diu geſta ſunt, tum quod multis incredibilia videntur, & in fabularum numerum reponi ſolent: tamen faciunt fidem, vere tradita eſſe, quod eorum monumenta certa in literis exſtant, nec ulla odii, amoris, beneficii, ratio ſubeſt, quare tot ὁμόψηφοι teſtes labefacti fidem rerum temerare, feramque poſteritatem malitia decipere, voluerint. Sed, ſi narratio narrationi opponitur, eritne certa & inconcuſſa antiquitatis fides? Audio: Nihil moror. Verum, ſi propterea antiquitatem contumelioſe laceras, quoniam contraria aliquando in monumenta veterum irrepſerunt, ecquam tandem hiſtoriam habebimus reliquam? Nemo eſt, qui alteri ingenio, doctrina, & conſilio ſcribendi, perfecte ſimilis ſit. Alteri poſſunt ſæpiſſime adiuncta quædam rei commemoratione digna videri, alteri non item, vel quia occaſionis, temporum, decori, rituum, pleraque momenta nemini ignota fore exiſtimabat, vel quia, in re ipſa controverſiam aliquando motum iri, prævidere non poterat. Ut enim quælibet res duas ſecundum *Epictetum* (*Enchirid. cap. 65, pag. 26*, ed. *Cantabr. 1655, 8.*)

anſas

anſas habet, alteram, qua teneri poteſt, alteram, qua non poteſt, ſic duplicem inprimis ſpeciem laudis & vituperationis referre ſolet. Hinc eadem res quandoque laudatur ab his, culpatur ab illis. Neque tamen ſubtiliter inde vel κακοήθεια unius, vel aſſentatio alterius, terminatur. Tametſi enim uterque iudicii ſui genio indulget, nihilo minus tamen candidus uterque eſſe poteſt. Inde emergunt ſæpiſſime diſcrimina narrandi, quæ tanto minus fidem hiſtoriæ elevant, quanto magis intelligitur, nullam nec ſcribi ab hominibus poſſe, nec ſcriptam ſine labecula mortali hiſtoriam fuiſſe. Semper enim partes erunt, & partium ſtudia. Interim ad veritatem rerum antiquitus geſtarum enodandam his legibus utere: Affectiones temporum, eventus & negotiorum, quæ narrationem circumſtant, non aurificis ſtatera, ſed populari quadam trutina, expendito: qua quis vel ætate, vel ingenio, vel ſcribendi cura, ſuperat alterum, ad eius hiſtoriam confugito: a iudiciis vero, quæ generatim concluduntur, in hiſtoria diligentiſſime caveto. Tum, ubi paria contrariis in partibus rationum momenta inveneris, condonabo tibi, ſi ab omni lapſu aſſenſionem continebis. Sed mittamus illud incerti vitium, quod vel inſcitiæ morbo, vel ingenii imbecillitate, gignitur, & quod toti literarum artiumque humanarum generi natura indidit. Si enim id incertum, inquinatum, dubium, eſſe iudicas, quod reprehendi poteſt, cui multa deſunt, quod in pulchro alioquin

corpo-

corpore nævos habet, non inficior, vetuſtiſſimam Romanorum memoriam tantum non perfectam, plurimisque adſperſam eſſe maculis. At, ſi humanam ſortem noris, ſimul fateare, neceſſe eſt, non modo illam Romanorum ἀρχαιολογίαν, ſed prope totam rerum geſtarum commemorationem, ex hac opinione fluxam & lubricam videri poſſe. Contra, ſi παραλλήλως, hoc eſt, in comparatione, incertum accipis, ubi nempe per contentionem, quæ res diligentius certiusque traditæ ſint, quæritur, atque præ noſtræ hiſtoriæ ſpecioſioribus ornamentis laudabilem veterum ſimplicitatem ſuperbe & faſtidioſe abiiciendam cenſes, tota erras via, & hæ ſcilicet fallaciæ ſola exemplorum inductione frangi poſſunt. Si copia forte, cura ſaltem, fide, elegantia, ratione ſcribendi, & iudicio, priſcos nunquam vincemus. Tam præclara enim induſtria annales condiderunt veteres, ut in iis hodie viri eruditi, quod addi poſſet, aut corrigi, invenirent raro. Non utar acutæ, brevis, & concinnæ, narrationis documento, quam perdidimus in libris noſtris fere omnem. Sed, ſi vitæ naturæque hominum artificioſam deſcriptionem cupis, quod maximam in hiſtoria vim habet, & ad vitæ conſiliorumque rationem accommodandum eſt, neſcio ſane, quæ memoria experimentis certioribus & imaginum exemplis archetypo ſimilioribus abundet, quam ipſa illa Romanorum pervetus. Nam, qui ſemel liberalitatis, fortitudinis, continentiæ, frugalitatis, prudentiæ, laudem meruit, is Scriptorum

culpa rariſſime in avarum, ignavum, & deſidem, luxuria & mollitie diffluentem, prodigum, & reipublicæ gubernandæ imperitum, hominem degenerabit. Retinet *Tarquinius*, ultimus Romanorum Rex, ſuperbiæ infamiam. Sibi ſemper ſimiles ſunt *Romulus*, *Numa*, *Brutus*, *Manlius*, *Camillus*. Nihil detrahitur *Romuli* virtuti, ſapientia temperatæ. Servat *Numa* mite & inſtructum tetrica Sabinorum diſciplina ingenium. *M. Iun. Brutus* ferox & trux depingitur, nihil non auſurus pro libertate patriæ; *Manlii* cupiditatem loquuntur eius facta. *Camillus* magnam reliquit ſui famam, animi æquabilitate, conſtantia, & virtute, partam. In his & ſimilibus exemplis nihil variant Auctores priſci. Omnia enim, quæ pertinebant ad civitatis diſciplinam, imperium, rem militarem, ad uſum civium moremque hominum, quæ verſantur in conſuetudine vitæ, in ſenſu hominum communi, in natura, in moribus, non minus animo comprehenderunt, quam Philoſophi, aut ii, qui iura & leges conſtituerunt. Verum, ubi circumferes oculos per annales noſtrorum temporum, eosque Scriptores perluſtrabis, qui in primis dicuntur elegantes, habenturque, reperies profecto, multos non tam res geſtas ævi noſtri, quam Panegyricos ſummorum principum, ſcribere, immo, prout quemque odio vel favore in alterum propendere novimus, ita ſtilum quoque ſuum temperare, ut bonis vitia, malis virtutem, affinxerint, hiſtoriamque noſtram hoc pacto mendoſiorem factam, neque

præcipuo Annalium munere, quod *Tacitus* [b] in eo quærit, *ne virtutes ſileantur, neque pravis dictis factisque ex poſteritate & infamia metus ſit*, neque dignitate & fide eum illa Romanorum memoria eſſe comparandam. Ea mihi ut credas, poſtulare, niſi quibusdam exemplorum argumentis docuero, æquum non eſt. Satis apparet, nondum de ingenio & moribus *Wenceslai* Imperatoris inter nos conſtare, quoniam vulgatiorem famam *Chr. Thomaſius*, & *Io. Herm. Schminckius*, viri docti, convellere ſtuduerunt, [c] *Sigiſmundi* imaginem parum, ut mihi ſemper viſum fuit, ex vero reddidit *Æneas Sylvius*, Imperatori beneficio obnoxius. Quali indole fuerit *Sixtus V*, Pontifex Romanus, Scriptores tradunt, ſed contraria fide. Adhæc impedit ſæ-

Ff 2 piſſime

b) Vid. *Annal. Lib. III cap.* 65 *pag.* 291 ed. *Gronov.* Præclare *Langletus du Freſnoy*, *c' eſt peu de choſe*, inquit, (*Method. de l'Hiſtoir. Tom. I cap.* 1) *que d' avoir la memoire remplie d' un nombre infini d' Années, de Siécles, d' Olympiades, & d' Epoques, de ſçavoir cette grande varieté des Rois, d' Empereurs, des Conciles, & d' Hereſies. Cette ſorte d' étude ne merite pas le nom de ſçience de l' hiſtoire. C' eſt connoitre les hommes, qui en fourniſſent la matiere, c' eſt iuger ſainement de ces hommes, étudier l' hiſtoire, c' eſt étudier les motifs, les opinions, & les paſſions des hommes pour en penetrer tous les reſſorts, les tours, & les détours.* Quod vero in diſcendo, id in ſcribenda quoque hiſtoria caput eſſe debet.

c) Horum libros, ſuper hoc argumento editos, vide in *Bibliothecæ hiſtoricæ ſelectæ Struvio-Buderianæ Tomo I cap.* 16 §. 81 *pag.* 32.

piſſime diverſarum religionum formula, quæ minus animi cuiuscunque lineamenta hodie ſimplici & caſta vitæ & morum deſcriptione imitemur. Hac in re ſola credo Cl. *Argenſis* teſti, noſtri ævi homines non tam fideliter ea, quæ acta ſunt, narrare, quam ſuarum partium cauſas defendere [d]. Dubium enim nullum eſt, quin noſtra ætate pluribus modis infringi debeat veritas: primum libidine aſſentandi, mox ambitione, aut rurſus odio ſcriptorum contra alienæ a ſacris noſtris doctrinæ aſſeclas. Quippe adulationi imperii ſervitus ineſt, obtrectatio, quam pronis auribus ſemper arripimus, falſa ſpecie ſacrorum tuendorum alitur. Ita neutris cura poſteritatis inter infenſos vel obnoxios. Quis *Olivierii Cromvelii*, Britanniæ Protectoris, verus χαρακτὴρ ſit, nondum certo novimus. *Raguenetus*, eum, ut virtutibus eluxiſſe, ſic magnis obrutum fuiſſe vitiis, contendit [e]. Alius contra, vitæ eius conditor, in ſummis eum heroibus

d) Vid. *la Philoſophie du Bon-Sens Tom. I Reflex. 1 §. 7 pag. 90 ſeq.* & *§. 19 pag. 165, 176*, ubi exemplis *Iacobi II* & *Guilielmi*, Regum Britanniæ, inconſtantiam Auctorum noſtrorum approbat. Conf. *l' Abregé chronologique de l' hiſtoire d' Angleterre* par *M. I. G. D. C. Tom. VII* a *pag. 18-23.* Tetigit eundem locum *Io. Guil. Hofmannus* in *Prolaſ. Acad.*, qua *Diſputationes publicas ex Hiſtoria Germanica, Witebergæ habendas, indixit, a pag. 30 ſeq.*

e) Dans *l' Hiſtoire d' Olivier Cromwell, 1691, 8, pag. 67 ſeq.*

roibus habet [f]. Quæ *Ludovici XIV*, Franco-Gallici Regis, ad vivum expreſſa imago ſit, ex *Ludovico Gendrio* [g], *Bizardierio* [h], *Larreio*, [i] *Quincio*, [k] non cognoſces. Utrum enim ab his & aliis laudum regiarum buccinatoribus, qui vel mercede conducti ad ſcribendum fuerunt, vel hiſtoriam declamatoriis ornamentis corruperunt, vera animi eius notatio effingi unquam poſſit, alii iudicent. *Limierius* [l] certe, *Ludovicum* Regem non tam virtutibus eminuiſſe, quam facta ſua virtutum ſimulacris, tanquam peplo, velaſſe, haud obſcure paſſim retulit. Cum igitur egregium quiddam ſit, & dignitatis plenum, animos immortales & ſplendidos in hiſtoriis accurate deſcriptos cognoſcere, ipſaque ex actibus propriis hominum & negotiis nata ingenii & morum pictura in quodam veluti præſtantiæ acumine conſiſtat, unde minima quavis inclinatione in vitium detorquetur;

 nullibi

f) Vid. *la Vie d' Olivier Cromwel, traduite de l' Anglois, à la Haye*, 1725, 8, *Tom. II pag.* 205.

g) *Eſſai de l' Hiſtoire du Regne de Louis le Grand, par Louis de Gendre, à Paris*, 1699, 8.

h) *Hiſtoire de Louis le Grand, par Mr. de la Bizardiere, à Paris*, 1712, 12.

i) *Hiſtoire de France ſous le regne de Louis XIV, par Mr. Larrey, Rotterd.* 1718, 4.

k) *Hiſtoire militaire du Regne de Louis le Grand, par Mr. le Marquis de Quincy, Paris*, 1726, 4, *Tom. VII.*

l) *Hiſtoire du Regne de Louis XIV, par H. P. de Limiers, Amſterd.* 1718, 12. Vid. inprimis *Tom. II Part. II pag.* 56, *Tom. III pag.* 6, *Tom. V pag.* 268, *Tom. VII pag.* 108 *ſeq.* & *Tom. X pag.* 309.

nullibi autem pulchrius & certius hominum prudentia, fortitudo, moderatio, iuſtitia, contrariaque his vitia, recenſentur, quam in vetuſtis Romanæ memoriæ annalibus, multum hoc ipſo illam hiſtoriam noſtræ antiſtare probatur. Nec id iniuria. Tanto minoris enim noſtrorum temporum memoria fieri debet, quanto longius abeſſe nos a vera elegantiæ laude, ne diobolares quidem eruditi negant, quibus vehementer hodiernæ in rerum monumentis divitiæ placent, quantoque certius domeſticæ peregrinæque hiſtoriæ ſeriem, feliciſſimo Græcorum Romanorumque ſtilo conditam, vel attentiore cura, vel præſtantiore facundia, traditurum ſe, nemo ſperaverit. Numquid, inquis, priſcis temporibus nullæ erant animi perturbationes, quibus humani ingenii curæ, in peiora ſe vertentes, tranſverſum agebantur, vel rerum traditarum fides corrumpi poterat? Fuerunt certe, quod ſupra conceſſi, quoniam nihil humani ab his alienum eſſe puto. Sed, tantum ingenio, tantum præclara contentione, tantum ſcribendi cura, præſtitiſſe, quantum hominibus datum eſt, ex eo colligitur, quod literarum apparatus continua tot eruditorum virorum poſt illorum memoriam induſtria nondum exhauriri potuerit. Nec fidei rerum quidquam derogat remota paulum a primis urbis conditæ temporibus Scriptorum ætas. Equidem, quoties bonos & graves illos Hiſtoricos legi, ſtatim cogitavi, ſimplicem ac nudam veritatem, niſi tardiſſime, efflorescere. Erant quippe *Livio* & *Dionyſio* Re-

ges,

ges, Conſules, aliique viri, æque minus injuria aut beneficio cogniti, quam *Fabio*, *Catoni*, *Varroni*, *Attico*, ex quibus illi profecerunt. Veriora certe de his ſcribere, intutum non erat, quorum Flaminia tegebatur cinis atque Latina, ſi Pontifices forte Maximi malitia vel infirmitate poſteritatem decepiſſent. Cum præterea eruditiſſimi togatorum homines res populi Romani a primordio urbis non indignas putarint, in quibus perſcribendis ingenium ſuum exercerent, quid inde aliud efficitur, quam ut, veritatem illius memoriæ inconcuſſam haud invitos & agnoviſſe, & ſui nominis operæque nobilitate, tanquam luculento quodam in ſecuritatem poſteritatis dato pignore, tueri voluiſſe, credamus? Si aliter ſtatuis, vide, ne pro graviſſimis & veri apprime ſtudioſis Auctoribus, ineptos homines, pueros, & infantes, iniquiſſima ratione facias. Alia velut de narthecio promit argumenta Cenſor. Enimvero, ſi ipſe, inquit, *Livius* profitetur, multa vetuſtate incomperta eſſe, quæ nec affirmare, nec refellere, auſit, tunc ab anticipationibus ita poſſideris, & ſemel comprehenſæ opinionis tuæ pertinaciter retinens es, ut, ſi eam ratio labefactarit, ſi teſtimonii veritas extorſerit, illam tamen deponere, animum non inducas? Si præterea tales veterum libri ſunt, ut, e quibus fontibus quatuor aut quinque Sæculorum ab urbe condita memoriam hauſerint Scriptores, eum ignariſſimis ſcias, nonne, omnem hiſtoriam a primo rerum Latinarum Auctore confictam eſſe, quem

ceteri, tanquam grex ducem, impetu quodam cœco ſecuti ſunt, probabiliter ſuſpiceris? Ab ultima dubitatione ordiemur. Prima ſumtio falſa eſt, Scriptores certis & indubitatis monumentorum præſidiis adiutos non fuiſſe. Atque id ſubſequens oratio demonſtrabit. Deinde propter indicationum raritatem, quam forte in priſcis annalibus animadvertiſti, ipſa rerum traditarum fides neutiquam vacillat, quod ſupra oſtendimus. Vara vibiam ſequitur. Si quis enim rerum geſtarum memoriam propterea κίβδηλον putat, quoniam omnium monumentorum, quibus uſus eſt Scriptor, exactam, religioſiſſimeque deſcriptam, ſeriem in libris non videt, næ illum ego omnem frontem expudoraſſe credam. Itane poſteritati poſt nongentos, & quod excurrit, annos res noſtras in dubium vocare licebit [m], quoniam ne centeſimam quidem

m) Nolo rem meis, ſed *Nic. Freretii*, viri acutiſſimi, verbis copioſius demonſtrare. In hanc enim ſententiam graviter & docte loquitur: (vid. *Mémoires de l' Academ. des belles lettres, Tom. VIII, Amſtel.* 1731, 8, *pag.* 251,) *Faut-il rejetter abſolument leur témoignage, parce que nous ne pouvons le comparer avec les mémoires, ſur leſquels ils ont travaillé? des conſequences d' un pareil principe nous meneroient trop loin. Et ſ' il eſt une fois admis dans la critique, la poſterité ſe trouvera en droit de rejetter un iour les faits, dont la verité eſt maintenant la plus conſtante parmi nous. La certitude de la plupart de ces faits eſt produite d' un grand nombre de preuves, qui peut-être très-foibles chacune en particulier,*

dem monumentorum partem ex principibus noſtri ævi Auctoribus cognoſcet. Cautam veri inquiſitionem non repudiaverim. Faceſſat ſatua temerariaque credulitas. Sed, ſi tot teſtes candidos & ſapientes cernimus, qui in mendacium profecto omnes coniurare non poterant, quibusve priſcorum nemo refragatur, ius faſque eſt, hos potius duces in vetuſtiſſimis rebus, quas e longinquo tantum per caliginem & nebulam adſpicimus, bona mente ſectari nos [n],

culier, operent aujourd' hui conviction en nous, lorſqu' elles ſont réunies. Ces preuves, qui ſubſiſtent encore, ſeront detruites dans quelques ſiecles: la poſterité, qui ne les verra plus, qui peut-être ne pourra pas même ſ' imaginer, de quelle nature elles ètoient, ſera-t-elle en droit de recuſer le témoignage de nos écrivains, lorſqu' ils atteſteront les mêmes faits; n' aura-t-elle aucun ègard à nôtre perſuaſion? ſuffira-t-il alors de dire. Il eſt vrai, que dans le dix-ſeptieme ſiecle, on croyoit communement telle ou telle choſe; mais comme nous ne voyons pas les preuves, ſur lesquelles on le croyoit, & que d' ailleurs nous ſavons, qu' il eſt poſſible de ſe tromper ſur des choſes de cette nature, nous ſommes en droit de traiter cette croyance de pure illuſion.

n) Valet quoque hic egregia *Gaii* ad *Edict. urbic.* præceptio *L. 56 ff. de V. S.*: *Semper in dubiis benigniora præferenda ſunt*; item *Gregor. Nazianzeni* in *Orat. XXI pag.* 382 ed. *Col. 1690 fol*: ἐν τοῖς ἀμφιβόλοις νεύειν χρῆναι πρὸς τὸ φιλάνθρωπον. Præſertim ubi videmus, diligenter Scriptores obſervaſſe, quod *Plutarchus* de *Herodoti malignitate pag.* 855 *Tom. II opp.* ed. *Rualdi* monuit: τῶν δὲ ἀδήλων τὰ βελτίονα δοκεῖ ἀληθῶς λέγεσθαι, μᾶλλον ἢ τὰ χείρονα.

quam in ſcirpo nodum quærendo omnia contumaciter faſtidire. Periculoſæ enim plenum opus aleæ eſt iudicandi ars, in qua ſæpiſſime ne oculatiſſimi quidem ſine errore verſantur, etſi uſitatiſſimo ſuo decreto οὐδὲν ὑγιὲς Auctores priſcos caſtigent, nec raro *Annios*, *Cecarellos*, *Higueras*, *Butkenios*, aut neſcio quos falſarios, inveniſſe ſibi perſuadeant, ubi omnia ſana & integra exiſtunt. Non omnes, qui habent citharam, ſunt citharœdi. Nimirum maius eſt hoc quiddam, quam homines opinantur, & pluribus ex artibus ſtudiisque collectum. Ceterum tam diu quilibet innocens habetur, ut aiunt, quam diu certa ſuſpicio vitii aliquem reum non fecerit; nec addecet eos maledictis premere, quorum culpa nos latet. Ut enim ignis, in aquam coniectus, continuo reſtinguitur; ſic falſum crimen, in immerentem collatum, ſtatim concidit, & ad famam ſordidum eſt.

Altera Cenſoris dubitatio locorum *Livianorum παρεξηγησεία* ſuſtinetur, quæ, quod ſingulis rerum cauſis tribuere debebat, iniquiſſima ratione ad univerſam hiſtoriam tranſtulit. Si incertam illorum temporum memoriam omnem iudicaſſet *Livius*, exploratum eſt, talem perſcriptorum non fuiſſe. In multis hærere ipſum, nemo inficiabitur o), ſed nulla inde ratio cogit, ut omni illius ævi hiſtoriæ fidem vel addere

o) Quod etiam *Quintilianus* in *Inſtit. orat. Lib. II cap. 4* notavit, *nonnunquam*, inquiens, *de perſona quoque, ſicut Livius, frequentiſſime dubitat, & alii ab aliis hiſtorici diſſentiunt.*

dere pro lubitu, vel demere, poſſimus. Id ſolum nobis relinquitur, ut, quoties *Livium* & ceteros Auctores, in trivio velut conſtitutos viderimus [b], toties nos quoque eandem rem, quam illi in medio relinquendam putarunt, ſimpliciter credere non teneamur. Ubi contra nihil illi in rebus priſcis dubii movent, omnemque falſi ſcrupulum poſteritati narratione ſua eleganti, neque ullis difficultatum tricis impedita, exemerunt, prorſus incongruum videtur, nobiliſſimis Romanorum hiſtoriis, tot perſpicacium ingeniorum ſuffragio & ſtudiis, totque ætatum fide aſſertis, ſolitudinem & vaſtitatem afferre, immo vanis ſuſpicionibus neſcio quam oblivionem antiquitatis, quos receſſus ejus obſcuros, quas fabularum inſidias, & aſtutam Scriptorum impoſturam, adverſus teſtimoniorum vim poteſtatemque comminiſci. At, multa, inquis, aperte falſa ſunt in illorum annalibus. Immo obſcura fortaſſe nobis. Sed ſint falſa quædam: contra vera quid dices? Scio, Latinarum rerum Scriptores quandoque θέσιν τοῦ δράματος amaſſe; ſed novi quoque, omnium mortalium hoc vitium eſſe, *τὰς περι-*

πέτειας

b) Id fieri ſolet, cum dubitanter magis, quam vere tradunt rem Scriptores, & ſolennibus quibusdam formulis: ita *aiunt*, *perhibent*, *ferunt*, ἂν ἐλῶ βεβαίως εἰπεῖν, ὅπως ἔχει χαλεπὸν εἰπεῖν, lectores commonendo, ſe nihil hic præſtare velle, ultro confitentur. Quale eſt illud *Q. Curtii*, qui, *Equidem*, inquit, *plura transſcribo, quam credo: nam nec affirmare ſuſtineo, de quibus dubito: nec ſubducere, quæ accepi.*

τότητας καὶ θαυματοποιΐας in patriæ ſuæ & heroum laudem ſæpiſſime amplecti, quibus tamen nemo prudens temere fallitur, nec propterea ceterarum rerum fidès aboleri poteſt. Contemno cotem *Attii Nævii*, rem notam, & ab ipſo *Cicerone* (*de Divinat. Lib. I. cap. 17*) mandatam literarum monumentis; nihil debet eſſe in hiſtoria, quemadmodum in philoſophia, ſecundum *Ciceronem*, (vid. *Divinat. Lib. II cap. 38,*) commentitiis fabellis loci. Apparitionem *Caſtoris* & *Pollucis* negligo, quod naturæ legibus repugnat. Nemo quæret, *an ſit credibile, ſuper caput Valerii pugnantis ſediſſe corvum, qui os oculosque hoſtis Galli roſtro atque alis everberaret*: (*Quintil. Inſt. Orat. l. c.*) ridemus lupam *Romuli* & *Aegeriam Numæ*: neque anus tam excors inveniri poterit, quæ illa quondam propter ſacrorum illorum formulam & diſciplinam credita vulgo oſtenta, monſtra, prodigia, portenta, extimeſcat. Hæc opinionum deliria tempus delevit, naturæ iudicia repudiarunt. Quare, exacuendam nobis ingenii aciem eſſe, neque, ut quidque a quoque veterum proditum fuerit, ita protinus accipiendum eſſe, cenſemus, ſed conferenda alia cum aliis, & ſingula diligenter examinanda. Quodſi omnes cautiones adhibueris, quas potuiſti, neque ad credendum difficilem eſſe, neque in priſcis rebus veritatem ad unguem quærere, q) te oportet. Id ni ita ſit, quid eſt, quod

q) Pertinet huc praeclara *Diodori Siculi* in *Bibl. hiſtor.*

quod memoriæ omnis cognoſcendæ amor, vel perſpicientia & ſolertia, nos teneat? Teſtimonium eſt ratio, rei geſtæ faciens fidem. Quæ vero rerum ſcientia, niſi candide teſtimonium perhibentibus aſſenſeris? Manet ergo, quæ a fabulis quibusdam poeticis ad invidiam hiſtoriæ omni faciendam inducitur, concludendi ratio, eam non modo cor non iudicare, ſed ne palatum quidem. Qui enim convenit, verbi cauſa, alitem corvum ubi legeris certamine inito os oculosque Galli hoſtis roſtro & unguibus petiiſſe, dubitare, quin *M. Valerius*, Tribunus militum, cum Gallo depugnarit, & ex eius ſpoliis ſibi torquem aureum & cognomen induerit? (vid. *Cic. de fin. bon. & mal. Lib. II cap. 22 pag. 115* ed. *Bentl.*) Quid proclivius eſſet, quam illo velut rationis corvo non antiq am modo, ſed omnem Romanorum memoriam ſubvertere? Eſſet forte aliquis, qui *Caſa-*

biſtor. pag. 211 edit. *Rhod.* oratio: Δεῖ γὰρ οἶμαι τοὺς Συγγραφεῖς ἐν μὲν τοῖς ἀγνοήμασι τυγχάνειν συγγνώμης, ὡς ἂν ἀνθρώπους ὄντας, καὶ τῆς ἐν τοῖς παροιχομένοις χρόνοις ἀληθείας ἔσης δυσευρέτου. Item *Dionyſii* decretum *Lib. VII pag. 418*: ὀλίγοις μὲν ἂν ἔτεσι διαμαρτεῖν τῶν χρόνων δοίη τις ἂν ἱστορικοῖς ἀνδράσιν ἀρχαίας καὶ πολυετεῖς συνταττομένοις πραγματείας. Tametſi enim, viam, qua ad verum itur, non uſquequaque inveniſſe Scriptores, fingi hodie poſſit, ſive quod eos latebat illa, ſive quod multis aſperior & infinitis obſepta ſenticetis videbatur; id tamen volumus, id contendimus, ut, bona fide cum poſteritate, egiſſe Auctores credatur. Propterea τοῖς εἰκόσι πιστεύομεν μᾶλλον καὶ θᾶττον.

Cæſaris rebus geſtis fidem derogaret, quod *Dio Caſſius Lib. XLV pag.* 273 ed. *Leunclav.* ἐς τὸν τῶν ἄστρων ἀριθμὸν συγκαταλειλογμένον, illum fuiſſe atque χαλκοῦν αὐτὸν ἐς τὸ Ἀφροδίσιον ἀστέρα ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς ἔχοντα, poſuiſſe *Auguſtum*, teſtatur, vel quod, teſtè *Suetonio*, (*Aug. cap.* 94,) Apollinem ex Atia ſub ſpecie draconis procreaſſe *Auguſtum* vulgo tradebatur. Si propter hanc fabularum licentiam fictas Romanorum primas origines, ſpuria omnia, quæ originibus proxima ſunt, eſſe putas, quid eſt, quod non omnem poſteriorum temporum hiſtoriam κατ' ἰσονομίαν in dubium voces? Atqui vero non tantum *apud Regillum bello Latinorum* [r] *cum A. Poſtumius Dictator cum Octavio Mamilio Tuſculano prælio dimicaret, in noſtra acie Caſtor & Pollux ex equis pugnare viſi ſunt: ſed & recentiore memoria iidem Tyndaridæ Perſen victum nuntiaverunt.* Congreſſibus *Numæ* cum *Ægeria* Nympha æque minus priſca Romanorum hiſtoria adulteratur, quam ſequentium temporum memoria *Sertorii* familiaritate cum cerva candida; (quam rem exponunt Auctores, a *Freinshemio* laudati ad *Flor. Lib. III cap.* 22 *pag.* 695 ed. *Duck.*). Prodigia non tam *Romuli*, quam *Cæſaris Auguſti* ævo nuntiata, & in literarum annales relata ſunt, quod vel ſolus *Julii Obſequentis ab anno urbis conditæ quingenteſimo quinto prodigiorum liber imperfectus, cum Supplementis Conr. Lycoſthenis a Fr. Oudendorpio*

caſti-

r) Sunt verba *Cicer.* de *Nat. Deor. II*, 2, *pag.* 113 ed. *Daviſ.* item *Lib. III cap.* 4.

caſtigatus [s] declarat. His ſive veris, ſive ad uſum gubernandæ tum reipublicæ confictis naturæ portentis tam abundat *Dionis Caſſii* hiſtoria, & *Livius*, ad nova progreſſus, (vide exempli loco *Lib. XXII cap. 1*,) quam ipſius Hiſtoriæ prima Decas. Adi quoque *Catrovi* & *Ruilii* Præf. ad *Hiſt. Rom. pag. 15, 16*. Quemadmodum autem totum hoc prodigioſum genus, in veterum libris memoratum, nemo ſimpliciter nugas vocare auſit, quoniam multa nobis in re nova mirationem faciunt, & *ἄδοξα* videntur, quæ cauſarum quandoque obſervatio, & uſus certior, agnoſcit; (omnem certe rem illam inventam fallaciis contra, ac evenit, aut ad quæſtum, aut ad ſuperſtitionem, aut ad errorem, non fuiſſe, ſed nonnulla vere contigiſſe, equidem ſtatuerim [t]); ita Cenſoris ſententia explodatur, qui eiusmodi

s) Confer *Iul. Caſ. Bulengerum* de *Prodigiis*, *Theſaur. Ant. Rom. Græv. pag. 457 Tom. V.*

t) In rerum geſtarum cognitione ſufficit, probabilia credere, quæ fieri poterant, & cum temporum rationibus atque cauſis politicis inter ſe conveniunt, etſi alio tempore raro fiant. Si in rerum monumentis ita poſtulas cuncta penitus perſpecta, planeque cognita, atque ab opinionis arbitrio ſeiuncta, quam id, quod ſcientia & animo comprehenditur, omni hiſtoriæ haud dubie iniuriam facis. Vehementer mihi propterea oratio *Plutarchi* arriſit, qui in *Camillo pag. 292*, ed. *Bryan*. Ἀλλὰ τοῖς τούτοις, inquit, καὶ τὸ πιστεύειν σφόδρα καὶ τὸ λίαν ἀπιστεῖν ἐπισφαλές ἐστι, διὰ τὴν ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν, ὅρον οὐκ ἔχουσαν, οὐδὲ κρατοῦσαν αὑτῆς - - - Ἡ δ' εὐλάβεια, καὶ

di non dicam fabulis, ſed rebus mirabilibus, quas pervetus Romanorum diſciplina oſtentavit, omnem hiſtoriam illorum temporum velut tabe, per totum corpus fuſa, corripi abſumique poſſe, male coniecta ratione ſuſpicatur. Quod profecto non eſt conſiderare, ſed quaſi ſortiri, quid ſcribas. Nunc demum ad pila ventum eſt, &, quoniam, quid ego potiſſimum de veritate rerum a Romanis antiquitus traditarum ſentiam, prius exponere me oportet, quam in arcem ipſam invadam, cum me non eſſe vel ridiculum, vel minutum, teſtor, ut omnia veterum Annalium dicta non magis rata & ſtabilia iudicem, quam Apollinis Pythii decreta, vel ut, nihil vetuſtis rebus dubii ineſſe poſſe, contendam, ſed habere illius ævi memoriam utique multas præſertim in computatione annorum & magiſtratuum difficultates, immo luctari ſecum ſcriptores, mea ſponte concedo. Verum, quo minus Cenſori, contra antiquitatem rigidius ſententiam dicenti, ſuffragari poſſem, ipſa communis fama impediit, & publicum multitudinis teſtimonium, in quo inſunt nonnunquam certæ veri & propriæ notæ. Ut enim veriſimilia partim ſingula movent ſuo pondere, partim etiam, ſi videntur eſſe exigua per ſe, multum tamen, cum ſunt coacervata, proficiunt; ſic teſtimoniorum copia in rebus geſtis

καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν, ἄριστον. Scite & eleganter *Heſiodus* Ἔργ. Ἡμ. ῦ. 372, *pag.* 152, ed. *Robinſ.*:
πίστεις δ' ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας.
Sed cui non dictus Hylas?

ſtis & popularis hominum opinio, quanquam per ſe tantum non valitura, incredibilem tamen, ubi literarum monumentis quibusdam comprehenſa, pluriumque ſæculorum colligatione, iudicio, ſenſuque, probata fuit, auctoritatem habet, eaque, neceſſe eſt, animos humanos vehementer commoveri. Cauſæ noſtræ conſtitutio qualis ſit, magni olim *Perizonii* verbis [u] explicabimus. *Imprudentis*, inquit, *enim foret & imperiti, res adeo antiquas, nulla, niſi unius populi, traditione confirmatas, multis aſſeverationibus contendere, fidei & veritatis eſſe certa. Sed æque impudentis eſt, & temerarii, eas confidenter adeo affirmare falſas, niſi manifeſtis id argumentis probare queat, quod itidem difficile prorſus cenſeo. Quocirca ſuam ita egiſſe cauſam debebat Cluverius, ut non inanibus coniecturis, quibus multa ſemper reponi poſſunt, & quæ nihil demonſtrant, etiamſi omnium rerum, quæ olim acciderunt, rationem nunc reddere nequeamus, ſed certis documentis receptam communiter ab Romanis hiſtoriam appugnaret, & falſitatem eius liquido argueret. Nos noſtro erimus officio defuncti, ſi iſtius generis tela tantum repellamus, & obtuſa ea eſſe & vana, oſtendamus, ſummam illam & ultimam rei certitudinem in medio relinquentes: quæ tamen ipſa res, ſi continuo longiſſimi temporis & totius populi conſenſu recepta eſt, ſpe-*

u) Vid. *Diſſert. VII de Republica Romana*, quæ agit de hiſtoria Romuli, & Romanæ urbis origine, in eius *Opuſc. min. Tom. II pag.* [illegible].

ciem & opinionem veri apud æquos rerum arbitros retinebit ſemper, quamdiu falſi non eſt convicta. Addo, non ſine gravi cauſa antiquitatem reprehendendam eſſe, & iudicium potius ſuſpendendum, quam temere contra gentis univerſæ Scriptores pronuntiandum; cum multa nos fugiant, quæ illorum ævo publice intellecta & probata fuerunt. Præeuntibus illis Auctoribus aliquas ultimæ antiquitatis particulas incerti accuſare licet, ſed contra omnem hiſtoriæ illius fidem, & ſcriptorum candorem, ex ſæculi moribus & ingenio ſæpiſſime iudicium ferre, &, communi plerorumque Dialecticorum vitio, anguſtos interpretationis hiſtoricæ fines tranſiliendo ex parte coniecturam generis ducere, literarum diſciplinæ prorſus refragatur. Cum igitur cuiuscunque boni ſit, veterum defenſionem ſuſcipere, ubi præter rem & iniuſte accuſati fuerunt, ne talis forte licentia in contemtum adductos hiſtoriarum veros fontes præ novitatis & falſæ elegantiæ ſtudio reiicere incipiat, indiculis quibusdam & lemmatibus, e libro Gallico deſcriptis, quoniam omnem ſententiarum vim repetere, nimis longum foret, cenſorisque rationibus alias rationes & auctoritates reponere, viſum eſt, ita tamen, ut copioſa oratione abſtinere, ſingulasque vetuſtiſſimæ Romanorum memoriæ cauſas, ubi pluribus verbis opus non erit, ſola indicatione Auctorum, qui vel rectius definiverunt rem, vel ſubtilius de eodem argumento diſputarunt, ab iniuria vindicare, ſtatuerim.

Ad

Ad verba Præfat. in fin. :) *qu' on ne regardera pas comme une temerité.*) Immo temerarium eſt, ſua ſenſus abundantia, non aliorum maturis iudiciis, adverſus tot priorum ſæculorum homines eruditos, rerumque peritos, ſtare, & cornicum, ut aiunt, oculos configere velle. Valet enim, ut in multis rebus aliis, ſic in hiſtoria præſertim, vetus Græcorum adagium: Τῶν πλειόνων ψῆφος νικᾷ. Atque hoc probationis genus expugnare interdum vix veritas poteſt. Ad fidem faciendam quæritur auctoritas. Auctoritatem tempus & conſtans fama affert. Uti enim iuris divini humanique doctores recte putant, *famam, quæ diu viguit, præſumtionem iuris inducere;* ita etiam hiſtoria, quæ vitam & memoriam hominum noſtrorum diu exceſſit, dubitatiunculis quibusdam perperam elevatur. Sufficit enim in rebus pervetuſtis, maiores noſtros talia nobis bona fide tradidiſſe; nec dubium eſt, quin Romani poſt longam veri inquiſitionem & curam antiqua rerum monumenta compoſuerint, quibus ceteroquin ſubtile & certum videndis artibus iudicium contigit, & noſtri homines haud inviti addixerunt. Verum tu auctoritates contemnis, vel toti certe veterum claſſi ancipitem locorum interpretationem opponis, & ratione pugnas. Patere igitur, rationes meas cum tuis contendere, quoniam res Latinas, meo quidem iudicio non omni modo dubias, argumentando dubias facis. Equidem miror, quare *Salierii*, viri inter paucos hodie Gallos doctiſſimi,

rationibus morem non geſſeris, qui, quæ dicere contra hanc opinionis ſecuritatem eum oportebat, candide & ſecundum publici ſaporis decreta ſatis probabiliter dixit.

Ad *eiusd. Præf.* verba: *attribuè avéc plus de raiſon* &c. Excitas hic *Henr. Dodwelli* Diſſertationem *IV de Plutarcho, libri de Fluviis Auctore; obiterque de Auctore Parallelorum minorum, quæ etiam ſub Plutarchi Charonenſis nomine feruntur;* (vid. *Geograph. min. Script. ed. Hudſon. Vol. II a pag. 104, inprimis pag. 120, 121,*) quod probo, ſed index libri mendoſe exſcriptus eſt, qua in re tamen, utpote leviori & parva, tibi moleſtus eſſe nolo. Interim vereor, ut *Dodwelli*, immo *Iſaaci Voſſii*, ſententia, quam propere nimis ſequi videris, in iudicum decuriis vincat. Eius argumenta vacillantia putat *Fabricius* in *Bibl. Gr. Lib. IV cap. 11 pag. 353*, quem vide. Nihil ipſe definio. Id conſtat, ſimilitudinem quandam actuum, literis Græcis proditorum, quos ſive virtus Romana & indoles imitata eſt, ſive horum ingenia ſcriptis celebrarunt, tanquam rem vanam, velut ſi ſit ex fabulari Græcorum fonte deducta, explodi, niſi per ſummam impudentiam, non poſſe. Atque hoc ſubtiliter ex eo probat V. C. *Salierius*, (vid. *Mémoires de Literature Tomo VIII pag. 85 ſeq.*) quod, ſi tempora, ſi mores, congruant, ſi eadem ſuper rebus iudicia mortalium animos regant, eosdem ſæpiſſime cauſarum eventus intèr homines renaſci velut, & tanquam perſonas in ſcenam redire quotidie videmus. Conf. *Catrov.* & *Ruilium* in Præf. ad *Hiſt. Rom.*

pag.

pag. 17 - 20. Adde V. C. *Lud. Martini Kahlii Elementa Logicæ probabilium* (*Halæ Magdeb.* 1735, 8, *Sect. III cap.* 1, *de determinatione gradus probabilitatis historicæ,* §. 254, *pag.* 221.

Ad *Præf.* verba *pag.* 9: *Ie ne comprens pas.*) Calumniaris hic *Salierium*. Quantum enim intelligo, Vir doctus ex tabulis domeſticis (quas *Cicero codices* vocat, & ab *adverſariis* diſtinguit; vid. claſſicum locum in *Orat. pro Q. Roſcio Amerino cap.* 3 *pag.* 229, *Tomo I pag.* 1 ed. *Græv.*) veritatem rerum a Romanis publice geſtarum commonſtrare noluit, ſed à rebus privatis ad publicas ex comparatione minorum & maiorum rectiſſime argumentum duxit, ad eum modum: *Ie me contenterai d' en conclure, que ſi cette coutume ſe gardoit exactement dans les affaires particulieres, elle ſ' obſervoit avec ſcrupule dans les affaires publiques,* (*pag.* 47 *Mémoir. de Lit.*). Quanquam, ſi dicendum, quod res eſt, ne hæc quidem tua rationis complexio valet, qua præter accepti & expenſi rationes eiusmodi tabulas nihil præſtare potuiſſe ais. Quam fidentis enim hoc animi eſt, quam ſecuri, de re non viſa ſeverius cognoſcere? Quaſi domeſticæ rationes cum publicis cognationem quandam & nexum habere nullo modo potuerint. Finge enim Codices, ab his patribus familias confectos, qui, magiſtratum gerebant; non a vero abludit, mentionem quandoque rerum publicarum in iis factam fuiſſe, ſaltem temporum conditionem ex iis coniicere potuiſſe nonneminem, quid vetuit? His certe contra *Verris* ſpolia in re magni momenti & publica egregie

uſus eſt *Cicero Lib. I in Verr. cap. 23.* Frequentia ſunt hæc temporum noſtrorum, ſed iniqua talibus in cauſis, iudicia, ut tituli modulo omnes libri opes & dotem plerumque metiamur.

Ad *Præf. pag 12: Nous n' avons qu'un ſeul paſſage.*) Immo id ſolus *Cicero* non dixit, ſed *Flavius Vopiſcus Syracuſius* quoque, licet minorum gentium teſtis, in *Tacito* (*cap. 1 pag. 226* ed. *Script. Hiſt. Aug. Salmaſ. Pariſ.*) *poſt Romuli*, inquiens, *exceſſum novello adhuc urbis imperio penes Pontifices ſcribendæ hiſtoria poteſtas fuit.* Fac autem, unica rem illam *Ciceronis* auctoritate defendi poſſe, cui, quæſo, teſtimonium perhibenti, credere mavelis, quam Conſuli, quam homini togatorum doctiſſimo, quam viro ſapienti, & ab omni credulitatis ſpecie alieniſſimo? Quod præterea, *Ciceronem* nullibi Annales maximos excitaſſe, putas, id vero condonandum tibi non eſt. Quid enim clarius his locis, ubi *Lib. I de Divinat. cap.* 17 Cicero, *negemus*, ait, *omnia*, *comburamus annales: ficta hæc eſſe dicamus?* & *cap.* 44: *Quid? quod in annalibus habemus, Veienti bello, cum lacus Albanus præter modum creviſſet, Veientem quendam ad nos hominem nobilem profugiſſe.* Equidem per annales, ſi ἁπλῶς, hoc eſt, absque voce τῦ *Maximi*, in libris exhibeantur, ſcriptorum quoſcunque Annales & Commentarios intelligere te voluiſſe, non ignoro, ſed hanc obſervationem, ut opinor, male, nec concinne ſatis, e Latinitatis rationibus pro lege ſumſiſti, qua de re paulo poſt videbimus. Enimvero hic ſaltem nudo Annalium nomine Annales maximos vel

Ponti-

Pontificum denotaviſſe, certius nihil eſt, quoniam, ni ad hos provocarit *Q. Frater*, ſua Oratione, ne hilum profeciſſet. Id enim voluit, ut, quod ſua vel facundia, vel alius cuiuſcunque Scriptoris fide, difficulter ſe *Ciceroni* approbaturum eſſe divinabat, illud Annalium maximorum religione & ſanctitate, quam nemo facile ſusque deque habuerit, tanto ocius perſuaderet. Ceterum ex ſolo *cap. 32 Orat. Cicer. pro Domo* apparet, quam diligenter & accurate *Ciceronem* legerit Cenſor, qui, ne unicam quidem memoriæ Romanæ, capta a Gallis urbe antiquioris, particulam Annalium ſub fide a *Tullio* proditam fuiſſe, confidenter ſcribit, (*il ne les cite pas ſur un ſeul fait antérieur à la priſe de Rome*). Verum, his, quæ Clar. *Beaufortius* contra *Salierium* in Prologo opuſculi ſui diſputaverat, præmiſſis, nunc ad librum ipſum progrediemur, nosque ad præcipuum munus noſtrum & penſum vocabimus. Quanquam vero omnibus laudi dicitur, accepta ab aliis doctrinarum ſemina quavis ratione tueri, novisque locupletare animadverſionibus, tamen, cum paria iure ancipiti, in ſententia utcunque infirma & lubrica, tentaveris, tuos conatus me vitio tibi vertere, haud ægre feres. Primum enim opinionis tuæ parentes, *Cluverium*, *Dodwellum*, & *Perizonium*, a quibus te multum profeciſſe manifeſtum eſt, præter rem diſſimulas, & ſilentio premere videris. Dein temerarias ſuſpiciones, quarum ſpecie in tranſverſum raptus erat Clar. *Puilius*, Dialecticæ tuæ

 mini-

miniſterio contra ius faſque literatum amplificas. Idque me haudquaquam carpendi ſtudio dixiſſe, ex eo non ſolum apparet, quod *Cluverius* in *Italia* ſuæ *antiqua Lib. III cap. 2, de priſcis Latii finibus pag. 828* & *829*, *Dodwellus* in *Diſſ. X de antiquis Romanorum Cyclis Sect. CX*, ubi de *hiſtoria Romana, ante Romulum nulla fide digna, vel Romuli ipſius fortaſſe dubia*, expoſuit, *Perizonius* x) in *Animadverſionibus hiſtoricis* (*Amſtel.* 1685, 8,) *cap. 5* & *6*, *Puilius* in *Commentar. Acad. Reg. bon. lit.* (*Tom. VIII*, a *pag. 26.* ed. *Amſtel.*) & alii, eadem fere loca Scriptorum dudum collegerunt, quibus tu contra hiſtoriæ illorum temporum veritatem, licet immodeſtius, quam illi, uteris; ſed etiam quod tu *Puilii* fines egreſſus, non quatuor modo, ſed quinque, ſæculorum ab U. C. memoriam illudendo; communi antiquitatis famæ bellum irreverenter denuntias.

Ad *cap. 1 pag. 2: depuis ce tems les Grecs.*) Verum ab *Herodoti* Muſis Hiſtoriæ Græcæ initium petere ridiculum eſt, quoniam multi ante eum Græci patriæ ſuæ memoriam literis prodiderunt, quorum e libris nihil præter titulos & nomina temporis longinquitas nobis ſervavit. Non enim, qui primus hodie & antiquiſſimus propter deperditas reliquorum Auctorum opes vide-

x) Huius vero ſuſceptæ rei ratio ſummo antiquitatis inveſtigatori invidiam facere nullo modo poteſt. Non enim, quid, ſed a quo, & quibus finibus, dictum fuerit, Lectores hoc loco haud abſurde fectum reputare iubeo.

videtur, idem nobis re ipſa videri debet. Immo, ſi nunquam legiſſes, iam ante *Herodoti* tempora multos præſtantiſſima ingenia ſua ad rerum cognitionem, orationisque exercitationem, contuliſſe, ipſa tamen hiſtoriæ *Herodoteæ* venuſtas te poterat impellere, ut crederes, multo ante non inventam ſolum artem hiſtoricam, ſed elaboratam diu & perfectam fuiſſe. Quæ res ſua natura facile intelligitur. Ars enim nunquam facit ſaltum, nec illico, ubi nata & alta eſt, maturitatem aſſequitur, ſed ingenii radicibus nixa literarum velut ſucco nutritur, & aſſidua exercitatione ſenſim paulatimque adoleſcit. Quamobrem, uti vel ſolo *Homeri* exemplo conſtat, Græcos diu iam divina ſapientiæ, Poeſeos, omniumque bonarum artium, ſpecimina edidiſſe, ita ſequitur, ut non tam multi cupierint & potuerint hiſtoriam ſcribere, quam ut pluſrimi hoc ſcribendi genus laudabiliter conſectati fuerint. Fac, Poetas olim ſui temporis patrumve memoriam, quod antiqui moris fuit, carminibus ornaſſe atque illuſtraſſe, non audeas tamen vatis profeſſione, uti ſupra docuimus, fidem narrationis elevare, utpote quæ levitatem non præſtat. Etenim, quanto doctior quis, pulcrior, atque elegantior, poeta videri vult, tanto diligentius res, quas tradit, ad veritatem adducat, neceſſe eſt. Sed opus non eſt, ut longiorem hic orationem explicemus. Vid. de antiquiſſimis Græcorum monumentis cultiſſimam *Freretii* diſputationem in *Mémoires de l' Acad. des belles lettres l. d. a pag.* 254 -- 267.

Duplici errore igitur deceptus es. Neque enim *Herodotus* primum hiſtoriam condere inſtituit, ut propterea ab illius ſcriptoris ætate tempus hiſtoricum numerare inciperes, nec Latinarum inde rerum veritati quidquam derogatur, etſi, ante *Q. Fabium Pictorem* Græciam diu rerum tradendarum ſtudio incenſam in hiſtoria ſcribenda excelluiſſe, ceterisque gentibus præſtitiſſe, tibi donemus. Perantiquis enim Romanorum temporibus ſcribendi dicendique ars, ut mea fert opinio, quæ multis rationibus e *Ciceronis Bruto* a *cap. 10 - - 17* confirmari poteſt, non defuit, quanquam pervetus ætas tantam ingeniorum copiam non effundebat, qualem inſecuta, nec Annalium conditores ſucco illo orationis & ſanguine incorrupto delectabantur; hiſtoria tamen Pontificum nec muta unquam, nec infans, fuit, ſed res commemoratione digniſſimæ nudo ſaltem, naturali, non fucato, ſimplicique, dictionis nitore ab initio rerum Latinarum literis monumentisque mandari cœptæ ſunt. Ceterum argumentationis tuæ vim plane evertunt duo veterum Auctorum loca. Alterum *Cenſorinus de Die natali* ſuppeditat, alterum *Macrobio* debemus. Ille *cap. 21 pag. 3* ed. *Haverk.* de *Varrone* talia perhibet, *tempus*, inquiens, *omne diſpeſcuit in tempus ἄδηλον ab origine humani generis ad Cataclysmum priorem, ſecundum μυθικὸν a Cataclysmo primo ad Olympiadem primam, tertium ἱστορικὸν a prima Olympiade ad ſuam ætatem.* Hic *Lib. I Saturnal. cap. 8*, *illud non omiſerim*,

ait,

ait, Tritonas cum buccinis faſtigio Saturni ædis ſuperpoſitos: quoniam ab eius commemoratione ad noſtram ætatem hiſtoria eluta, & quaſi vocalis eſt: ante vero muta, & obſcura, & incognita, quod teſtantur caudæ Tritonum humi merſæ & abſconditæ. Cum igitur *Varro* (quis enim hoc cauſæ noſtræ iudex melior, quis antiquitatis ſubtilior æſtimator? cuius auctoritas pro ratione mihi ſufficit,) id ſolum tempus μυθικὸν vocet, quod primam Græcorum Olympiadem anteceſſit; Roma vero circa VI ant VII Olympiadem condita ſit: efficitur ſane, ut doctiſſimi Romanorum ſcriptores; urbis ſuæ origines, proximaque originibus, monumentorum luce deſtituta fuiſſe, ſerio negaverint. Accedit ſigni publici auctoritas, quod indicio eſt, Romanos, iam regnante *Tarquinio Priſco*, utpote qui Saturni ædem, teſte *Varrone*, locaverat, fidelem aliquam memoriæ cum ſuæ, tum exterarum gentium cuſtodiam agnoviſſe.

Ad *pag.* 4: *de la groſſiereté & de l' ignorance de ce peuple).* Secundum *Dionyſium*, & alios Scriptores, temere & falſo hæc dicuntur, prope ad illorum conſuetudinem, qui cruda antiquioris hiſtoriæ ſtudia per *Struvianum*, aut aliud huius farinæ, Compendium præcipitarunt. Putasne, hos barbaros fuiſſe, qui διδασκαλεῖα τῶν παίδων, teſte *Dionyſio Lib. XI pag.* 709, & *Livio Lib. III cap.* 44, habebant, qui iam diu ante ab Etruſcis φιλοτέχνοις y) literas Græcas, ſcribendi rationem,

y) Vid. *Diodorum Sic. Lib. V pag.* 316 *Bibl. Hiſt.* edit. *Rhod.*: ὧν τὰ πλεῖστα Ῥωμαῖοι μιμησάμενοι καὶ πρὸ

rationem, philoſophiam, ſiderum ſcientiam, ſacrorum diſciplinam; præterea artes quascunque liberales, velut architectonicam, ſtatuariam, cælaturam, ſcalpturam, picturam, veſtiumque & ludorum apparationem, aliaque id genus plura, didicerant [z]? De vetuſtiſſimorum Romanorum literis teſtatur claſſicus *Ciceronis* locus, quem *Auguſtinus* nobis *Lib. XXII cap. 6 de Civit. Dei* ex ipſius *de Republica* libris accurate deſcripſit. *Magis eſt*, inquit, *in Romulo admirandum, quod ceteri, qui Dii ex hominibus facti eſſe dicuntur, minus eruditis hominum ſeculis fuerunt,*

τὸ κάλλιστον αὐξήσαντες, . . . γράμματά τε καὶ φυσιολογίας ἐξεπόνησαν ἐπὶ πλεῖστον. *Volumnius*, teſte *Varrone*, Tuſcas tragœdias ſcripſit, quem ante devictam a Romanis Etruriam vixiſſe, probat *Demſterus* in *Etrur. Regal. Lib. III cap. 35 pag. 326 ſeq.* Vide plura de Tuſcis artibus in *Originibus Etruſcis & Latinis* ill. *Scip. Maffei*, quas Clar. *Lotterus* olim Latinitate donavit, *pag. 15* & *19*, (*Lipſ. 1731, 4*). Ne quid nunc dicam de *Tabula Eugubina*, præcipuo eruditionis Pelasgicæ, ſeu Etruſcæ, monumento. *Tyrrhenos* Græcorum colonos fuiſſe, *Cumberlandus* probat in *Origin. gentium antiquiſſ. Lond. 1724, 8, pag. 315*, per quos deinde Græcorum doctrinæ cum longe lateque fluerent, in Romanorum civitatem permanaverunt.

z) Argumento loci *Liviani Lib. IX cap. 36*: *Habeo auctores vulgo tum Romanos pueros, ſicut nunc Græcis, ita Etruſcis, literis erudiri ſolitos.* Et quidni Etruſcorum literæ Romanis placerent, quibus ludorum ſacrorumque cerimonias & alia multa ab hoc populo petere (vid. *Livium Lib. I cap. 8*) volupe erat.

runt, ut fingendi proclivior eſſet ratio, cum imperiti facile ad credendum impellerentur. Romuli autem ætatem minus bis ſexcentis annis iam inveteratis literis atque doctrinis, omnique illo antiquo ex inculta hominum vita errore ſublato, fuiſſe cernimus. Ex quo ambiguum non eſt, *Romuli* ætatem non modo non barbaram, ſed excultam & eruditam, fuiſſe. Alias ſine cauſa *Cicero* miratus eſſet, quare docta iam antiquitas eam de divinitate *Romuli* fabulam receperit. Si porro antiquiſſimos Romanos pro *ſimplicibus*, qui facile credunt, ea de cauſa habere velis, quod *Cicero Lib. IX ad Att. Ep. 15 pag. 93 Tom. II* ed. *Grav. vide*, inquit, *quam ſim antiquorum hominum*, & quod Græci homines ſimplicis ingenii & minime callidi ἀρχαίυς, ſeu παλαιὺς, vocant, næ multo ineptius facias. Id enim proverbium antiquitati magis laudi, quam probro, eſſe poteſt. Vid. *Hotomanum* ad *Ciceronis orat.* pro *Roſc. cap. 10, Tom. I Part. I pag. 132 Grav.* & *Phil. Iac. Mauſſacum* in Notis ad *Harpocration. Lexic.* in Ἀρχαίως *pag. 76.* At enim vero *res omnes ſingulorum annorum literis mandabat Pontifex M.* eodem *Cicerone* teſte *de Orat Lib. II cap. 12.* Quod quomodo fieri ſine ſcribendi uſu & ingenio potuerit, non exputo. Unde, quæſo, verſus illi, quos Fauni vateſque canebant? ſecundum illud *Ennii Annal. Lib. I pag. 8* edit. *Heſſel.*:

- - - ſcripſere alii rem
Verſibu', quos olim Faunei vateſque canebant,
Quom neque Muſarum ſcopulos quisquam ſuperarat

nec

- *nec dicti ſtudioſus quisquam erat, ante hunc Nos auſi reſerare* &c.

Obiter monendum eſt, verſus hic *Saturnios* intelligi. (Conf. ad h. l. doct. *Hieronymi Columnæ Obſervationes.*) Unde, amabo, ius *Faunorum* & *Aboriginum*? cuius mentionem iniicit *Ictus* apud *Gellium* ἀναλφάβηλος *Noct. Attic. XVI*, 10? Unde Salaria *Numæ* Carmina? Unde leges regiæ? Unde γϱαμμαΐεῖα *Servii Tullii*? de quibus *Dionyſius Lib. IV pag.* 221. Unde πάτϱιοι ᾠδαί; *Dionyſ. Lib. II pag.* 102. Unde μαθήμαΐα, ἐπιΐηδεύμαΐα, & γυμνάσια, quibus privavit Cumanos adoleſcentes *Tarquinius Superbus*? *Dionyſ. Lib. VII pag.* 424. Unde leges, quas *Romulus*, urbis parens, ςήλαις ἐνεχάϱαξε *Dionyſ. Lib. II pag.* 118. Unde *Menenii Agrippæ*, viri ſuo tempore facundi, (*Liv. Lib. II cap.* 32,) oratio ad plebem in ſeceſſu de concordia? Unde Capitolii moles, de qua *Tacitus Lib. III Hiſtor. cap.* 72, *Pulſis*, inquit, *regibus*, *Horatius Pulvillus iterum Conſul dedicavit, ea magnificentia, quam immenſæ poſtea populi Romani opes ornarent potius, quam augerent.* Unde Lex XII Tabularum? Unde *Quiritium foſſa, haud parvum munimentum a planioribus aditus locis, Anci regis opus?* (*Liv. I*, 33,) Unde *Tarquinii* cloacæ? *operis*, teſte *Plinio Lib. XXXVI. cap.* 15, *miraculum, cui vix nova Romanorum magnificentia quidquam adæquare potuit*, auctore *Livio Lib. I cap.* 56. Unde tot operum doctæ manus, (vid. *Iuſt. Rycqu. de Capitolio cap.* 10 *pag.* 85 *ſeq.*) ſi, literarum culturæ, artium intelligentiæ, eruditisque temporibus, talia tribuere,

fas

ſas non eſt? Alia enim ratio locum non habet, ſi hanc negas. Cenſesne, *Numam*, Regem divinarum humanarumque rerum peritiſſimum, (πειρατὸν τὴν γνώμην ἄνδρα *Dionyſ. Lib. II pag. 94,*) ad lunæ curſum in duodecim menſes annum deſcribere potuiſſe, niſi literis Græcis Etruſcisque animum innutritum, ad ſiderum converſiones notandas appuliſſet? *Plutarchus* in *Numa pag. 71:* ἥψατο δὲ καὶ τὰς περὶ τὸν οὐρανὸν πραγματείας, οὔτε ἀκριβῶς, οὔτε παντάπασιν ἀθεωρήτως, &c. qua ratione *Numa* Pontifici M. *ſacra omnia exſcripta exſignataque attribuere potuit, quibus hoſtiis, quibus diebus, ad quæ templa, ſacra fieri deberent*, (*Liv. Lib. I cap. 20,*) ſi aut nullus iſtis temporibus, aut rarus, literarum uſus Romæ fuit? Quomodo *Livium Andronicum, Attium, Nævium, Ennium*, ad eloquentiæ gravitatem quandam unctioremque dicendi conſuetudinem pervenire potuiſſe exiſtimas, quorum ut neutri literarum, ingenii, ſapientiæque, laudem ipſe *Cicero* denegavit, ſic *Ennio* libenter primas detuliſſe videtur, niſi diu Græcis artibus & doctrinis ſtuduiſſent Romani. *Nihil* eſt *enim ſimul & inventum & perfectum*, ut *Cicero* ſcribit in *Bruto cap. 18.* Ornatos autem poetas, egregie ſubtiles, probos, & elegantes, fuiſſe, neque via ſolum & arte, ſed accurate quoque, ſcripſiſſe, ex eo intelligitur, quod *Cicero* (at quantus dicendi ſcribendique magiſter!) illorum ſententias ſæpiſſime excitavit, eorumque ubertatem & copiam laudavit, inprimis vero *Ennii* Bello Punico, tanquam Myronis opere, vehemen-

mente delectatus eſt (vid. *Brutum cap. 19*. Conf. quoque *Horatii Epiſt. Lib. II Ep. 1 v. 50*, qui alterum *Homerum* vocat,). Pertinet huc *M. Fab. Quinctiliani* locus *Lib. I cap. 8, pag. 96*, ed. *Burm.*: *Denique credamus ſummis oratoribus, qui veterum poemata, vel ad fidem cauſarum, vel ad ornamentum, aſſumunt. Nam praecipue quidem apud Ciceronem, frequenter tamen apud Aſinium etiam & ceteros, qui ſunt proximi, vidimus Ennii, Accii, Pacuvii, Lucilii, Terentii, Caecilii, & aliorum, inſeri verſus ſumma non eruditionis modo gratia, ſed etiam iucunditatis.* Si verum eſt præterea, quod *Turnebus* ad *Quintiliani Lib. I cap. 10, pag. 107* ed. *Burm.* obſervat, *nomine muſices*, inquiens, *Graeci complectebantur omnem doctrinam, diſciplinam, elegantiam, & apud eos dicitur ἄμυσος, qui inelegans eſt & indoctus*; rectiſſime omnino *Fabius* de priſcis Romanis, *veterum*, inquit, *quoque Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit. Verſus quoque Saliorum habent carmen. Quae cum omnia ſint a Numa Rege inſtituta, faciant manifeſtum, ne illis quidem, qui rudes & bellicoſi videntur, curam muſices, quantum illa recipiebat aetas, defuiſſe.* Conf. *Ciceronem* de *Orat. Lib. III cap. 51*, ubi Numa rex doctiſſimus vocatur. *Illud* autem *non eruditorum modo temporum argumentum eſt*, *Cicerone* iudice *Tuſc. Quaeſt. Lib. IV cap. 2*; ſed indicat quoque, bonarum artium & ſapientiæ ſtudium Romanis pervetus fuiſſe. Cuius rei veſtigia quanquam plura colligi poſſunt, paucis tamen utemur. Collegiis verbi

cauſa tibicinum, artificum, fabrorum ærariorum, omnisque generis architectorum, quæ *Numa* inſtituit, *Plutarcho* teſte in *Numa pag.* 71, item *Plinio H. N. Lib. XXXIV cap.* 1 (quæ loca debemus *Pigbio* in *Annalibus pag.* 32). Ex *Suida* (ſub voce Ἀσσάρια) notum eſt, *Numam* iam cudiſſe numos, cui aſſentit *Plinius Lib. XXXV cap.* 15, *æris ſignandi*, inquiens, *antiquitatem urbi æqualem eſſe* (vid. ad h. l. *Herm. Ulric. a Lingen Schediaſma de origine & inventoribus pecuniæ & numiſmatum cap.* 6 §. 5). Mitto dicere de ſtatuaria, plaſtice, picturaque, quæ artes ſane literarum & doctrinæ ſtudia ſuo iure poſcere videntur. De *ſtatuaria Plinius Lib. XXXIV cap.* 7, *Fuiſſe*, inquit, *ſtatuariam artem familiarem Italiæ quoque & vetuſtam, indicant Hercules ab Evandro ſacratus, ut ferunt, in foro boario - - - præterea Ianus geminus a Numa Rege dicatus - - - digitis ita figuratis, ut trecentorum ſexaginta quinque dierum nota per ſignificationem anni temporis & ævi ſe Deum indicaret. Signa quoque Thuſcanica per terras diſperſa, quæ in Etruria factitata, non eſt dubium.* De *Iano*, anni indice, vid. Cel. *Iul. Pontederæ Antiquitatum Latinarum Græcarumque Enarrationes Epiſt. XXXIV pag.* 314, cuius ſententiam alio loco utcunque expendimus, quanquam, ne quid diſſimulare videamur, hæ digitorum imagines difficulter hodie reſtitui poſſunt. Nobis enim in mentem venit recordari eorum, quæ *Thom. Demſterus* in eruditiſſimo opere ſuo *de Etruria Regali Tom. I Lib. I cap.* 16 *pag.* 67 - 69

diſputavit. Conf. de modo numerandi apud veteres per digitos *Taubmannum* ad *Plauti Epid. I, 1, 50, pag. 411*, & *Lambinum* ad *Plauti Mil. glor. II, 11, 48.* *Picturam* quoque priſcis Italiæ incolis non incognitam fuiſſe, auctor eſt *Plinius Lib. XXXV cap. 3* & 4, idque nummorum Conſularium typi facile nobis perſuadent, ubi frequentes ſunt *Romuli*, *Numæ*, *Bruti*, & aliorum, imagines; nulla profecto ope, niſi picturæ vel plaſtices beneficio, poſteris traditæ. Idem *Plinius*, *Demaratum*, tradit *Lib. XXXV cap. 12*, *ex urbe Corintho profugum, qui in Etruria Tarquinium Priſcum, regem populi Romani genuit, comitatos fictores Euchira & Eugrammum: ab iisque Italiæ traditam plaſticen*; & paulo poſt: *præterea elaboratam hanc artem Italiæ & maxime Etruriæ: Turianumque a Fregellis accitum, cui locaret Tarquinius Priſcus effigiem Iovis in Capitolio dicandam.* Memoratu præterea dignum eſt, quod *Plinius* in eodem libro ſcribit *cap. 10: Decet non ſileri & Ardeatis templi pictorem, præſertim civitate donatum. Ibi & carmine, quod eſt in ipſa pictura bis verſibus:*

Dignis digna loca picturis condecoravit,
Reginæ Iunonis ſupremæ coniugis templum,
Marcus Ludius Elotas Ætolia oriundus,
Quem nunc & poſt ſemper ob artem hanc Ardea laudat.

Ea ſunt ſcripta antiquis literis Latinis. &c. Quæ cum ita ſint, nulli dubitamus, quin verum ſit *Dionyſii* in argumento ſimili iudicium. Etenim ex monumento ille, literis Græcis inſcripto,

pto, & ſuperſtite tum, rationem ſubtiliter concludit hoc pacto: ὃ καὶ αὐτὸ ποιήσαιτ' ἄν τις οὐ μικρὸν τεκμήριον τοῦ μὴ βαρβάρους εἶναι τοὺς οἰκίσαντας τὴν Ῥώμην· οὐ γὰρ ἂν ἑλληνικοῖς ἐχρῶντο γράμμασιν, ὄντες βάρβαροι. *Antiquit. Rom. Lib. IV pag. 230.* Adde *Lib. VII pag. 478 ſeq.*

Ad *pag. 5: L'Imprimerie a renda les livres infiniment plus communs.*) Cave, hoc ita crude accipias. Poteſt enim in diſceptationem vocari, utrum Chalcographiæ feſtinatio librorum pretia temperaverit, quæ ſcribendi olim ſtudia accendere videbantur, arteque illa cum priſci mortales caruerint, an librorum illos ſalubri fœcunditate ſuperemus. Nam, ſi quis, quæ de ſuorum librorum pretio *Martialis Epigr. Lib. I, CXVIII, 17*, item *Lib. XIII Epigr. 3*, (quæ loca Cl. *Schœtgenio* debemus in *Diſſ. de Librariis & Bibliopolis antiquorum.* Conf. *Io. Nic. Funccii de Scriptura veteri Comment. Marp. & Rintelii, 1743, 8, cap. 7, de Librariis* a *pag. 233*,) item *Gellius Noct. Attic. Lib. IX cap. 4*, *libros*, inquiens, *plurimos ære pauco emo*, tradiderunt, cogitet, haud dubie ſententiæ incertus hærebit. Præterea, ſi quis Athenienſem, Pergamenam Bibliothecam, Romanas deinde plurimas, aut ingentem librorum numerum in Aegypto a *Ptolemæis* regibus, vel conquiſitum, vel confectum, ad millia ferme voluminum ſeptingenta, conſideret, (vid. *Gellium* in *Noct. Att. Lib. VI cap. 17*, quem ſplendidiſſimum poſt hominum memoriam Muſei apparatum perverſa interpretatione voluminum eludere opus non eſt. Non enim computarunt antiqui volumina, quæ quis ingenio

genio menſus erat, ſed quæ talia reapſe erant, argumento *l. 52 ff. de Legat. & Fideicom.*) in nonnullam dubitationem adducetur, utrum incredibili hodie formarum in exſcribendis multiplicandisque ſingulorum librorum exemplis celeritati priſca ſcribendi ambitio cedere debeat, an tarditatis cuiusdam, quæ forte ad hominum noſtrorum opinionem ſpecioſior eſt, ea iure damnetur. Ac mihi quidem, ad eam cogitationem incumbenti, redit in memoriam id, de quo ſæpe mecum cogitavi. Scilicet, hanc ſolam Chalcographiæ artem vim habere, equidem credo, non ut plura librorum genera, ſed ut multa eiusdem libri ἀρχέτυπα proferri poſſint, cum contra apud veteres unicum exſtaret αὐτόγραφον, reliqua omnia eſſent ἀπόγραφα. Inde tamen nullam hiſtoria iacturam fecit, multo minus rerum memoria vivere, & ad poſteros propagari, deſiit, ſed felix illa & ſalubris forte exemplorum paucitas diligentiam ſcriptorum acuit, eoque adegit veteres, ut quærerent, ubi diu conſiſterent, ubi habitarent, ubi morarentur.

Ad *pag. 5: nous avons outre cela le ſecours de la Critique.*) En cor Zenodoti, en iecur Cratetis! Veteribus Grammatices laudem eripere, cuius demum hoc frontis eſt? Quis ignorat, omnem illius diſciplinam a *Crate Mallote*, *Ariſtarcho*, & *Sexto Empirico*, tam ſubtiliter deſcriptam eſſe, ut illius initiis omnis iudicandi vis & ſagacitas ſuſtentetur. Non enim Grammatica illa de vi tantum & poteſtate verborum docuit, ſed tanquam omnium librorum fidelis cuſtos, inter-

terpres, & emendatrix, quid genuinum in monumentis, quid ſpurium, quid rectum, prauumque, eſſet, definiuit. Hanc Græci Romanique tanto melius ſcivere, quanto ſolertius in excolendas omnis humanitatis artes incubuerunt. Legas mihi, quæſo, e Græcis *Luciani* diſputationem πῶς δεῖ ἱςορίαν συγγράφειν, (Opp. eius *Tom. I pag. 600* ed. *Græv.*) *Plutarchum*, περὶ τῆς Ἡροδότου κακοηθείας, & *Dionyſii* ἐξέτασιν τῶν ἀρχαίων, & περὶ τοῦ Θουκυδίδου χαρακτῆρος, καὶ τῶν λοιπῶν τοῦ συγγραφέως ἰδιωμάτων, in Operibus eius Rhetoricis & Criticis; (plura veterum Gramaticorum nomina diſce ex *Henr. Valeſii de Critica* opere affecto, quod cum eiusdem emendationibus evulgavit *Petr. Burmannus*, magni *Burmanni* ex fratre nepos, nunc Amſtelædamenſis Gymnaſii Profeſſor celeberrimus, Amſtelæd. 1740, 4, *pag. 144.* Conf. *Henr. Stephani Diſſ. de Criticis veteribus, Pariſ. 1587, 4.*) intelliges profecto, evolutas non tantum de hiſtoria ſcribenda explicatasque præceptiones ratione quadam conſtrinxiſſe veteres, artificioſeque digeſtas facultatè dicendi quadam, non ieiuna illa & elumbi noſtrorum hominum, ſed adſperſa atque diſtincta multarum rerum iucunda varietate, expoſuiſſe, ſed illos quoque homines, ingenio uſuque callidos, argutiſſime & ſagaciter perveſtigaſſe, utrum ſcriptor concinnus, an ineptus, utrum exornator rerum, an narrator tantummodo, fuerit, denique utrum a ſpe, metu, partibus reipublicæ, animum liberum habuerit, an gratiæ, vel ſimultatis, ſuſpicionem præbuerit.

Dolemus propterea, librum *Plutarchi*, πῶς κρινοῦμεν τὴν ἀληθῆ ἱστορίαν, quem *Lamprias* in Catalogo ſcriptorum *Plutarchi* memorat, (vid. *Fabricii Bibl. Græc. Lib. IV cap. 11 pag. 339.*) & *Caſtoris Rhodii*, qui χρονογράφου nomen adeptus eſt, χρονικὰ ἀγνοήματα, (de quibus *Ionſius* in libro *de Scriptoribus hiſt. philoſ. Lib. II cap. 15 pag. 229 ſeq.*) intercidiſſe, e quibus certe luculentiora criticæ facultatis ſpecimina non incommode requiri potuiſſent. Verum quid multa? Totam hiſtoriæ artem *Dionyſius Halicarnaſſius* paucis verbis egregie comprehendit, quæ multis noſtrorum hominum de eodem loco commentariis antepono, quoniam id hodie ſæpiſſime docemus ceteros, quod ipſi experti non ſumus. In *Dionyſio* contra ſcribendi profeſſio, ad eximiam doctrinæ conformationem accedens, præclarum quid exiſtere facit. Audiamus idoneum huius rei iudicem, qui *Ciceronis* ſententiam de *Orat. Lib. II cap. 15* Græcis literis ornaſſe videtur, *Lib. V pag. 321.* τοῖς ἀναγινώσκουσι, inquiens, τὰς ἱστορίας οὐχ ἱκανὸν εἰς ὀφέλειαν, τὸ τέλος αὐτὸ τῶν πραχθέντων ἀκοῦσαι. Ἀπαιτεῖ δὲ τῆς πράξεως, καὶ τὰς διανοίας τῶν πραξάντων &c. usque ad verba πρὸς τὰ συμβαίνοντα χρῆσθαι. Conf. eund. *Lib. V pag. 321 ſeq.* & *Lib. VII pag. 418, 474 ſeq. 478.* Poteratne igitur tali homini fabularum error & caligo offundi, qui, communium literarum & Philoſophiæ ſubſidiis inſtructiſſimus, τοῖς περὶ τὴν φιλόσοφον ἐσπουδακόσι θεωρίαν, (Ἀρχαιολ. *pag. 7*). ſatisfacere ſtuduit. In Latinis idem cernimus,

qui

qui acceptas a Græcis ingenuas artes meliores fecerunt, dignasque iudicarunt, in quibus vehementer elaborarent. *Varronem*, *Ciceronem*, *Plinium Maiorem*, *Iul. Solinum*, *Quintilianum*, *Gellium*, *Macrobium*, nominare, ad laudem Romanorum ſatis eſt, quibus omnibus par pæne acuminis laus in diſſimili ſcribendi genere tribuitur. Adſpice iam eos homines, quis eorum non egregius politioris literaturæ iudex? Ecce duo æquales, *Varro* & *Cicero*, quid habet noſtra ætas, quod, non dicam cum ſententiis & verbis, ſed cum recondita illorum ſapientia, & limatiſſimo de rebus & omni memoria iudicio, comparandum putemus? *Plinius* quanta ſapientia, quanta in ſuis ſtudiis varietate & copia, non fuit? Literis enim, quas profitentur ii, qui Grammatici vocantur, penitus ſe dedidit, ut omnem illarum artium pæne infinitam vim, & materiam ſcientiæ cogitatione comprehenderet. *Solinus* non una aliqua in re ſeparatim elaboravit, ſed omnia, quæcunque potuit, vel ſcientiæ perveſtigatione, vel ingenii magnitudine, conſecutus eſt. Quis ignorat, *Fabii* Inſtitutiones oratorias omnium magiſtrorum de arte critica præceptiones ſuperare? Ac, ne quis forte, anguſtis ieiunisque de verbo controverſiis Grammaticam illigari, exiſtimet, convertat animum ad *Gellium*, *Macrobium*, & alios, circumſpiciatque, quanta in obſcuritate rerum, & quam multiplici in arte, ſubtili, & ab imperitorum intelligentia ſenſuque disiuncta, illi verſentur, ſic facillime, quam immenſam re-

rum plurimarum, hoc eſt, omnis antiquitatis, memoriæ, rituum, legum, ſermonis, & humanitatis, cognitionem pollicita ſit, & ſuſceperit veterum Grammaticorum profeſſio, iudicabit. Tua igitur criminatio, qua veteribus, neſcio quam, iudicandi ſecuritatem, vel par huic vitium, credulitatem, maligne tribuis, æque minus nocet, quam fulgur e pelvi; præſertim cum paulo poſt (*pag. 158*) tuis forſitan ingratiis confiteare: *Les hiſtoriens, qui ont vécu dans des ſiécles plus polis & ou l' on n' ignoroit aucune des régles de l' hiſtoire.* Vide, quam tua ipſe vineta cædas. Fac enim, ſequentium temporum Scriptores legem hiſtoriæ nullam ignoraſſe, quæ poſtulavit, ne quid falſi dicere auderent, deinde ne quid veri non auderent; ſequitur profecto, ut, ſi priſcam gentis ſuæ memoriam poeticis magis decoram fabulis iudicaſſent illi, incorruptis eam hiſtoriarum monumentis tradere non ſtatuiſſent. Atqui vero, cum ad hiſtoriam ſcribendam *Varro, Cicero, Livius, Dionyſius*, ingenii aciem iudicandique vim attulerint, qui poterant hi omnes ſecundum *Fabium Pictorem* vel auctoritate, vel errore communis famæ, vel lectionis & enotandi feſtinatione, decipi, vel nimia ad credendum proclivitate ſua, univerſo generi humano illudere? Novimus, *Ciceronem* in orationibus & libris philoſophicis ad maiorum ſuorum inſtituta, civitatis rem militarem, publicam, & domeſticam, immo virtutes in omni genere excellentes, tam frequenter provocaſſe, ut, ſi qua veteris

Roma-

Romanorum diſciplinæ memoria perierit, ex ſolo forſitan *Cicerone*, meo quidem iudicio, reſtitui poſſet. Quam vim, quæſo, talia antiquitatis exempla apud idoneos rerum arbitros habitura eſſe putas, ſi veri præſidiis tam orba, ut deſpicerentur publice, aut in conſcientia univerſæ gentis ſita, non fuiſſent. Eodem pacto *Catonis*, graviſſimi Auctoris, oratio a *Livio* inducta *Lib. XXXIV cap. 5*, quam puerilis & mendax foret, ni verbi cauſa: *Iam a principio, regnante Romulo, cum, Capitolio a Sabinis capto, medio in foro, ſignis collatis, dimicaretur, intercurſu matronarum inter acies duas prælium ſedatum eſſe*, S. P. Q. Romanus approbaſſet? Par ratio in ceteris eius generis exemplis concludi poteſt, quæ omnia hoc loco excitare, hominis eſſet intemperanter abutentis & otio & literis. Id manet, quando eruditiſſimi illorum temporum homines maiores ſuos errorum coarguere auſi non ſunt, iisdem contradicere hodie, niſi gnaviter impudentem, poſſe neminem. Verum is eſt imperitiæ fructus, ſua probare, vetuſtis præſentia longe præferre, & ἀξιόπιστα incerta facere, quorum advocationem tot principes olim in ſua arte viri, tanquam appoſiti nobis iuratores, præbuerunt.

Ad *eand. pag.*: *L' habitation d' un peuple groſſier & ignorant, qui ne vivoit, que de brigandage.*) Eorum certe perſona digna vox, qui, ſine ratione, conſilio, & artibus, rempublicam gubernari poſſe, ſomniant. Audi contra *Tullium*, qui de moribus inſtitutisque maiorum ſuorum

longe accuratius dixit *Lib. IV. Tuſcul. cap.* 1: *Cum a primo urbis ortu regiis inſtitutis, partim etiam legibus, auſpicia, caerimoniæ, comitia, provocationes, patrum conſilium, equitum peditumque deſcriptio, tota res militaris, divinitus eſſet conſtituta; tum progreſſio admirabilis, incredibilisque curſus, ad omnem excellentiam factus eſt, dominatu regio republica liberata.* Quid enim? Tune, pulcherrimam illam urbem domibus & tectis & congeſtu lapidum ſtetiſſe, credis? Muta iſta & inanima intercidere, & reparari, promiſcua ſunt. Sed æternitas rerum & ſalus reipublicæ cohærere nullo modo, niſi ſenſu moderante, & magiſtratuum providentia, poteſt. Quare conſcriptis rei literariæ patribus ſemper viſum eſt, ſtudia doctrinæ apud Romanos non tam ſero, ut turba eruditorum forenſis putat, expetita, ſed diu iam conſervata & culta, fuiſſe. Idque cum coniectura probabile eſt, tum quibusdam etiam veſtigiis indicatur. Qui enim accidere potuit, ut civitatis temperatio & diſciplina a Regibus præclare conſtituta iis etiam temporibus, cum civium ſtudia fervetent, cum Imperatorum vis, everſa libertate, ſumma imis miſceret, Romanos utcunque, velut corpus partes ſuas nutricaretur, & contineret, (vid. *Dionyſium Lib. II pag.* 94: διεφύλαξαν εὐδαιμονοῦσαν τὴν πόλιν ἐπὶ πολλὰς γενεάς,) ſi hæc reipublicæ forma a viris rerum & ſapientiæ uſu ſubactis condita, bellique artibus, agricolatione, & fœnore, tribus rerum publicarum fulcris & tibicinibus, ſuſten-

ſtentata non fuit? Non ergo convenit, Romanorum urbem ita effectam cum adſpexeris, ut neque ad uſum melior, neque ad diuturnitatem ornatior, fingi potuerit, comminiſci, illius auctores tam ſervili indole, noſtrorum hodie paſtorum in morem, ita genitos, ita educatos fuiſſe, ut in ſtabulis & ad pecora haud ſegnes tantum venari, nec quidquam, niſi collecta latronum manu in homines, præda onuſtos impetum facere, & cædes perpetrare, didicerint. Quodſi exiſtimas, adminiſtrationem civitatis & moderationem, artibus ſublatis, fieri, aut Romam urbem concurſione hominum rudium agreſtiumve fortuita naſci, potuiſſe, barones nos ſtupemus, qui non intelligimus, *ſi innumerabiles unius & viginti formæ literarum, vel aureæ, vel qualeslibet, aliquo coniiciantur, poſſe ex his, in terram excuſſis, annales Ennii, ut deinceps legi poſſint, effici* (quæ eſt incomparabilis *Ciceronis* contra *Epicurum* argumentatio *de Nat. Deor. Lib. II cap. 37*). Quomodo cœtus, quæſo, ac celebrationes, illi ordinare, æmulas civitates ac tumentes populos ratione, conſilio, interdum ſacro duello, compeſcere, quomodo iniquitatibus privatorum hominum intervenire, quomodo ferocienti populo imperare, quomodo iura dare, & edicere, quæ e re publica videbantur, potuerunt, ſi animos eorum ad magna rerum initia, omnemque humanitatem, literæ non formarunt? Nam, quod *Livius Romulum* & *Remum* inter paſtorum gregem educatos memorat, id noſtrorum temporum conſuetudine iudicari non debet.

debet. Indicant talia ſimplicitatem illius ævi, non ruditatem. Currere, venari, de paſcuis inter ſe pugnare, ludos, luctam, prædam, velut belli præludia, iuvenes exercere, laudi ducebatur. Hinc eiuſmodi exercitationes corporis *διατριβαῖς καὶ διαίτοις ἐλευθερίαις* annumerat *Plutarchus* in *Romulo pag.* 20, qua re corporibus animisque robur ſumſerunt. Verum noli doctrinatum ignorationem illis exprobrare. Mehercle, ſi me audis, non experiare. Non decet, non datur, non potes. Adſunt teſtes, qui verba nobis dare non videntur. Princeps eſto *Dionyſius Halic. Antiqu. Rom. Lib. I pag.* 71: Ἡνίκα δὲ τῆς ἐν τῷ γάλακτι τροφῆς ἀπηλλάγη τὰ παιδία, δοθεῖναι πρὸς τῶν τρεφόντων εἰς Γαβίους, πόλιν οὐ μακρὰν ἀπὸ τοῦ παλαντίου κειμένην, ὡς ἑλλάδα παιδείαν ἐκμάθοιεν. κἀκεῖ παρ' ἀνδράσιν ἰδιοξένοις τοῦ Φαυςύλου τραφῆναι, γράμματα καὶ μουσικὴν, καὶ χρῆσιν ὅπλων ἑλληνικὴν ἐκδιδασκομένους μέχρις ἥβης. Alter *Plutarchus* in *Romulo pag.* 20 ed. *Ruald.*: Καὶ γράμματα λέγονται, καὶ τ' ἄλλα μανθάνειν οἱ παῖδες εἰς Γαβίους κομισθέντες, ὅσα χρὴ τοὺς εὖ γεγονότας. Cui ſuffragatur *Sext. Aurel. Victor* in *Orig. gent. Rom. cap.* 21 *pag.* 41 *ed. Arntz.* Sumis ergo res non conceſſas; unde fit, ut cetera tua dicta ſummæ levitatis plena ſint.

Ad *pag.* 6: *Il n' y a aucun vuide, aucune année qui ne ſoit marqué.*) At frequentes ſunt apud *Livium* hæ formulæ: *Domi hoc anno foriſque pax fuit: hoc anno præter Conſulum nomina nihil in annalibus invenio*: item *domi foriſque otium fuit.*

Lib. III,

Lib. III cap. 31, Lib. IV cap. 7, 12, quietus annus, quietior inſequens Lib. III 32: nihil dignum dictu actum his conſulibus, Lib. IV, 30. Ad A. U. C. 338 nihil *Livius* præter tribunos militum conſulari poteſtate commemorat *Lib. IV. cap. 47. Solitudo magiſtratuum per quinquennium urbem tenuit Lib. VI cap. 35. Et hoc & inſequenti anno C. Sulpicio Patico C. Licinio Stolone Coſſ. peſtilentia fuit. Eo nibil dignum memoria actum. Lib. VII cap. 2.* Inde mirum non eſt, quare *Livius* ex *Annalibus* & *Hiſtoria* conſtet. Cum enim ad ſuorum temporum memoriam propius accederet, vix ſingulos annos ſingulis libris explicuit, contra priori Decade Hiſtoriæ Romanæ annos CCCCLX, complexus eſt. Ex quo patet, *Livium* in rebus nimium vetuſtis maxima ingenuitate Pontificum M. brevitatem conſectari, qui ſine ullis ornamentis monumenta ſolum temporum, hominum, locorum, reliquerant, neque plus nobis dare voluiſſe, quam ab illis rerum narratoribus tantum, non exornatoribus, acceperat.

Ad *pag. 10: d' avouer que c' étoit d' eux.*) Calumniaris promtam ſcriptorum in re præſenti confeſſionem. Non enim, neglecto aliorum populi Romani monumentorum apparatu, ad ſolos quorundam Auctorum annales, tanquam ſcopulos, adhæſerunt (quem errorem tibi forte Latina *Dionyſii* verſio, vim Græcorum verborum *pag. 6*, parum aſſecuta, fecit). Sed pervetuſtos rerum Latinarum Auctores, *Fabium*, *Catonem*, *Varronem*, *Calp. Piſonem*, *Fannium*, *Q. Ael. Tuberonem*, ita ſecuti ſunt illi, quemadmodum

nos

nos (ſit venia huic ſimilitudini) in hiſtoria patria *Annales Fuldenſes*, *Bertinianos*, *Metenſes*, *Hincmarum*, *Videchindum*, *Luitprandum*, *Ditmarum*, *Lambertum Schafnaburgenſem*, *Sigebertum Gemblacenſem*, *Ottonem Friſingenſem*, & alios, non raro ſequimur. Summa rerum capita & fundamenta hiſtoriæ præſtant ſcilicet eius generis libri. Ceterum ad ipſos fontes omnibus patet aditus. Hinc ſuo quisque olim utebatur iudicio, ſeu memoria lapſum, ſeu alio errore correptum Scriptorem, ætate ſe antecedentem, intelligebat. Exempla videſis apud *Dionyſium* & *Livium*, quorum prior, modo neglectis aliorum, inprimis *Catonis*, ſententiis, *Vennonium* ſequitur, *Lib. IV pag.* 220, modo *Gellium*, *Lib. II pag.* 100, modo *Piſonem*, *Lib. II pag.* 107, ceteris antefert, modo *Gellium* & *Licinium* notat, *Lib. VI pag.* 349, & *Lib. VII pag.* 417, modo omnes ante ſe ſcriptores arguit, *Lib. I pag.* 70, & *Lib. IV pag.* 211, modo *Fabium* laudat, *Lib. VII pag.* 475, modo eundem reprehendit, *Lib. IV pag.* 234 & 261, immo quoniam, *Fabius* & *Cincius* res antiquas breviter (κεφαλαιωδῶς) narraverunt, antiquitatis memoriam latius, &, ut alio loco dicit *Lib. I pag.* 75, evolutis Græcorum Romanorumque ſcriptis permultis, ἅμεν ὃν ἐμοὶ δύναμις ἐγένετο, σὺν πολλῇ φροντίδι ἀνευρεῖν, maiore cura καλὴν ἱστορίαν perſcribere animum induxit. Hinc multa ab illis prætermiſſa literis conſignavit (*Lib. I pag.* 6, πολλὰ τῶν ἐπ᾽ ἐμοῦ γραφομένων οὐχ εὑρηκότες). Alter *Tuberonem* ſæpiſſime, uti *Lib. IV Hiſtor. cap.* 23, & *Piſonem*, *Lib. IX cap.* 44, notat,

quem

quem uti *Licinio* prætulit *Lib. X cap. 9*, ſic alio loco poſt *Fabium* poſuit *Lib. I cap. 55.* Igitur, quo quis alio diligentior, vel aptior ad ſcribendum, vel rerum delectu ornatior, fuit, tanto magis ſuperiores vicit. Novos ſaltem ſcriptores annalium, monumentorum, commentariorum, ſub fide in rebus populi Romani certius aliquid afferre, aut ipſa ſcribendi arte & hiſtoriæ exædificatione, quæ poſita eſt in rebus & verbis, vetuſtatem ſuperare, oportuit. Alias duo præſtantes ingenio Scriptores, *Livius* & *Dionyſius*, ni pro virili parte rerum geſtarum memoriæ principis terrarum populi ſe conſulturos eſſe crediďiſſent, perſpicuum eſt, illius operæ pretium facturos non fuiſſe. Cum autem fama eorum in tanta Scriptorum turba, qui nobilitate & magnitudine ſua ceterorum nominibus officere poterant, non tantum non in obſcuro manſerit, ſed iſtorum contra Auctorum memoria libris deperditis ſenſim obſcurata ſit; haud dubitamus, quin legentium plerisque maiorum libri minus præbuerint voluptatis, feſtinantibus ad hos novos hiſtoriæ Romanæ conditores, qui, conſiliis ſapientiſſimorum hominum adiuti, (vid. *Dionyſ. Lib. I pag. 6: καὶ τὰ μὲν παρὰ τῶν λογιωτάτων ἀνδρῶν, οἷς ἐς ὁμιλίαν ἦλθον, διδαχῇ παραλαβών,*) ingenioque ſuo freti, quæ maxime in rerum geſtarum deſcriptione excellere debebant, ea diligentiſſime perſecuti ſunt. Acceſſit non ſpernenda publicorum monumentorum tum ſuperſtes copia, quibus excutiendis operam dediſſe Scriptores, ex eo non ſolum colligitur, quod talia identi-

dem

dem citant, ſed etiam quod vetuſtiorum non raro Auctorum ſententias ſub examen vocant, nec opinione ſolum, ſed ad veritatem, plane lectori rem expoſitam perſuadent. Quamobrem tua non eſt tam explorata ratio ad id, quod vis, confirmandum, quam videtur.

Cap. II pag. 14 ad verba: *c' eſt là avertir de bonne foi.*) Egregia ſane loci *Liviani* interpretatio! Etenim, quod Latinorum rebus geſtis ante conditam condendamque urbem tribuit *Livius*, id ad omnem Romanorum hiſtoriam tuo concludendi exemplo potes traducere? Recte *Nieupoortius* in *Prolegom.* ad *Hiſt. Roman.*: *Næ talpa cæcior ſit*, inquit, *qui non videt, hæc ad Rheam Sylviam, a Marte compreſſam, ad lupam, Romulo & Remo mammas præbentem, ſimiliaque τεϱαττολογέμενα, eſſe referenda.* Per conditam urbem intelligit *Io. Douiatius* ea tempora, quæ proxime eius exſtructionem anteceſſerunt, per condendam, quæ ante ipſum *Romulum* a Troicis usque temporibus acciderunt. Quid, ſi tecum perliberaliter agerem, & largirer tibi, hiſtoriam Albanorum, ſeriemque Regum illorum, ſuſpectam eſſe, qua in ſententia præiuit *Dodwellus Diſſ. X de Rom. Cyclis* a *pag.* 677, quoniam in illorum temporum memoriam forte cadit, quod de *Hercule Dionyſius* ſcribit *Lib. I pag. 30:* ἔςι δὲ τῶν ὑπὲϱ τȣ̃ δαίμονος τȣ̃ δὲ λεγομένων τὰ μὲν μυθικώτεϱα, τὰ δ' ἀληθέςεϱα: caluum tamen velleres. Etenim, ſi in rebus criticis ad aliquem locum communem deflectere orationem licet, maiori iure poſſumus verborum ſyl-

labas

labas contra te aucupari. Si enim *Livius* tantum quæ ante conditam condendamue urbem poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis, traduntur, ea nec affirmare, nec refellere, audet, quid ſequitur? ut ceterarum rerum fidem ſublatam eſſe velit? Papæ! Nihil dici poteſt inconſideratius. Concluſio ipſa loquitur, antiquitatis memoriam, inde ab urbis primordio repetitam, claſſicis poſſe teſtibus approbari. Verendum non eſt, ut hac obliqua forſitan *Livii* ratione verum turbemus.

Pag. 14 : *Caton lui même.*) Nusquam, *Catonis* Cenſuram Romanorum ad literas progreſſioni officiſſe, legi. Certe qui potuit vir humaniſſimus vera artium ſtudia odiſſe, quem magna vis ingenii, eloquentiæ, & iuris ſcientia, ſcriptis omnis generis ſacrata, ad ſummos honores provexerat (vid. *Livius Lib. XXXIX, cap.* 40, & *Quintilianus Lib. XII cap.* 11 *pag.* 1112 ed. *Burm.*) Sed, quoniam fuit homo invicti cupiditatibus animi, & rigidæ innocentiæ, contemtorque gratiæ & divitiarum, Philoſophos, Bacchanalia vivendo, *Curios* ſimulare, ægre ferebat. Proinde id efficere ſtuduit, ut Græcis verborum præſtigiis, & umbris ſententiarum inanibus, quibus tum iuveniles animi maximo reipublicæ damno tenebantur, velut nubes diſpelleret, & orationibus aliquot acerbis Sophiſtarum *κακοτεχνίας* puniret. Plures rationes vide apud *Plutarchum* in *Caton. Parallel. T. II pag.* 357 ed. *Bryan.* Adde *Cellarii Diſſert. XV, de Studiis Romanorum literariis in urbe & provinciis*, §. *VIII*, *pag.* 348 *ſeq.* Hoc ſenſu forte illa tempora nimis

rudia ſecundum *Gellium Noct. Att. XIV, 11,* dici poſſunt, quod Romani, *nondum Græca doctrina expoliti*, hoc eſt, blandis argutiarum philoſophicarum illecebris ad deſidiam ſcholaſticam & otium, propter ſummam rerum magnarum occupationem, nondum illecti, ampliſſimam omnium artium bene vivendi diſciplinam non tam politulis controverſiarum diſceptationibus & literis, quam vitæ & morum ſeveritate, proſequebantur. *Cetera* enim utique Romani *literis mandarunt, alii ius civile, alii orationes ſuas, alii monumenta maiorum.* (Vid. *Ciceronis Tuſc. quæſt. Lib. IV cap. 3 ſeq.*)

Ad *pag. 15: perſonne n' étoit capable de l' écrire.*) Ad hanc rationem, velut ſacram anchoram, denuo confugis. Quoniam parvæ & raræ per ea tempora literæ *Livio Lib. VI cap. 1* fuiſſe videntur, ergo Romani maiorum ſuorum memoriam literis publicis conſignatam non habuerunt? ergo literarum ſcientia caruit antiquitas? ergo ὑπομνήματα διὰ τῶν γραμμάτων, ut loquitur *Diodorus Siculus pag. 227*, apud illos non fuerunt? Quod, quæſo, hoc eſt συλλογιστικῆς ἀλογίας portentum! Diu enim ante urbem conditam *Evander* literas Italiæ intulit, (vid. *Sext. Aur. Victoris Orig. gent. Rom. cap. 6 pag. 12, ed. Arntz.* item *Dionyſii Antiq. Rom. Lib. I pag. 26,*) & poſt urbem conditam tot omnino præſto fuerunt monumenta elogiis & titulis, quanquam brevibus, ornata, (vid. *Rhenanum* & *Gebhardum* ad *l. c. Livii* in exemplo *Drakenborchiano Tom. II pag. 251,*) quæ omnia hic attingere non conor, ut abunde ſcriptoribus illa hiſtoriæ argumenta

ſuppe-

ſuppeditarent. Deinde Patavini hominis oratio non ἁπλῶς, ut aiunt, ſed κατά τι, valet, quemadmodum aliorum quoque Auctorum dicta eum in modum. Cum enim Poeſis a *Virgilio*, eloquentia a *Cicerone*, hiſtoria a *Varrone*, *Attico, Livio*, faſtigium acciperet, cum opera Græcorum pulcherrima, expugnatis Syracuſis, deleta Corintho, nec minus divitiæ abundantesque voluptates, Aſiæ & Aegypti Regibus ſub iugum miſſis, perfectiſſimam ſuper artibus æſtimationem Romæ inveherent, cum perducta in ſummum doctrinæ laus & honos eſſet, mirum non fuit, quare illud ſeculum, præ his circumfluentibus undique bonarum artium ingeniorumque copiis poſteritati rude videretur, quanquam dubito, ſi rem ſimpliciter, & ſine collatione, excuſſeris, rerum graviter gerendarum peritia, an eloquendi ſimplicitate, ſcriptorumque acumine, clarius putem. Quodſi forte *Ciceronis* & *Auguſteo* ævo hæc de ſe perſuaſionis venia datur, nobis tamen ſimilis fiducia concedi nullo modo poteſt, ut, flocci non habita beatiſſima illorum paupertate, enervem noſtram commentandi ſcribendique velocitatem, qua nimium pulchre nobis callideque blandimur, auguſtiorem faciamus. Sic *Ennium* arte rudem appellare nobis non liceat, liceat *Ovidio*. Etenim, quis maior, aut minor, aut æque magnus, dici poſſet poeta, tum iudicabatur. Quod ſimilitudinis genus non impedivit, quo minus *Cicero*, at quanti vir ingenii, *Accium*, *Pacuvium*, *Lucilium*, *Ennium*, tanquam ſacros vetuſtatis lucos,

adoraret, in quibus grandia & antiqua robora non tantam habere ſolent ſpeciem, quantam religionem. Hæc & his ſimilia *ſecundum quid* intelligi oportere, alia rationis inductio probat. *Cicero* (*Lib. I de Leg. cap. 2*) *Vennonium* inter Scriptores Latinos valde exiles refert. Ex quo nondum ſequitur, ut negligentius ſcripſerit *Vennonius*, quam hiſtoriæ auctoritas poſtulabat. Immo viventium forte multorum ingenia præceſſerat. Alias ſine ratione moleſte tuliſſet idem *Cicero*, ſe *Vennonii* hiſtoriam non habere (*Lib. XII ad Att. Ep. 3*). Sed in eloquendo fuit aliqua inter priſcos & recentiores diverſitas, quæ fecit, ut, hiſtoriam adhuc literis Latinis abeſſe, vel ignoratam a ſuis hominibus aut relictam eſſe, conquereretur *Cicero*. Nam denſius illi & adſtrictius, hi copioſius & latius, rerum monimenta poſteris tradebant. Cum plus in his, in illis ſimplicitatis; illis addi quidquam, his nihil detrahi, poterat, nihil adiici. Quamvis igitur nemo Annales *Ennii* cum ſcriptura eorum contenderit, qui poſt *Ciceronem* veteres populi Romani res compoſuerunt; veriſſime tamen *Dodwellus* in *Append.* ad *Prælect. Acad. in ſchol. hiſtor. Camd.* §. *VIII pag. 659* & *660* iudicat, *præ iuniorum*, inquiens, *facundia excultiſſima ſordeſcebat fortaſſe nitor ille, qui primorum Pontificum coævis magno fuerat in pretio.* Conf. integrum omnino locum. Manet ergo, raras antiquitus literas, nisi πρὸς σχέσιν, hoc eſt, ad uberrimas ſequentium temporum divitias ratione habita, eſſe non potuiſſe. Nihil hic obſtat

[illegible], ieiuna, & horridior, ut aiunt, linguæ Latinæ ruſticitas. Auctor enim *Dionyſius* eſt, antiquiſſimos Romæ incolas pleraque rerum monumenta Græcis potius, quam Latinis, inſcripſiſſe literis. Sic *Romulus* effigiem ſuam poſuit, cum Græco rerum a ſe geſtarum titulo.[a] (Ἐπιγράψας ἑλληνικοῖς γράμμασι τὰς ἑαυτοῦ πράξεις. *Lib. II pag. 116.*) Eodem Auctore *Dionyſio* columna, in Dianæ templo dedicata, literarum characteribus Græcanicis inſcripta fuit. (*Lib. IV pag. 230.*) Ne quid nunc dicam de duabus arcis lapideis *Numæ*, quibus literis Latinis Græcisque inſcriptum erat, in altera *Numam Pompilium*, *Pomponis* filium, regem Romanorum, ſepultum eſſe, in altera libros *Numæ Pompilii* ſeptem Latinos de iure Pontificio, & ſeptem Græcos de diſciplina ſapientiæ, ineſſe. (*Liv. Lib. XL cap. 29.*) Quem antiquum morem videntur imitati fuiſſe *Q. Fabius Pictor* & *L. Cincius Alimentus*, τὰ παλαιὰ ἔργα τῆς πόλεως ἑλληνικῇ διαλέκτῳ συγγράψαντες, *Dionyſ. Lib. I pag. 5.*

Ad *pag. 15: bien peu de ſoin ... de conſerver ... puiſqu' on ſe contendoit.*) Defunctorium profe-

a) Obiter ad h. l. monemus, nos, quale ſit illud *Franc. Balduini in Lib. I de Hiſtoria pag. 650, Pen. Art. Hiſt. Tom. I*, nondum intelligere. Scribit ille de *Dionyſio*: *Ait quidem, & ipſum Romulum deſcripſiſſe res ab ſe geſtas; ſed, quales eſſent alioqui commentarii, vel annales, neſcio.* Forte hoc *Dionyſii* loco negligentius inſpecto deceptus eſt vir magnus, quem ceteroquin nunquam niſi plenus venerationis nominare ſoleo. Verum ſuos quisque patimur manes.

cto argumentum. Eiusmodi numerandorum per clauos annorum ratio non tam a natura illorum temporum cauſam habeat, neceſſe eſt, quam præter neceſſitatem præcurſione quadam cauſæ fortuitæ exſtitit. Quanquam enim, pluribus id docente *Fr. Blanchinio* in opere eruditiſſimo, quod; *La Iſtoria univerſale* inſcriptum, *Romæ* A. 1697 quaternis prodiit, *pag.* 114, 115, per *clavum annalem*, qui figebatur in parietibus ſacrarum ædium per ſingulos annos, annorum numerum utcunque collectum olim fuiſſe, haud ignoro; literarum tamen raritatem horum pangendorum conſuetudinem peperiſſe, nondum adducor, ut credam, quoniam ea, invaleſcente quoque literarum uſu, Romæ manſit. (Vid. Auctores, a Cel. *Drakenborchio* ad *Liv. VII.* 3, laudatos.) Adde *Ciceronem* ad *Att. Lib. V Ep.* 15: *Ex eo die clavum anni movebis.* Niſi forte ἀλληγορικῶς & iocoſe *Tullius* ſcripſit. (Vid. ibi interpretes, inprimis *Boſium*, in ed. *Græv. Tom. I pag.* 518.) Si per libros MStos liceret, mallem in *Epiſtola IV.* apud *Ciceronem* pro παράγγελμα, πάσσαλον ἐνιαύσιον, aut aliud quidquam huic ſimile, legere, ſi nolis παράγγελμα explicare, uti fecit *Corradus*, per ſignum & clavi gnomonem, quo declaratur annus, quod non damno. Interim non diffiteor, maxime ſalebroſam & obſcuram hanc de clavo quæſtionem eſſe. Nulla in his tenebris ad verum via inquirentem ducit. Vereor enim, ut locus *Livii* omnino ſit ſanus, quod iam *Glareanus* vidit. Nihil me hic *Feſti* auctoritas movet, ſi tamen eſt *Feſtus*, quem forte *Paulus*

ibi

ibi nugatoriis emblematibus, uti *Tribonianus* olim veterum ICtorum decreta, corrupit. Interpretes verborum *Petronii* (*cap. 135 pag. 836 ed. Burm. Tom. I*) *clavos numerabat agreſtes*, in hac cauſa nimis fluctuant animo, nec quidquam Abbas *Couturius*, in re præſenti cum verſaretur, præſtitit (vid. *Mém. de Literat. Tom. VIII pag. 299 ſeq*). Denique parui in eo refert, quomodo prodita res & explicata a *Perizonio* in *Animadverſ. hiſt. cap. 5 pag. 180* & *181* fuerit. Illud pervelim, *Seniorum memoriam*, ut animadvertit *Perizonius*, literarum monumentis non opponi, ſed idem eſſe, ac *memoriam, ex annalibus repetitam*, cuius alio loco *Livius* meminit *Lib. VIII cap. 18.* Equidem, ſpatio ad cogitandum ſumto, quid de hac tota quæſtione iudicem, aperiam. *M. Horatius* primum in ipſa ædis dedicatione ex lege vetuſta clavum fixit, teſte *Livio*, cui accedit marmoris vetuſtiſſimi titulus, eadem *Livii* verba exhibens. (Vid. *Iac. Durantii Caſellii Variar. Lib. I cap. 5.*, *Gruteri Fac. crit. Tom. III pag. 198.*) A Conſulibus ad Dictatorem, ſeu Prætorem maximum, ſolemne clavi figundi translatum eſt. Atque hanc provinciam occupavit *M. Valerius*, alter *Poplicolæ* frater, quem Dictatorem ſolvendæ religionis, & ſedandæ hoc piaculo diſcordiæ, gratia creari tum placuit (vid. *Liv. l. c.* & *Dionyſ. Lib. VI pag. 371*). Atque hanc ſolam forte lex vetuſta, literis priſcis verbisque ſcripta, vim habuit, ut clavo fixo tales reipublicæ morbi averruncarentur, iraque Iovis ſopiretur. (Rectiſſime *Douja-*

tium ad h. l. *Drakenborchius* notat, quem vide.) Nam, clavos annorum notas fieri potuiſſe, non nego, verum ex opinione tantum publica, & conſuetudine imperitæ multitudinis, apud quam ante honores, cum plebe communicatos, raræ erant literæ, hoc eſt, nondum luculenter vulgo expoſitæ erant annorum per Conſules ordinatorum tabulæ, nec ad faſtos commentariosque Pontificum ultimi ordinis homines admittebantur. (*Livius Lib. IV cap. 3.*) *Livium* vero hic populariter loqui, vox ſignificanter addita, *ferunt*, innuere videtur, quaſi rem narret, nullo idoneo auctore nixam. Ceterum, qui ex eo comminiſcuntur, Pontifices, & alios viros ſapientes, penes quos ius tradendæ & cuſtodiendæ ad poſteritatem hiſtoriæ fuerat, præter illorum indicum exilitatem nihil habuiſſe, quo temporum rationes aptius digererent, vehementer errant. Vid. *Catrovium* & *Ruilium* in Præf. *ad Hiſt. Rom. p. 15, 16.*

Ibid.: Ne nous autoriſe-t-il pas à douter de tout &c.) Peſſime. Non enim propter *cetera, vetuſtate incomperta, Livius* univerſæ hiſtoriæ certam fidem abrogavit. Quotidie id accidit, ut nonnulli temporum errores ſcriptorem implicent, utque Annalium fides laboret. Neque tamen opera quis abutitur, ſi, quæ ſimilia veri ſint, pro veris accipiat, famæque rerum, hoc eſt, communi intelligentium opinioni, & veſtigiis quibusdam antiquitatis, ſtet. Sæpiſſime turbæ rerum non tam caput hiſtoriæ, quam adiuncta eius, attingunt. Præterea hæ difficultates, in

quibus

quibus hærent Auctores, tam leviter adulterant totius hiſtoriæ fidem, ut in remotæ vetuſtatis memoria exiguæ in corpore alioquin venuſto maculæ, ubi plurima nitent, attendi non mereantur. Pulcherrimo cuique operi difficultatem præpoſuit rerum natura; ita equidem *Fabii* mei verbis Græcorum illud *τὰ καλὰ δύσκολα* reddiderim. Si partem aliquam Auctores in dubio ſtatu eſſe permittunt, totam antiquitatem de loco ſuo & ſtatu inhumanius deiiciemus? Malo certe ſecundum *Dionyſium* & *Livium*, veri certique religioſiſſimos iudices, credulus videri, quam temerarius, & adverſus antiqua iniquus. Illud ingenuis tantum hominibus exprobrari poteſt, hoc, niſi vano & contumaci rerum inviſarum obtrectatori, nemini. Caute propterea & reverenter, ut omnia hæc literarum ſacra tractare ſolet, *Pighius* in *Annal. Tom. I pag.* 11, *Iam qui in uno*, inquit, *vel altero, tertiove tantum variant anno, parum profecto, vel fere nihil, diſcrepare videntur in reliqua temporum ſerie*; & paucis interiectis: *Sunt tamen ubique in numerorum notis librariorum culpa invectæ difficultates in Auctorum libris, non parum obſcuritatis afferentes.* Quemadmodum ergo e frequentibus illis *Livii* querimoniis candor eius & iudicii quædam erudita ſubtilitas intelligitur; ita æquum eſt, poſtulare, ut, quam ſententiam *Livius* & alii, tentatis rerum & Auctorum monumentis, utut veriorem ceteris traditionibus & iudicio ſuo electam poſuerunt, eam ſollicitare nos hodie non audeamus.

Ad *pag. 16: quelque choſe de plus ſur.*) Si igitur ipſe *Livius* dicit, ſe clariora deinceps certioraque ab origine ſecunda urbis geſta domi militiæque expoſiturum eſſe, quid eſt, cur tu *Livii* auctoritatem & ſponſionem ſuper ceteris rebus datam inſolenti quadam nauſeola faſtidis? An quia quippiam falſi adſperſum habet ſequentium temporum hiſtoria, vel quia, ſuæ urbis laudi & gloriæ plus æquo gratificatos eſſe Auctores, male ſuſpicaris (*pag. 276*), ideo pro vera accipi non debet? Miror ſane, cur dubites, omnem hoc pacto hiſtoriam ludibrio habere.

Etenim, ſi prodigia, ſi aliquot narrationes, in miraculi vanitatem corruptæ, ſi Auctorum quædam ſtudia & querelæ, totius memoriæ fidem lædunt, age, quid proclivius erit, quam imbecillæ huius rationis adminiculo non priorum modo quinque, ſed totidem ſequentium, ſæculorum res geſtas explodere. Non deſunt iuniorum Romanorum memoriæ prodigia. Quis vero redarguit illorum Annalium fidem? Num idcirco hiſtoria belli Punici ſecundi, quod *omnium prope Annales, Fabium Dictatorem adverſus Hannibalem rem geſſiſſe*, communi errato tradiderunt, (*Liv. XXII, 31,*) irridebitur? Quis Auctorum pugnas in deſcribendis rebus patrum & noſtris ignorat? quarum exempla infra dabimus. Attamen maxima hiſtoriæ pars tanquam vera poſteritati & indubia proditur. Audeasne tu *Scipionis Africani* res geſtas pro incompertis habere? quod ipſe *Livius Lib. XXXVIII cap. 56, multa alia*, inquit, *in Scipionis exitu maximæ vitæ,*

vita, diesque dicta, morte, funere, ſepulchro, in diverſum trahunt: ut, cui fama, quibus ſcriptis, aſſentiar, non habeam; & ibidem: *Nec inter ſcriptores rerum diſcrepat ſolum, ſed orationes quoque, ſi modo ipſorum ſunt, quæ feruntur P. Scipionis & Tib. Gracchi, abhorrent inter ſe.*

Num igitur iacet *Auguſti, Tiberii, Neronis*, ceterorumque Imperatorum, memoria, ſi *Dio Caſſius* queritur: (*Lib. LIII pag. 509 ſeq.* ed. *Leuncl.*) οὐ μέντοι καὶ ὁμοίως τοῖς πρόσθεν τὰ μετὰ ταῦτα πραχθέντα λεχθῆναι δύναται. Πρότερον μὲν γὰρ ἔς τε τὴν βουλὴν καὶ ἐς τὸν δῆμον πάντα, καὶ εἰ πόρρω που συμβαίη, ἐσεφέρετο .... παρὰ γοῦν τοῖς ἄλλοις τοῖς τὰ αὐτὰ γράψασι, τοῖς τε υπομνήμασι, τοῖς δημοσίοις τρόπον τινὰ εὑρισκέτο. Ἐκ δὲ δὴ τοῦ χρόνου ἐκείνου τὰ μὲν πλείω κρύφα καὶ δι᾽ ἀπορρήτων γίγνεσθαι ἤρξατο. Εἰ δέ πού καὶ τινα δημοσιευθείη, ἀλλὰ ἀνεξέλεγκτά γε ὄντα ἀπιστεῖται. Plura tranſcribere hic non attinet, quanquam locus ſit valde memorabilis. Conf. *Taciti Hiſtor. Lib. I cap. 1 pag. 28* ed. *Gronov.* Utut ergo *Livius* ſeſe excuſet, quod antiquitus raræ fuerint literæ, & ſi quæ in *commentariis Pontificum aliisque publicis privatisque fuerant monumentis, incenſa urbe*, perierint, neglecta tamen conſervandæ publicæ memoriæ cura & cuſtodia non fuiſſe videtur, nec propterea exſtincta rerum geſtarum memoria, quia tantum non omnia, ſed pleraque, hoc eſt, multa, monumenta interierunt. Etſi præterea res vetuſtate nimia obſcuras, veluti magno ex intervallo loci, vix cernere ſe profitetur *Livius*; ex ipſo tamen muneris ſuſcepti eventu intelligimus, illas omnino cerne-

cernere potuiſſe, quoniam eam hiſtoriæ partem non modo non in tenebris reliquerit retruſam atque abditam, ſed mirabiliter excoluerit. Veram illius loci *Liviani* interpretationem vide in *Diſſ. VII* magni *Perizonii de Republica Romana pag. 694 Tom. II Opuſcul.* §. 7, & laudatos ibi Auctores: Conf. §. 12 *ibid. pag. 706.* Addo, quod verecunde & modeſte dixerunt Auctores priſci, id fraudi illis eſſe nullo modo debet. Etenim plura *Livius* re præſtare, quam verbis polliceri, voluit, glorioſius ſibi ducens, ex fumo lucem, quam ex fulgore fumum, dare. In Scriptoribus contra noſtris rara eſſe ſolet inopiæ confeſſio. Ex quo fit plerumque, ut veteris memoriæ divitias, in ancipiti rerum iudicatione ab Auctoribus nimio pudore extenuatas, ſæpiſſime noſtras extollendo, per contemtionem deprimamus. Equidem, magnas & uberes monumentorum reliquias incendii Gallici furorem evaſiſſe, non tam mihi perſuadeo, quam ex locis Auctorum firmiſſimis mox demonſtrabo. Fac, Senones, capta urbe, multa inflammaſſe ingeniorum monimenta vetera & incorrupta, num in tanta reſurgentis urbis pulchritudine, quæ reparari nequibant, Seniores non meminerunt? Quidni credas, monumenta publica & Annales maximos e quibus perdiſcendum ius civile, cognoſcendæ leges, percipienda omnis antiquitas, ſenatoria conſuetudo, diſciplina rei publicæ, iura ſociorum, fœdera, pactiones, cauſſa imperii cognoſcenda erat, tanquam rem ſacram Pontificibus permiſſam, Romanos in Ca-

pitoli-

pitolium conſcendentes eodem modo, uti *flaminem, ſacerdotesque Veſtales, ſacra publica a cæde, ab incendiis procul* (*Liv. Lib. V cap. 39*) abſtuliſſe. Nec ſequitur profecto, ut, ſi incendio ferroque graſſetur hoſtis, omnia ſimul monumenta rerum geſtarum intereant. Quam diris, quæſo, barbarorum tumultibus urbs vexata non fuit? Domuum, inſularum, templorum, pauca veſtigia lacera & ſemiuſta, quæ ſuperſunt Græcarum artium decora, tot victoriis quæſita, quæ amiſſa ſunt, numerum inire haud promtum fuerit. Ex illis tamen ruinis quot, quæſo, libros, quot numorum, titulorum, gemmarum, opes, quot hiſtoriæ illorum temporum locupletiſſimos teſtes, maior aliqua cauſa atque divinior ſervari non iuſſit? ut certe neſciamus, utrum monumenta, quæ interciderunt, lugere hic fas ſit, an propter illa, quæ rerum edax tempus non delevit, gaudio exultare debeamus.

Quæ reſtant, Lector, horum *Miſcellaneorum Parte* proxima legentur.

V.

I. A. ERNESTI
OBSERVATIO
AD *LIVII LIB. II CAP. XVI.*

In Auctoribus Græcis Latinisque tractandis ſummam legem hanc puto, ut caveamus, ne, ut quæque a nobis non intelliguntur, aut a ratione dicendi uſitata recedere videntur, ita ſtatim corrigere inſtituamus, in primis

mis refragantibus Codicibus ſcriptis, & editionibus, e ſcriptis expreſſis. Eam legem neglexerunt Viri docti in loco *Livii Lib. II cap. 16* de *Appio: Cum pacis ipſe auctor a turbatoribus belli premeretur*. Non poterant concoquere *turbatores belli*. *I. F. Gronovius* inepte dictum putabat, & vel *bello*, ut ad *premeretur* referretur, aut *vulgi* legendum. In qua ſententia etiam fuit *Schurzfleiſchius*, *bello*, vel *populi*, ſcribendum arbitratus. Idem ſentiunt alii Viri docti, nominatim *Drakenborchius*, Vir celeberrimus, & de *Livio* immortaliter meritus, qui priorem *Gronovii* coniecturam probat. Mihi *turbatores belli* exquiſite dicti, & a *Livio* profecti, videntur. Eius ſententiæ explicationem ut proponerem, admonitus ſum nuper alio *Livii* loco, in quem, cum quintum *Drakenborchianæ* editionis *Volumen* excuterem, incidi. Scilicet *turbatores belli* opponuntur *auctori pacis*, & ſunt homines, qui turbando, hoc eſt, turbis ciendis, bellum concitare ſtudent. *Livium* expreſſit *Plutarchus* in *Poplic. pag. 108*, ubi eosdem homines πολεμοποιὸς vocat. An vero ita ſatis Latine dicuntur? Nihil dubito. Primo certum eſt, *turbare bellum*, dici poſſe, pro, turbando bellum commovere. Apud *Tacitum An. IV, 67: Suspicionum & credendi temeritatem turbare*, nihil, opinor, aliud eſt, quam turbando augere, vel commovere. Similiter aliis verbis utuntur Latini, quibus cauſa, loco effectus, exprimitur. *Livii II, 32, extr. comparare*, ponitur, pro comparatione demonſtrare. Quo ſenſu etiam

iam dixit *Cicero de Off. II, 5: deinde comparat, quanto plures deleti ſint homines hominum impetu - - - quam omni reliqua calamitate.* Eodem modo dicitur *irritare pugnam, Liv. XXVIII, 33.* Hac ratione utuntur etiam Græci; e quibus unum tantum exemplum, quod huc maxime pertinet, & vel ſolum *turbatores belli* defendit, afferam. Id eſt apud *Demoſthenem Or. de Corona cap. 50: ὡς δ' ἅπαξ ἐκ τέτων ἐγκλήματα καὶ πόλεμος πρὸς τὺς Ἀμφισσεῖς ἐταράχθη.* Ex quo *ταράττοντες πόλεμον* planiſſime erunt *turbatores belli*, hoc eſt, auctores belli turbis dandis concitati. Vidimus de verbis, addamus etiam de ſubſtantivis, & quidem ex uno *Livio. Lib. II cap. 33 interpres concordiæ* nonne eodem modo dicitur, de eo, quo interprete concordia reſtituta eſt? Quomodo porro lictor *Lib. XLV cap. 29 ſummotor aditus* dicitur? Etiam inepte, ut *turbator belli?* Fuit, cum in mentem veniret: *ſummoto aditus*, e *XXVIII, 27*, ubi eſt *ſummoto incedere.* Sed nihil iſta coniectura opus eſt. *Summotor aditus* eſt lictor, qui ſummovendo aditum facit, ut viderunt alii. Neque ille *ſummotor aditus* cuiquam interpretum ſuſpectus fuit. Quo magis mirum, *turbatores belli*, ei ſimillimos, ineptos videri. Ceterum, lectione iſta conſervata, longe elegantior eſt oratio, quam ſi *turbatores* ſimpliciter, aut *turbatores vulgi*, poſiti eſſent, propter oppoſitionem exquiſitiorem, quæ eſt inter *pacis auctores* & *turbatores belli*, aut ſi ſcripſiſſet: *a turbatoribus bello premeretur*, ſatis otioſe poſito verbo *bello.*

VI. VO-

VI.

VOCES ALIQUOT LATINÆ, QUÆ IN LEXICIS VULGARIBUS FRUSTRA QUÆRUNTUR, EX PRISCIS AUCTORIBUS COLLECTÆ

A

FRID. OTTONE MENCKENIO.

PARS II CONTINUATA.

DECLIVUS, *a*, *um*. Vocem hanc inter vulgo incognitas proferenti mihi, nolim, obiiciat aliquis, non eam in *Theſauro Fabri* fruſtra quæri, ſed hic locum ei datum inter nomina, a communi ſtirpe *Clivus* deducta. Nam, qua *Faber* utitur vulgati Scripturæ S. interpretis auctoritate, hæc, ut omnes ſciunt, nulla eſt re vera; nec, qui tali Auctori uſurpatam dicunt vocem, quidquam mihi facere aliud videntur, quam qui barbaram & Latinæ expertem civitatis dicunt. Rem igitur fortaſſe novam multis narrabo, cum ea ortam ætate dixero hanc vocem, quæ puriſſima tulit & notæ prorſus optimæ vocabula. Quid enim maculæ ineſſe voci putes, a qua ipſe Poetarum princeps, *Naſo*, non abſtinuit, ita canens *Met. II*, *206*:

Et modo ſumma petunt, modo per decliva, *viasque*
Præcipites, ſpatio terræ propiore feruntur.

Nec de lectionis integritate dubitandi, in conſtanti illo Codicum & editionum omnium conſenſu

ſenſu ulla eſt cauſa. Plura exempla requirenti hoc reſponſi dabo, non id a me agi, ut Scriptoribus antiquis uſitatum valde, ſed ut bonum, & Scriptori bono uſurpatum aliquando, vocabulum credatur.

DECUS. Solebant antiqui pro *decuſſis*, quod eſt numi genus, valens aſſes decem, per compendium dicere *decus*, eodem modo, quo *quinques* pro *quinqueſſis*, *ſexis* pro *ſexeſſis*, *ſeptus* pro *ſeptuſſis*, *octus* pro *octuſſis*, *nonus* pro *nonuſſis*, dicebatur. Pluribus rem omnem explicat *Voluſius Macianus*, Scriptor antiquus, in libello, ita inſcripto: *Diſtributio, item vocabula ac notæ partium in rebus pecuniariis, pondere, numero, menſura*, quem publici iuris fecit *Io. Frid. Gronovius* in *Libris IV de Seſtertiis pag. 395*, & *Io. Ge. Grævius* in *Tomo XI Antiquitatum Romanarum pag. 1705*. Inde, ſatis ſit, vel hæc pauca, quæ ſunt huius loci, huc transſcribere: Decus *hac nota ſcribas - - atque nomines ſeptunx ſemuncia. Septuncem quoque ac ſemunciam totiens ſi duxeris, decus efficies*. Eſſe autem hic *decus* idem, quod *decuſſis*, facile legenti reliqua apparet. Optimum verborum *Maciani* interpretem habes *Io. Fr. Gronovium de Seſtert. Lib. I cap. 8 pag. 40*: *Et ſic apud eundem* (Mæcianum) quinquies, ſexis, ſeptus, octus, nonus, decus, *ponuntur, quæ ſcilicet curtata ſunt, ut ſolebant properare in computando, temporis lucrandi gratia, pro* quinqueſſis, ſexeſſis, ſeptuſſis, octuſſis, nonuſſis, decuſſis. Ex eiuſdem *Gronovii*

ſi iudicio ſtandum, voce hac uſus putari debet Auctor *Epitomæ Libri Liviani XLVIII* in his verbis: *M. Æmilius Lepidus, qui princeps Senatus ab ſextis iam Cenſoribus erat lectus, antequam exſpiraret, præcepit filiis, lecto ſe ſtrato ſine linteis, ſine purpura, efferrent: in reliquum funus ne plus, quam æris* decus, *conſumerent; imaginum ſpecie, non ſumtibus, nobilitari magnorum virorum funera ſolere.* Ita nempe fide Codicis *Gudiani* maioris, in quo legitur hoc ipſum *decus*, exſcripta ſunt verba a *Gronovio*, quem etiam in Oxonienſi *Livii* ἐκδόσει *Thomas Hearnius* ſequitur. Non autem cum his conſentiunt vetuſtiſſimæ editiones, in quibus pro *decus* exſcriptum eſt *denos*; &, ſi Codices MStos inſpicias, vix mirari ſatis poſſis varietatem lectionum. Horum enim alius ita habet: *ne plus deunce*; alius: *ne plus, quam æris decas*; alius: *ne plus, quam æris decies*, quo modo etiam legendum conieciſſe *Pithoeum, Th. Hearne* docet; alius: *ne plus, quam æris deuncem*; alius denique: *ne plus deunce*. In tanta lectionum diverſitate eam ſervandam duxit recentiſſimus, isque omnium præſtantiſſimus, *Livii* editor, *Arnoldus Drakenborchius*, quæ eſt in vetuſtiſſimis editionibus, non tam quod eam præ aliis probaret, (locum enim, ut eſt re vera, corruptum putat,) ſed ne lacunam in contextu relinqueret, quam æque commode poſſe vocula *denos*, quam ulla alia, expleri iudicavit. Cauſam autem, cur nec hoc ipſum *denos*, nec, quod vult *Gronovius*, *decus*, ipſius eſſe Auctoris *Epitomæ*, perſuadere ſibi poſſit, in Nota hanc affert,

fert, quod pecuniæ hæc ſumma minor fuerit, quam ut ea cuiusquam cadaver, etiam frugaliſſimo populi Romani tempore, ſepeliri potueſit; ſicut e contrario in illo *decies Pithœi*, quod idem ſit, ac *decies centena millia aſſium*; maior pecuniæ ineſſe ſumma videatur, quam menti Auctoris *Epitomæ* conveniat. Atque; rebus ita comparatis; exemplo *Crevierii*, qui Lutetiæ nuper edidit *Livium*; & *Freinshemii*, qui in *Supplemento* huius *Libri cap. 9 modicam pecuniam*, non addita eius ſumma, memorat; abſtinet a ſanando hoc ulcere, unum hoc addens; ἐπέχω. Ego vero; ut facile intelligo; certi hic definiri nihil poſſe; ita, ſi meo libere utendum iudicio ſit, haud longe abeſſe me ab eo, fateor, ut lectionem *Gronovianam* probem; quippe quam & notæ optimæ MStus Codex, & ratio ipſa, firmant. Patet enim ex contextu verborum, voluiſſe *M. Æmilium Lepidum*, ut ſumtus ſuo funeri quam minimi impenderentur; atque adeo hoc ipſum; quod *æris decus* exigua valde pecuniæ ſumma fuit, admittendam hanc lectionem ſuadet. Fieri autem potuiſſe, ut decem aſſes, qui, ſi recte computavit *Robertus Cenalis* in *Commentariis de Ponderum ac menſurarum ratione*, a *Io. Ge. Grævio* publicatis in *Theſauri Antiqu. Roman. Volum. XI pag.* 1537, quatuor valent ſolidos, ſufficerent ſumtibus, in funus hominis pauperis, aut affectantis paupertatem, erogandis, mihi, cogitanti rigorem ſumtuariarum legum, quibus actum hoc inprimis eſt, ut omnis generis inſolentiæ modus poneretur, ſumtuumque licen-

tia compeſceretur, incredibile adhuc quidem non videtur.

DEDITITIUS, *Subſt.* Nominibus, quæ origine ſunt adiectiva, ſed uſu Auctorum ad Subſtantiva tranſierunt, aggregandum inprimis eſſe hoc *dedititius*, vix eſſe dubium poteſt legenti hæc loca *Livii Lib. VII cap. 31: Itaque populum Campanum, urbemque Capuam, agros, delubra Deûm, divina humanaque omnia, in veſtram, Patres conſcripti, populique Romani, ditionem dedimus; quicquid deinde patiemur*, dedititii veſtri *paſſuri. - - Peterent pro ſocietate amicitiaque, ut* dedititiis ſuis *parcerent:* &c. & *Lib. eod. cap. 38: An aequum eſſe*, dedititios ſuos *illa fertilitate atque amœnitate perfrui:* &c. Eſſe enim in his voci *dedititius* & ſignificationem Subſtantivi, & adiunctas tales voculas, quæ Subſtantivis adiungi inprimis ſolent, ita eſt perſpicuum, ut ad id docendum vix opus eſſe verbo videatur.

DEFIGURO. Habet hanc, ignotam *Fabro*, & cui non alii? vocem incertus ille, ſed antiquus, Auctor *Argumentorum, Fabulis Metamorphoſeon Ovidianis* præmiſſorum, *Arg. Lib. IV Metam. Fab.* 7, ubi hæc legas: *Refert quoque Salmacidem Cariæ fontem, cuius liquore contacti in mollitiem verſi* defigurentur. Ita nempe exſcripta ſunt verba in nobiliſſima omnium editione *Burmanni*, ſed qui in Nota diverſam ab hac editionis Colonienſis lectionem profert, ita habentem: *Refert autem de Salmace fonte Cariæ,*

cuius-

cuius liquore contacti mollitie diffigurantur. Harum utram demum præferas lectionem, peregrinam auribus Latinis, & vix in ullo alio Scriptore obviam, vocem admittes. De notione vocis *deſigurare* ſi requiras, in hoc certe loco idem hæc valet, quod, *demta veteri figura, novam, eamque minus placentem, addere.*

DEGRESSUS, *Subſt.* Cum a *congredior* ſit *congreſſus*, a *digredior digreſſus*, ab *egredior egreſſus*, ab *ingredior ingreſſus*, a *progredior progreſſus*, a *regredior regreſſus*, a *transgredior transgreſſus*, a ſimilibus ſimilia; non ſine cauſa mireris, ab uno *degredior*, non ignobili vocabulo, Subſtantivi ductum nihil eſſe, certe nihil tale in Lexico exſtare. Cogitantibus autem nobis librariorum veterum inſcitiam, cum magna negligentia coniunctam, vix dubitandum de eo videtur, his ipſis, quod nulla, aut levia, huius vocis in Auctoribus antiquis veſtigia occurrant, tribuendum inprimis eſſe, & in locis Auctorum multis, ubi vulgo *digreſſus* legitur, legi *degreſſus* debere. Ii certe, quibus veteres Codices manibus verſare frequenter contigit, dudum obſervarunt, in nulla re magis peccatum fuiſſe a librariis, quam in diſtinguenda Præpoſitione *de* a *di*, ſæpiusque *diripere* ab his pro *deripere*, *dimittere* pro *demittere*, *diſtringere* pro *deſtringere*, *diſpicere* pro *deſpicere*, *disiicere* pro *deiicere*, *diducere* pro *deducere*, *dirigere* pro *derigere*, exſcriptum. Diligentiſſime præ aliis hoc annotatum eſt a *Broekhuſio* ad *Tibulli Lib. I Eleg. V v. 4*, & ab

Arn. Drakenborchio ad *Silii Italici IV*, *638*, & *X*, *318*. Ad ipſa autem verba *degredior* & *digredior* quod attinet, plurimis rem eandem exemplis probavit idem, quem dixi, *Drakenborchius* ad *Livii Lib. III cap. 62*, *Lib. VII cap. 14* & *24*, *Lib. XXI cap. 32*, inprimis vero ad *Lib. IV cap. 17*, & ad *Lib. XXIX cap. 2*. Quid vero facilius eſt creditu, quam errorem eundem, qui in verbis *digredior* & *degredior* manifeſtus eſt, etiam ad Subſtantiva *digreſſus* & *degreſſus* tranſiiſſe, & erroris huius exempla, ſi quis veſtigare hæc velit, in Codicibus antiquis non pauca animadverti? Sed ex multis, quæ ſunt aliis fortaſſe cognita, nunc dabo unum tantum, mihi cognitum. In *Ciceronis Oratione in L. Piſ. cap. 26* vulgo legitur: *Iam vides, quandoquidem ita mihimet fui inimicus, ut me tecum compararem, &* digreſſum *meum, & abſentiam, & reditum, ita longe tuo præſtitiſſe*, &c. Ita, inquam, plurimæ editiones, nec pauciores numero Codices MSti, habent, ſed quam lectionem facile commutaveris cum rectiore *Grævii* & *Verburgii*, qui pro *digreſſus*, fide nonnullorum melioris notæ Codicum, *degreſſus* legunt. Optime, meo iudicio, quandoquidem nihil aliud, quam abiiſſe ſe urbe, dicere *Tullius* voluit, id quod vocabulo *degreſſus* melius, quam altero *digreſſus*, talem, ni fallor, *abitum*, *qui fit a grege plurium*, notante, expreſſum fuit.

DEIICIO. Vocem hanc ad barbararum fæcem reiicit *Gerb. Io.* *Voſſius de Vit. ſerm. Lib.*

IV cap.

IV cap. 5. Recte quidem, ſi barbara dicenda ſunt ea omnia vocabula, quæcunque ante *Caſſiodori* ætatem in uſu non fuerunt. Mihi ſatis ſit, ſimilia non pauca vocabula in *Theſauro Fabri* legi, hisque adeo adiungendum eſſe *deifico*. Uſum hoc *Caſſiodorum* video *Hiſt. tripart. Lib. X cap. 30: Magos enim appellant Perſæ eos, qui elementa* deificant, hoc eſt, in numerum Deorum referunt; & in libri *de Amicitia cap. 58 §. 10: O excellentia caritatis! O dulcedo amoris! O ſecuritas! O requies! O Sabbatum* deificatum! Adducit etiam ex *Ioannis Sarisberienſis Lib. III Policratici cap. 10* locum hunc *Voſſius: Suos quoque Imperatores, quos de more Romanus populus fideliter iugulabat*, deificavit *fidelius, inani ſolatio perfidiam prætexens manifeſtam.*

DELABO. Dubium quodammodo vocabulum, ſed ob id nominandum tamen, quod auctoritatis non nullius patronos invenit. Exſtat hoc, ſi quidem vere exſtat, in loco hoc *Rhetoricorum ad Herenn. Lib. IV cap. 55: Ille nulla voce* delabans, *inſita virtute concidit tacitus.* Ita enim primus hæc verba, fidem ſecutus trium Codicum, *Hieron. Capidurus* legit, cuius ſe partibus *Iſ. Verburgius* adiunxit. Ex ceteris editoribus plurimi; *nullam vocem edens, inſita virtute concidit tacitus;* quod minime ſpernendum putarem, ſi, quid ſit *inſita virtute concidere*, ſatis poſſet intelligi. Nec magis aperti ſenſus eſt lectio *Victorii: voce delibans inſitam virtutem.* Verba ſingula, ſed non coniuncta, intelligo.

Quid enim eſt *delibare virtutem voce?* Oedipo hic opus eſt, a quo reſponſum exſpecto. Ne quid diſſimulem, illa *Capiduri* lectio, utpote ſenſum, ſi recte explicetur, habens ſatis commodum, & ad mentem Auctoris accommodatum, mihi præ ceteris probatur. Sed nolim, ita cum *Capiduro* interpungas verba: *Ille nulla voce delabans, inſita virtute concidit tacitus.* Nam, ut dixi, illud *virtute concidere* peregrinum eſt auribus meis; neque etiam hic locum habere poteſt formula, *nulla voce delabare*, etſi alibi fortaſſe poſſit. Hæc enim, ſi quem habet ſenſum, hunc certe habet, ut *voces omnes promte emittere* ſignificet, quod prorſus ab hoc loco alienum eſt, ubi ſermo eſt de homine concidente, & ſine voce ulla animam exſpirante. Quod autem idem *Capidurus*, *nulla delabi voce*, inquit, *eſt facere illud, quod fecit Pompeius apud Lucanum Lib. VIII: Continuitque animam, ne quas effundere voces poſſet, & æternam fletu corrumpere famam;* in eo notanda mihi duo videntur: alterum, quod *nulla delabi voce* non ſit idem, quod *nulla delabare*, ſicut, diverſa eſſe *labi* & *labare*, ſatis conſtat; alterum, quod Auctor *Rhetoricorum* hominem nobis ſiſtat, qui, etſi vellet, non poſſet vocem emittere: contra in verſu *Lucani* de eo ſermo ſit, qui, cum poſſet, noluit proferre vocem, &, nullo cogente, animam continuit. Itaque verba illa *Rhetoricorum* mecum, ſi placet, ita interpunge: *Ille, nulla voce, delabans inſita virtute, concidit tacitus.* Et ſic interpuncta intelligi poſſe optime videntur.

Homo

Homo nulla voce, idem eſt, ac *loquendi facultate deſtitutus*, & *delubari inſita virtute* non inepte, meo judicio, dicitur de eo, qui *ſenſim ſenſimque deficit viribus, quibus virtus inſita manifeſtatur*. Hunc igitur verbis ſenſum tribuerim: *Ille, voce nulla emiſſa, exſpirante ſenſim ſenſimque virtute inſita, tacitus concidit.*

DELUSORIUS, *a, um*. *Caſſiodori* eſt vocabulum, notans huic *id, quod vim deludendi habet*, & cum ſimili *fallax* coniunctum in libri *de Amicitia cap*. 21 *§*. 3: *Quam* fallax & deluſoria *ſit illa perniciosa felicitas, quam plerique in carnis voluptate conſtituunt, in libro experientiæ legitur inceſſanter*; &c.

DEMETATUS, *a, um*. *Tullii* vocem habes, ideoque digniſſimam, cui locus in *Theſauro* detur. Non enim, hunc ea uſum, dubitare licet, in loco *Libri II de Nat. Deo cap*. 43: *Atque ita* demetata *ſigna ſunt, ut in tantis deſcriptionibus divina ſolertia appareat*. Sic enim in emendatiſſimis *Lambini*, *Gruteri*, *Daviſii*, & *Verburgii*, editionibus legitur; nec alitèr habent MSti Codices, niſi quod, in *Elienſi* uno exſtare *demetita*, quod nemo facile probet, *Daviſius* teſtatur. Defendit etiam hanc lectionem *Gerb. Io. Voſſius Lib. I de Vit. ſerm. cap*. 24 adverſus vetuſtiores quoſdam Editores, pro *demetata* legentes *dimetata*. Quorum cum cauſam agendam putaret, tantum ut a *Voſſio* diſſentiret, *Scioppius*, tanquam telo quodam, in *Voſſium* uſus eſt ſimili *Ciceronis* loco *Lib. II de Nat. De. cap*. 62, in quo ita legere nos iubet:

Eorum enim curſus dimetiti, maturitates temporum, & varietatas, mutationesque, cognovimus. Sed recte huic reſpondet *Ol. Borrichius* in *Defenſione nomine Ger. Io. Voſſii, adverſus Gaſp. Scioppium*, quæ *Cogitationibus de variis Latinæ linguæ ætatibus* acceſſit, §. *8 pag. 273*, hic etiam meliores libros non habere *dimetiti*, ſed *demetati*, nec a *dimetior* eſſe *dimetitus*, ſed *dimenſus*, quod etiam *Lambinus* ad hunc *Ciceronis* locum, & *Voſſius l. c.* inprimis urgent; quorum tamen poſtremus non negat, apud ICtos veteres, & alios Scriptores, a puriori ætate aliquantum remotos, exemplum unum & alterum exſtare, in quo a *metior* factum ſit *matitus*. Eandem, quam *Scioppius*, ſententiam tuetur *Phil. Pareus* in *Lexico critico pag. 362*, ſed cuius cum a *Scioppianis* nihil diverſæ ſint rationes, non has aliis, ac illas, oppugnari armis opus eſt. Neque vero illud offendat quemquam, quod *demetatus* vim patiendi habeat in loco *Tullii*, ſecus ac natura ferat deponentium, in quibus & ſimplex *metari*, & compoſita *dimetari*, *demetari*, numeranda ſunt. Nam, ut nulla nunc ſunt deponentia, quæ non antiquiſſimis temporibus naturam patientium habuerint, ita de verbo *metari* rem eandem *Borrichius l. c.* docet ex verſu *Horatii Lib. II Sat. 2 v. 115*:

- - *Videas* metato *in agello*
Cum pecore & natis fortem mercede colonum,

& de compoſito *dimetari* ex loco *Livii Lib. VIII cap. 38*: *Tum Dictator, poſtquam ſine magna incom-*

incommodo progredi non poterat, *eum ipſum*, *in quo conſtiterat*, *locum caſtris* dimetari *iuſſit*; niſi hic forte intelligas *milites*, quod fieri etiam poteſt in eiusdem loco *Livii Lib. XLIV cap.* 7: *Secundis caſtris pervenit ad Dium*: metari*que ſub ipſo templo*, *ne quid ſacro in loco violaretur*, *iuſſit*. Manifeſta autem paſſivi ſignificatio eſt in aliis *Livii Lib. XLIV cap.* 37: *Paulus*, *poſtquam* metata caſtra, *impedimentaque collocata*, *animadvertit*, &c. Ceterum, niſi meliorum Codicum & editionum conſenſus obſtaret, lubens, fateor, in illo *Ciceronis* loco *Lib. II de Nat. De. cap.* 43 pro *demetatus* legerem *dimetatus*; quo modo etiam legi hunc locum video a *I. F. Gronovio* in *Notis ad Livii Lib. VIII cap.* 38, ſed qui auctoritate Codicum vetuſtiorum deſtituitur, nec, cur ab Editoribus ceteris diſceſſionem fecerit, rationem profert.

DENUS, *a*, *um*. Non niſi plurali numero vocem hanc *Faber* habet, qui, ſingulari etiam numero *denus* dici, diſcere ex verſu *Naſonis* poterat *Ep. XI v.* 46:

Iam novies erat orta ſoror pulcherrima Phœbi,
Dena*que luciferos Luna movebat equos*.

Sic enim in editionibus, quascunque inſpexi, legitur, etiam in emendatiſſima *Burmanni*. Diſplicet autem *denaque* illud *Scaligero* & *I. F. Gronovio*, ea, ni fallor, de cauſa, quod paulo ante dixerat *Ovidius*, novies ortam fuiſſe lunam, cum quo pugnare *luna dena* videatur. Itaque *Scaliger denaque* in *nonaque*, *Gronovius*

autem

autem in *plenaque* convertit, nactus coniecturæ huius, quam, ut pluribus Auctorum exemplis, ita hoc inprimis valde notabili eiusdem *Naſonis* verſu *Met. Lib. X v. 295*:

Coniugio, quod fecit, adeſt Dea, iamque coactis
Cornibus in plenum novies *lunaribus orbem,*
Illa Paphon genuit: de quo tenet inſula nomen, &c.

firmavit *Obſervationum Lib. IV cap. 15 pag. m. 248*, approbatorem *Salmaſium Lib. I Ep. 97.* Iuvare hos illud inprimis poteſt, quod nec ullus Auctorum alius, nec uſquam alibi *Ovidius*, *denus* pro *decimus* uſurpaverit. Animadvertit hoc etiam *Nic. Heinſius*, qui, oſtendendum eſſe, ait, quemadmodum *quini* & *deni calculi* pro *decem* & *quinque calculis* recte dicantur, ita *lunam denam* pro *decima* poſſe dici. Prætuliſſe tamen *Heinſium* vulgarem lectionem *Scaligeranæ*, aut *Gronovianæ*, inde colligo, quod plurima ab eo Auctorum veterum cumulata loca videam, unde hoc conſtare poſſit, ex veterum iudicio decem menſes ad formandum partum ſuffeciſſe. Mihi autem hoc ipſo egiſſe nihil videtur *Heinſius*, cui alia bene multa *Gronovius* exempla oppoſuit, in quibus, exacto menſium non niſi novem ſpatio, fœminæ edidiſſe partum dicuntur. Utcunque hac de re exiſtimes, ſi *Gronovianam* (habet enim hæc plus ingenii, quam altera *Scaligeri*,) lectionem ſequaris, &, quod facile fieri potuit, pro *plena* a librario ſcriptum *dena* putes, hoc efficere videris, ut plana & perſpicua ſit mens *Naſonis*, nec huic

obſcu-

obſcuræ, aut pugnantes, ſententiæ tribuantur. Sed, ut dixi, nihil mutandum in contextu *Burmannus* ſtatuit, cum quo ſi legas *denaque*, vides, ſingularem vocis numerum addendum *Theſauro Fabri* eſſe.

DEPOPULATRIX. Unius, quod ſciam, *Caſſiodori* proprium vocabulum, *luxuriam depopulatricem* dicentis *Variarum Lib. XI Ep. 3: Avaritiam depellite, furta removete*, depopulatricem *humani generis* luxuriam *a veſtro populo ſegregate.*

DESPOTA. Hic negligentiæ *Fabrianæ* exemplum accipe. Is, ſub elemento *A* vocem *Adeſpotus* nominans, ſpem iniicit Lectoribus, futurum, ut, quid huius ſit vocabuli, deinde doceat, cum ad vocem *deſpota* devenerit. Sed, vanam hanc eſſe ſpem, nobis, Lector, expertis crede. Sui enim parum memor promiſſi *Faber*, infra ſub elemento *D* ita de utroque tacet nomine, ut ne nominanda quidem duxerit. Nec id mihi quidem mirandum adeo videtur. Non enim locum invenire in Lexico Latinæ linguæ voces tales debebant, quæ ad Græcos tantum pertinent, nec in Latium, quod conſtet, unquam tranſierunt. Si qui enim ſunt Latini veteres Auctores, in quorum libris vox *adeſpotus* legatur, (*deſpota* enim adhuc nuſquam inveni,) hi Græca exuendam forma non putarunt. Exempla habes in *Ciceronis Lib. XV ad Diverſ. Ep. 17: De Hiſpania novi nihil; ſed exſpectatio valde magna: rumores triſtiores, ſed ἀδέσποτοι.*

Dabi-

Dabimus igitur veniam *Fabro*, quod de vocibus, vere Græcis, in *Theſauro* ſuo nihil dixit; modo a promiſſis abſtinuiſſet, quæ rectius non dari, quam non ſervari, poterant. Sed familiare hoc *Fabro* peccatum fuit, ſupra a me ſub Voc. *Antidotum* & *Azymus* notatum: Plura etiam deinde, ut tulerit vocum ordo, notabo.

DEVERTICULUM. Diverſæ & maxime diſtinctæ ſunt voces, *deverto* & *diverto*, *deverſor* & *diverſor*, *deverſorium* & *diverſorium*; ſed quas ſæpiſſime confudit veterum librariorum negligentia, ut multis, iisque luculentis, exemplis oſtenderunt *Salmaſius* ad *Capitolini Ver. cap.* 4, *Gebhardus* ad *Ciceronis Lib. VII ad Div. Ep.* 18, *I. G. Grævius* ad *Ciceronis Lib. I in Ver. cap.* 25, & ad *Or. Phil. II cap.* 27, *Torrenius* ad *Valerii Maximi Lib. I cap.* 7 *Ex.* 5, *Ryckius* ad *Taciti Hiſtor. Lib. II cap.* 64 & 100; *Bourdelotius* & *Burmannus* ad *Petronii Sat. cap.* 9, & *Arn. Drakenborchius* ad *Livii Lib. I cap.* 51. Cum his vocibus cognatione quadam junctæ ſunt *deverticulum* & *diverticulum*, ſed quarum altera, a librariis corrupta, & frequenter in *diverticulum* transformata, vix ſui memoriam ad poſteros transmiſit. In *Fabri* certe & *Stephani Theſauris deverticulum* fruſtra quæras. At dubitari vix poteſt, nullo ſuo merito Latina civitate excidiſſe hoc vocabulum, reſtituendumque eſſe veterum Auctorum locis plurimis, in quibus vulgo *diverticulum* nunc legitur. In hoc numero ſunt illa *Terentii Eun. IV*, 2, 7:

Ubi

Ubi ad ipſum venio deverticulum, conſtiti. Sic enim tres melioris notæ MStos Codices habere, *Faernus* teſtatur, quem ſecuti *Rich. Bentleius* & *Franciſcus Hare*, hoc *deverticulum*, abiecto vulgatiori *diverticulum*, in contextum receperunt. Similiter in *Quintiliani Lib. IX Inſtit. orat. cap. 2 P. Burmannus*, Codicum, ni fallor, meliorum fide, ita legit: *Nam, rectum genus approbari, niſi maximis viribus, non poteſt; hæc* deverticula *& anfractus ſuffragia ſunt infirmitatis*; & in eiusdem *Quintiliani Lib. X cap. 1*: *Quod alligati ad certam pedum neceſſitatem, non ſemper propriis uti poſſint, ſed depulſi a recta via, neceſſario ad eloquendi quædam* deverticula *confugiant.* Idem *Burmannus* in *Suetonii Nerone cap. 48* ex probatiſſimo Codice ita exhibet verba: *Ut ad* deverticulum *ventum eſt, dimiſſis equis inter fruticeta ac vepres, per arundinetē ſemitam ægre, - - ad adverſum villæ parietem evaſit.* Inprimis vero, ſi quid valet optimorum Codicum auctoritas, uſus hac voce *Livius* putari debet in duobus locis: altero *Lib. I cap. 51*: *Ubi eſt eo ventum, Turnum, ex ſomno excitatum, circumſiſtunt cuſtodes; comprehenſisque ſervis, qui caritate domini vim parabant, cum gladii abditi ex omnibus locis* deverticuli *protraherentur*; &c. altero *Lib. IX cap. 17*: *Nihil minus quæſitum a principio huius operis videri poteſt, quam ut plus iuſto ab rerum ordine declinarem, varietatibusque diſtinguendo opere & legentibus velut* deverticula *amoena, & requiem animo meo, quærerem.* Bene igitur factum a Cl. *Drakenborchio,*

borchio, quod in locis his *Livianis* emendatiora nobis, quam Editores tot ante eum alii, verba dedit. Ceterum, ſatiſne recte ſe habeant tria illa *Ciceronis* loca, in quibus vulgo *diverticulum* legitur, in *Orat. Partit. cap.* 39, in *Or. in L. Piſ. cap.* 21, & in *Or. pro Q. Roſc. cap.* 17, alii videant. De voce ipſa hoc addo, ita eam explicari a *Donato* ad *Terentii Eun. IV*, 3, 7: Deverticulum *eſt, ubi iter de via flectitur. Et proprie* deverticula *dicuntur, ad quæ de itinere devertendum ſit.* Legit enim in his etiam *Donati* verbis *deverticulum* pro vulgari *diverticulum Arn. Drakenborchius* in *Nota ad Livii Lib. I cap.* 51.

DIÆTETICUS, *Subſt.* A *Diætetica*, quam conſtat eam eſſe artem, quæ morbos curare per præcepta victus docet, ducitur nomen *Diæteticus*, eum notans, qui *profitetur hanc artem*, ſicut a *Chirurgia Chirurgus* dicitur. Habet id nominis antiquiſſimus Medicorum, *Scribonius Largus*, neſcio, an unus, in *Compoſit. med. cap.* 68 §. 200, his utens verbis, unde & origo nominis, & ſignificatio, optime cognoſci poteſt: *Ex eo intelligitur, quod neque Chirurgia ſine Diætetica, neque hæc ſine Chirurgia, id eſt, ſine ea parte, quæ medicamentorum utilium uſum habent, perfici poſſunt: ſed aliæ ab aliis adiuvantur, & quaſi conſummuntur. Itaque, quamvis ex magna parte ad* Diæteticos *pertinentes compoſitiones iam exhibuerimus, tamen quaſi claudicat & vacillat hic liber, niſi eas quoque compoſitiones, quæ ad Chirurgos pertinent, poſuerimus, quarum initium ex emplaſtris faciemus.* Ubi cum in una *Cratandri* editione per typographi

graphi errorem pro *diateticos* legatur *diataticos*, eundemque errorem *Io. Rhodius* in *Nota ad h. l.* agnoſcat; mireris, hunc ipſum adeo non caviſſe ab errore iſto, ut in ſua *Scribonii* editione vocem hanc eodem, quo *Cratander*, modo dederit expreſſam.

DIASMYRNES. Origine & natura ſua Græca vox, ſed quam in Latium, ſi non ipſe transtulit, tamen ab aliis translatam ſcribit *Scribonius Largus*, *collyrii* aliquod genus, ex myrrha, quæ Græcis σμύρνα dicitur, compoſitum, *Diaſmyrnes* vocans in *Compoſit. med. cap. 3 §. 26*: *Sed præcipue hoc Collyrium, quod quidam Athenippum, quidam* Diaſmyrnes, *quidam* εὐῶδες *vocant, quia boni odoris eſt.* Deſcribit deinde pluribus hoc Collyrium, ſed quæ aut parum noſtra intereſt noſſe, aut cuique commode legi apud ipſum Auctorem poſſunt. Ipſum Collyrium apud Græcos Scriptores varias habet appellationes, diligenter collectas a *Io. Rhodio* in *Nota ad h. l.*

DISSIMULATORIUS, *a*, *um*. Vel forma vocis te doceat, *Caſſiodorianam* eſſe. Huic Scriptori res, quæ vim diſſimulandi habet, *diſſimulatoria* dicitur in libri *de Amicitia cap. 12 § 10*: *Sicut autem ſimulatio & aſſentatio amicitiæ intoxicat puritatem; ſic diſſimulatio inter amicos parit & nutrit affectuum puritatem. Eſt enim quædam* diſſimulatoria, *ſeu diſpenſatoria, correctionis dilatio, pro loco, pro tempore, pro perſona.*

EBISCUM, EVISCUM. Quam plantam *Virgilius Ecl. II & X*, *Plinius* item *Hiſt. nat. Lib.*

XIX cap. 5, & *Celſus Lib. IV cap. 24*, *Hibiſcum*, quam & *Ibiſcum* alii, ut *Apuleius de Vir. Herbar. cap. 39*, & *Palladius de Re ruſt. Lib. XI cap. 1*, vocant, eadem aliis *Ebiſcum*, aliis etiam *Eviſcum*, dicitur. Et *Ebiſcum* quidem Latinis dici, vel Scriptoris Græci, *Dioſcoridis*, teſtimonio conſtare poteſt. Ita enim ille *Lib. VI cap. 1*: Ἀλθαία, ἣν ἐβίσκον ὀνομάζουσι Ῥωμαίοι. In quo vera eum ſcripſiſſe, duo vel unius *Scribonii Largi* in *Compoſitionibus medicis* loca docent; alter *cap. 20 §. 80*: *Ad ſtrumas bene facit radix cucumeris ſilvatici, cocta ex aqua mulſa & trita, atque ita impoſita; item* ebiſcum, *eodem modo factum*, &c. ad quem locum, legenda inprimis ſunt, quæ *Io. Rhodius* in *Notis* commentatur; alter eodem *Capite §. 82*: *Hæc omnia oleo ad ignem liquefacere oportet, & poſtea miſcere - -* ebiſci *radicis aridæ P. quadrantem*, &c. Sed *eviſcum* etiam dicitur hæc planta a *Plinio Valeriano*, Medico vetere, *Lib. I cap. 6*, *Lib. II cap. 31*, & *Lib. III cap. 13*, quæ loca, indicata a *Io. Rhodio l. c.*, evolvat, cui ad manum eſt *Valerianus*. Huius appellationis rationem, ingenioſam magis ex iudicio *Rhodii*, quam veram, hanc reddit *Æmilius Macer* in Carmine *de Herbarum virtutibus*:

> - - - *dicunt* eviſcum, *quod quaſi viſco*
> *Illius radix contacta madere videtur.*

ECQUI, *Adverb.* Ut a *quis* Adverbium *qui*, ſic ab *ecquis*, facili compoſitione, *ecqui* ducitur. Utentem hac vocula *Tullium* videmus *Lib. I Tuſc. Diſp. cap. 8*: Ecqui *ergo intelligis, quan-*

tum

tum mali de humana conditione delecteris? Sic enim in emendatiſſimis *Victorii, Verburgii*, & *Daviſii*, editionibus legitur; & ſic habere optimos quosque MStos Codices, *Ianus Gebhardus* in *Nota ad h. l. Ciceronis* teſtatur. Olim autem pro *ecqui* legebatur *ecquid*, quod & ipſum ferri poſſet, ſi ex Codicibus ita bonis, ſicut illi ſunt qui habent *ecqui*, probari poſſet. De ſignificatu vocis ſi requiras, docet contextus verborum, idem eam valere, quod *an*, *num*, ſecus ac *qui*, quo ſignificatur *quomodo*. Præter hunc *Ciceronis* locum an uſquam alibi legatur hoc Adverbium, mihi quidem non eſt cognitum.

EFFRENO. Vix venia dignum putes, etiam tales voces, quæ ſunt in nobiliſſimis ætatis purioris Auctoribus obviæ, in Lexico non annotatas. Eſt in hoc numero, ut nunc cetera taceam, deinde proferenda, vocabulum *effreno*, purum utique, & in magno pretio habendum, ſi quid valere putes auctoritatem *Silii Italici*, nobiliſſimi Poetarum, ita canentis *Lib. IX Punicorum v. 491*:

Cum ventis poſitus cuſtos, cui flamina carcer
Imperio compreſſa tenet, cœlumque ruentes
Eurique, & Boreæ, parent, Corique, Notique,
Iunonis precibus, promiſſa haud parva ferentis,
Regnantem Ætolis Vulturnum in prælia campis
Effrenat. *Placet hic iræ exitiabilis ultor.*

Quæ ſit ſignificatio vocis, ipſe verborum contextus docet. Inde ſcilicet eſt *effrenatus*, notiſſimum, & Auctoribus antiquis uſitatiſſimum,

vocabulum, notans id, quod *efferum eſt*, & *impatiens freni*, ſicut *effrenare in prælia* in hoc loco *Silii* idem eſt, quod *ad prælia ferocem efficere*.

ENISE. Cum vocem *eniſus* a ſimili *enixus* diſtinxerit *Faber* in *Theſauro*; mihi etiam liceat ab Adverbio *enixe* ſimile *eniſe* diſtinguere, quorum alteri locus datus eſt in Lexico, alteri autem nunc demum auctoritatem ex Scriptoribus antiquis dabimus. Et quidem, non ignotam veteri fuiſſe Latio hanc voculam, loca complura docent *Livii*, ita nunc exhibenda, ſicut exſcripta ſunt in editione *Livii Drakenborchiana*, emendatiſſima omnium, & ad probatiſſimos Codices expreſſa. Nam, quod in aliis *Livii* editionibus, etiam *Gronoviana* illa, pro *eniſe* exſcriptum eſt *enixe*, id non tam meliorum fide Codicum, quam ne locus fieret vocabulo, illis ipſis Editoribus incognito, mihi factum videtur. Sunt igitur hæc *Livii* notanda: *Lib. XXIII cap. 7: Ab univerſis id non obedienter modo, ſed* eniſe, - - - *factum eſt*. *Lib. XXVIII cap. 35: Cupere ſe illi populoque Romano operam navare, ita ut nemo unus externus magis* eniſe *adiuuerit rem Romanam*. *Lib. XXXIX cap. 1: Non ipſis tantum ea res, ſed omnibus Siciliæ populis, grata fuit; eoque* eniſius *ad bellum adiuverunt*. *Lib. XXXIV cap. 46: Dum repetunt* eniſe *ſignum, priores ſecundani ſe porta eiecere*. Denique *Lib. XXXVI cap. 25: Cum* eniſe, *velut propoſito certamine, Romani Macedonesque diem ac noctem aut in ope-*

operibus, *aut in prœliis*, *eſſent*, &c. Ceterum, quod ad huius voculæ ſignificationem attinet, nemo dubitet, ut *eniſus* idem eſt, quod *enixus*, ita *eniſe* idem valere, quod *enixe*, hoc eſt, *modis omnibus*, *omni animi contentione*.

EPICOPUS, *a*, *um*. Duplicem errorem commiſit *Faber*, ſed quorum alter ex altero originem duxit. Nam, cum Subſtantivum faceret hanc vocem, non poterat non ſignificationem eius hanc ponere: *phaſelus*, *qui remis agitatur*. Utrumque falſum. Non enim Subſtantivum eſt, ſed Adiectivum, *epicopus*, nec *phaſelum*, *qui remis agitatur*, ſed, ut fert natura adiectivi nominis, *quicquid eſt inſtructum remis*, notat. Nimirum, cum ſit Græca, non Latina, vox *epicopus* (ἐπίκωπος), neceſſe eſt, eam æſtimari ex Scriptorum Græcorum uſu, quorum nemo eſt, qui voce hac, non addito Subſtantivo, utatur. Nam, *Diodoro Siculo Lib. XIV* ναῦν ἐπίκωπον, & *Athenæo cap. 65* κέρκουρον ἐπίκωπον, dici, doceat te, ſi vel ipſos Scriptores evolvendos non putes, *Io. Schefferus de Milit. nav. vet. Lib. II cap. 2 pag. 64*. Sed, ſi veteri etiam Latio cognitam hanc vocem putes: in quo ſatisne recte facturus ſis, vel illud dubitare nos iubet, quod duo illa *Ciceronis* loca, quæ proferri vulgo ſolent, valde ſint incertæ lectionis; ne ſic quidem, in Subſtantivis habendam, probabis. Nam ille ipſe locus, quem allegari a *Fabro* video, *Lib. XIV ad Attic. Ep. 16*, manifeſto docet, ut *epicopus* dici poſſit *phaſelus*, *qui remis agitatur*, neceſſe eſſe, ipſum nomen *phaſelus* ei

 accedat.

accedat. Sic enim *Tullius*: *Conſcendens ab hortis Cluvianis in* phaſelum epicopum, (alii *epiſcopum*,) *has dedi literas*. Sed & alter, multo vexatior corruptiorque, locus, *Lib. V ad Attic. Ep. 11*, ſi vel habere vocem hanc putandus ſit, in Adiectivis potius, quam Subſtantivis, poni eam debere, docet. Verba *Tullii* vulgo ſic leguntur: Ἄφρακτα *Rhodiorum*, *& dicrota Mytilenæorum*, *habebam*, & aliquid ἐπικώπων.

EPIDEMETICUM. Notabimus hic etiam errorem *Fabri*, valde ſimilem ei, quem paulo ante notatum vides, ſed in eo digniorem venia, quod ante *Fabrum* a pluribus commiſſus eſt. Nam, quod *Faber* Subſtantivum *Epidemetici* ponit, hosque ait fuiſſe *metatores hoſpitiorum in urbibus*, quos vulgo *Fourierer*, *Quartiermeiſter*, vocare ſolent, & ad hos ſpectare *Titulum Codicis de Metatis & Epidemeticis*, id, etiamſi ita in ipſius *Theſauro Stephani*, &, unde is deſumſit, *Alciati Annotationibus in Cod. Librum XII pag. m. 517*, legatur, nihil tamen minus, quam verum, putari poteſt. Sane tanti nobis non eſt auctoritas *Alciati*, ut rationibus manifeſtis plus valere debeat; inprimis cum, quæ profert ipſe, coniecturæ potius, quam deliberatæ ſententiæ, nomen tueantur. Ita enim ille: *Sed quid, ſi legerimus* epidemeticis? *ut ita appellari credamus hosce metatores, quoniam in urbibus metarentur.* Ἐπιδημέω *enim idem valet, quod ad civitatem in rem præſentem venio. Metatores autem ſunt, qui præcedentes locum eligunt caſtris, ut ſcribit Vegetius.* Ubi laudem

meretur

meretur *Alciatus*, quod, reiecto recentiorum, quos vocat, *epimetaticis*, quo vocabulo illi ſignificari dixerant *inſcriptiones*, *a menſoribus in valvis ianuarum factas*, *ad ſignificandum*, *quis in ea domo hoſpitaturus eſſet*, diſceſſione etiam ab iis facta, qui *epidimeticis* legendum duxerant, aut ſi qui forte *epideigmaticis* legendum iudicaverint, legere nos, quod Græcis vocabulis ἐπιδημέω, ἐπιδημητικὸς, optime convenit, *epidemeticis* iuſſit. Quod vero, hoc *epidemeticis* eſſe a caſu recto *epidemeticus*, & nomine hoc appellatum illud genus hominum, quod communi olim metatorum nomine fuit cognitum, ſibi perſuaſit *Alciatus*, id eſt eiusmodi, ut nullo modo probari poſſit. Verior autem & aſſenſu digna omnium ſententia eſt *Iac. Cuiacii* & *Iac. Gothofredi*, quorum alter in *Commentariis ad tres poſtremos Codicis Iuſtin. Libros*, *Lib. XII Tit.* 40, alter in *Notis ad Codicis Iuſt. Lib. XII Tit.* 40, perſpicue docet, *metata*, in *Titulo Codicis* nominata, eſſe *hoſpitia*, *quæ ſupervenientibus militibus*, *vel aliis perſonis*, *provinciales præbeant*; *epidemetica* autem *pretia*, *quibus ſe rediment provinciales onere hoſpitum ſuſcipiendorum*; atque adeo illi *epidemeticis*, in rubro *Tituli*, quem dixi, nominato, non eſſe ab *epidemeticus*, ſed ab *epidemeticum*, originem. *Cuiacium* & *Gothofredum* ſecuti deinde ſunt plurimi illius *Tituli* interpretes, quos, ſi placet, vide. Facit etiam cum his *Petrus Burmannus* in libro *de Vectigalibus populi Romani pag. m.* 213. Nec mihi, cur diſcedendum ab

hac ſententia putem, cauſæ quidquam ſupereſt. Vel ipſa enim inſcriptio *Tituli*, ita ſe habens: *de Metatis* (non *de Metatoribus*) *&* *epidemeticis*, hoc docere poteſt, de rebus, non de perſonis, ſermonem eſſe. Ipſius autem *Tituli* lex ultima rem illam, quam voce *epidemeticum* ſignificari diximus, accurate deſcribit: *Ne quid Præſes, dum per provinciam oberrat, hac ſpecie exigat a Provincialibus, ne illos hoſpitio gravet, vel ut eis habere arma concedat. Qui ſecus fecerit, ut, dignitate bonisque ademtis, exilio perpetuo damnetur.* Pertinent hæc, inquam, ad *epidemetica;* cetera *Tituli* omnia ad *metata.* Dictum autem fuiſſe id, quod lege hac *Tituli* ultima deſcribitur, *epidemeticum*, tam certo, quam vix aliud quodque, conſtat ex *Cap. I Authenticæ: Ut nulli iudicum* &c. ubi ita *Iuſtinianus: Neque vero angariis, aut iis, quæ vocantur*, epidemiticis, *aut alio qualibet diſpendio, gravare noſtros ſubiectos* (iubemus): *neque conſuetudines nominare, aut quærere, quas forſitan aliqui prædictorum in proprium lucrum iniuſte adinvenerunt.* Nec diverſitas ſcripturæ (hic enim *epidemiticum* dicitur, quod in *Codice Iuſt*, *epidemeticum* vocatur,) diverſam rem facit. Non enim, quæ ſit rectior vocis ſcribendæ ratio, ſatis inter omnes convenit; etſi, qui *epidemeticum* ſcribunt, maiorem veri ſpeciem, quam ceteri, præ ſe ferant. Ceterum, quo tempore vectigal hoc, ad redimenda militum hiberna ſolvi ſolitum, abrogatum fuerit, patet, præter legem, quam dixi, *Tituli de Met. & Epid.* ultimam, ex *Novellis*

vellis 130 & 134. Idem vectigal olim, ſtante Republica, dictum fuiſſe *Prætorium*, quo nomine *Tullius* uſus eſt *Lib. V ad Attic. Ep.* 21, prorſus exiſtimat *P. Burmannus l. c.*, ſed a quo diſſentit Cel. *Io. Aug. Erneſti* in *Clave Ciceroniana* Voc. *Vectigal*, probabiliter & ex locis veterum Auctorum oſtendens, latioris, quam epidemeticum, ſignificatus eſſe *vectigal Pretorium*, *Ciceroni* memoratum, nec id tantum ad *hiberna militum*, ſed ad *res* etiam *alias redimendas*, ſolutum a provincialibus fuiſſe. Quæ cum huius loci non ſit diſputare, vel ad id tantum indicanda duxi, ut Lector, a me invitatus, ad legenda ea, quæ doctiſſime commentatus eſt Vir, quem dixi, præſtantiſſimus, ſe privato ſtudio convertat.

ERUBESCIBILIS. Non adeo nobile vocabulum; ſi quidem, quæ *Caſſiodori* ſunt, ex plurimorum iudicio in mediocri pretio habenda ſunt. Mihi obvium hoc eſt in huius libro *de Amicitia cap.* 21 §. 5: *Quocirca, ſicut hoc volutabro ſuis nihil eſt fœdius, nihil* erubeſcibilius, *ita nihil inquietius eſt, nihil a vera tranquillitate remotius.* Intelligunt autem omnes, *erubeſcibile Caſſiodoro* eſſe id, *quod pudorem facit.*

ESCO. Si *Fabro* credas, unum *eſcit* in libris veterum legitur, poſſitque adeo habendum hoc in numero imperſonalium putari. At mihi videtur ipſum verbum *eſco* in uſu olim fuiſſe, quod ipſius loca *Tullii* ſuppetant, in quibus plurali numero *eſcunt* legitur, quod fieri non poſſet, ſi imperſonalium naturam illud *eſcit* haberet. Ita nempe ille *Lib. II. de Leg.*

cap. 24 ex lege antiqua: *Quot auro dentes vincti eſcunt*, &c. & *Lib. III cap.* 3: *Aſi quando duellum gravius diſcordiaeve civium* eſcunt, &c. Quod vero ipſum *eſco* in Auctoribus antiquis fruſtra quæritur, id non tam docet, uſum eius olim nullum fuiſſe, quam hoc unum tantum, in literarum monumentis, quæ ad ætatem noſtram pervenerunt, veſtigium eius nullum exſtare.

EXHÆREDATOR. Vocem hanc ad auctorem, per me licet, *Caſſiodorum* referas. Certo antiquior mihi, qui hac uſus ſit, Scriptor non eſt notus. Is libri *de Amicitia cap. IX §. 5*: *Solus Ionathas, qui David, quaſi æmulo & exhæredatori ſuo, invidere poterat, aut offendere, reſiſtebat patri, deferebat amico*, &c. Ita editiones *Caſſiodori* omnes; at *Petrus Bleſenſis*, cuius ſæpius dixi *de Amicitia* librum pæne totum ex *Caſſiodori* hoc exſcriptum, pro *& exhæredatori ſuo* hæc habet: *& ex hæreditario iure ſuo*, non ſatis appoſite, ut recte iudicat *Ioan. Bern. Zinzerlingus* ad *Caſſiodori b. l.* Si verba *Caſſiodori*, ut dedi, ſana ſunt, *exhæredator* eſt *is, qui alterum hæreditate privat*.

EXUBERANTER. Etiam hoc vocabulum Auctorem *Caſſiodorum* agnoſcat. Habes hoc libri *de Amicitia cap.* 25 §. 3: *In elevatione manuum ſancta operatio deſignatur, cui iuſtus libenter inſiſtit. Certus eſt enim, quod meritis eius æterna retributio* exuberantiſſime *reſpondebit*. Ubi *exuberanter* idem eſt, quod *abundanter, copioſe*.

FALLACITAS. Voce hac idem, quem ſæpius

plus dixi, *Caſſiodorus* pro *fallacia* utitur in libri *de Amicit. cap.* 46 §. 2: *Pone iterum, quod veritas virtus*, fallacitas *vitium, exiſtimetur*; &c. & paulo poſt: *Vides, ſicut in ſuaviloquio non eſt* fallacitas *admittenda, ſic in duro ruſticoque ſermone non eſt* fluitas *omittenda*; ubi *vix quidquam ſani effluere*, indicat *I. B. Zinzerlingus* in *Nota ad h. l.* iubens nos aut admittere priorem lectionem, aut ita legere: *In ſuaviloquio* fallacitas *eſt omittenda.* Præterea, *fallacitas* ſcribendum, non *fluitas*, idem *Zinzerlingus* ex antecedentibus: *Veritas virtus*, fallacitas *vitium, exiſtimetur*, iudicat, ego vero ex oppoſito huic voci *veritas* liquere putem. Nec fateri me pudet, quid ſit illius vocabuli, me cum ignariſſimis neſcire.

FAMULATORIE. Nondum familiam *Caſſiodorianam* dimittimus. Utitur hic Scriptor formula, *famulatorie amare*, pro *ſerviliter, famuli more, amare*, in libri *de Amic. cap.* 5 §. 5: *In divitiis fides amicitiæ latet: qui* famulatorie amat, *in proſperis erit amicus, adverſarius in adverſis.* Aliter autem apud *Petrum Bleſenſem* hæc leguntur, ita ſcribentem: *Qui* ſimulatorie *amat in proſperis, adverſarius erit in adverſis*; quod æque ferri, ac alterum, poteſt, & commodum ſatis ſenſum habet. Sed editiones *Caſſiodori*, quæcunque exſtant, verba ita, ut dedi, exſcripta habent.

FINALITER. Ad barbaras roiicitur hæc vocula a *Voſſio Lib. IV de Vit. ſerm. cap.* 32, Auctores, qui eam uſurpaverint, non habente

niſi

niſi *Ebretum* quendam, *Oderioum*, & *Henricum de Haſſia*, inquinatiſſimæ ætatis homines, in quorum libris *finaliter* idem eſt, quod *tandem, denique*. Mihi vero, etſi non valde bonum, tamen nec ita malum, ſicut *Voſſio*, vocabulum videtur; quod nullum ſit dubium, melioris ætatis *Caſſiodorum* eſſe, quam, quos nominavit *Voſſius*, Scriptores illos. Habet enim illius *de Amicitia* liber duo loca, in quibus *finaliter* non *tandem, denique*, ſed *quod ſpectat ad finem*, notat. Horum alter eſt *cap* 19 §. 3: *Id autem ſpecialiter ab unoquoque diligitur, ad quod* finaliter *intentio tota dirigitur*; alter *cap*. 58 §. 5: *Profunda eſt* (charitas), *cum ab homine, propter Deum, vilitas & abiectio affectatur: longa eſt, quia* finaliter *perſeverat*: &c.

FINITIMUS, *Subſt*: Etſi origine & natura ſua in Adiectivis numerandum ſit hoc nomen; Auctorum tamen uſus Subſtantivum fecit. Et quidem, ut hoc probem, tria dabo loca *Caeſaris*, in quibus, manifeſtam huic voci virtutem Subſtantivi eſſe, nemo facile negêt. Horum primus eſt *de Bel. Gal. Lib. II cap*. 4: *Sueſſiones* ſuos *eſſe* finitimos; alter *eod. Lib. cap*. 16: *Una cum Atrebatibus, & Veromanduis*, finitimis ſuis; tertius *Lib. V cap*. 27: *Quod eius opera ſtipendio liberatus eſſet, quod Atuatius* finitimis ſuis *pendere conſueſſet*, &c. Similia his *Ciceronis* ſunt loca: *Pro Leg. Manil. cap*. 4: *Qui poſteaquam -- ſe Boſporanis*, finitimis ſuis, *bellum inferre ſimulaſſet*, &c. & in *Or. pro P. Sulla cap*. 20: *Cuius pater, cum ceteri deficerent* finitimi *ac vicini*,

vitini, ſingulari exſtiterit in rempublicam noſtram officio & fide, &c.

FRUMENTARIUS, *Subſt.* Adiectivo *Frumentarius*, cui locus in Lexico datus, accedere vel maxime eiusdem nominis Subſtantivum debebat. Eſt enim vox hæc ſatis cognita purioris ſeculi Auctoribus, his notans *eum, qui frumentum vendit.* Et ipſius quidem *Tullii* hæc omnibus patent *Lib. III de Off. cap.* 13: *Non igitur videtur nec* frumentarius *ille Rhodius, nec hic ædium venditor, celare emtores debuiſſe*; & illa *cap.* 16: *Non recte* frumentarius *ille, non recte ædium peſtilentium venditor, tacuit.* Inprimis etiam *Livio* familiare eſt vocabulum, utenti eo *Lib. IV cap.* 12: -- *criminando inde & obiiciendo iræ populi* frumentarios, &c. ubi in Nota *Drakenborchius*: Frumentarius *eſt mercator, qui lucri cauſa frumentum coemit, ut maiori pretio poſtea divendat.* Alia *Livii* habes *Lib. IV cap.* 15: *Sp. Melium, cui tribunatus plebis magis optandus, quam ſperandus, fuerit*, frumentarium divitem *bilibris farris ſperaſſe libertatem ſe civium ſuorum emiſſe*, &c. & *Lib. XXXVIII cap.* 35: *Et duodecim clypea ærata ab Ædilibus curulibus, P. Claudio & Ser. Sulpicio Galba, ſunt poſita ex pecunia, qua frumentarios ob annonam compreſſam damnarunt.*

GEHENNALIS. Hac voce idem, quod ſimili *infernalis*, notatur *Caſſiodoro de Amicit. cap.* 22 §. 32: *Nihil ei ad menſuram minuti tribuere poſſes, ſi in retributionem eorum, quæ pro te ſuſtinuit,*

nuit, te mille millies annis etiam gehennali incendio *cruciares;* & *cap.* 24 §. 4: *Iſti inter flagella Dei murmurant, blaſphemant, & pœnis præſentibus pœnas* gehennales *accumulant.*

GERMANA. Non excludi hoc nomen, idem, quod *ſoror germana*, notans, numero Subſtantivorum debet. Frequentior enim huius apud veteres Auctores uſus eſt, quam ut in locis, quæ oſtendunt eam, omnibus ellipſis vocis *ſoror* agnoſci debeat. Fieri tamen potuit, ut ellipſis hæc originem daret Subſtantivo, qualem, ut ſatis conſtat, alia complura habent. Exempla Auctorum hæc dabo: *Catulli* in *Carm.* 90 *v.* 5:

Sed neque quod matrem, nec germanam *eſſe videbam*
Hanc tibi, cuius me magnus edebat amor;

Ovidii in *Ep. her. V v.* 113:

Hoc tua (*nam recolo*) *quondam* germana *canebat,*
Sic mihi diffuſis vaticinata comis?

& *Ep. VI v.* 159:

Quam fratri germana *fuit miſeroque parenti*
Filia; tam natis, tam ſit acerba viro;

& *Ep. IX v.* 165:

Iamque vale, ſeniorque pater, germana*que Gorge,* &c.

& *Amor. Lib. II El. V v.* 25:

Qualia nec fratri tulerit germana *ſevero;* &c.

& *Faſtor. Lib. VI v.* 17:

Ex illis fuit una, ſui germana *mariti;*

& *Ep.*

& *Ep. her. IX v. 7:*

Hoc velit Euryſtheus, velit hoc germana Tonantis;

& *Metam. Lib. VI v. 582:*

Evolvit veſtes ſævi matrona tyranni:
Germanæque ſuæ *carmen miſerabile legit;*

& *Faſt. Lib. III v. 560:*

Pellitur Anna domo: lacbrymansque ſororia linquit
Mœnia. Germanæ *iuſta dat ante* ſuæ;

& *Met. Lib. IX v. 509:*

Nec, niſi qua fas eſt germanæ, *frater ametur;*

& *Art. am. Lib. III v. 336:*

Vellera, germanæ, *Phryxe, querenda* tuæ;

& *Met. Lib. VI v. 564:*

Coniuge quæ viſo germanam *quærit:* &c.

& *eod. Lib. v. 444:*

\- - - - - - *magni mihi numinis inſtar*
Germanam *vidiſſe dabis;* &c.

& *v. 597:*

\- - - - - - - *portasque refringit,*
Germanamque *rapit;* &c.

Virgilii etiam *Georg. Lib. IV v. 377:*

\- - - *manibus liquidos dant ordine fontes*
Germanæ, *tonſisque ferunt mantilia villis;*

& *Æn. Lib. I v. 355:*

Clam ferro incautum ſuperat, ſecurus amorum
Germanæ: &c.

& *Lib. IV v. 478:*

Inveni, germana, *viam, gratare ſorori;*

& *eod. Lib. v. 492:*

Teſtor,

Teſtor, chara, Deos, & te, germana, *tuumque*
Dulce caput, &c.

& *v. 549:*

- - - - - - - - *tu prima furentem*
His, germana, *malis oneras*, &c.

& *v. 675:*

Hoc illud, germana, *fuit?* &c.

& *v. 501:*

Non tamen Anna novis prætexere funera ſacris
Germanam *credit:* &c.

& *v. 686:*

Semianimemque ſinu germanam *amplexa fovebat*
Cum gemitu, &c.

& *Lib. IX v. 594:*

- - - - - - - - *Turnique minorem*
Germanam, *nuper thalamo ſociatus, habebat;*

& *eod. Lib. v. 804:*

- - - *aeriam cœlo nam Iuppiter Irim*
Demiſit, germanæ *haud mollia iuſſa ferentem;*

& *Lib. XII v. 679:*

- - - *nec me indecorem,* germana, *videbis*
Amplius, &c.

& *eod. Lib. v. 830:*

Es germana *Iovis, Saturnique altera proles.*

Plura, certo ſcio, non deſiderabis, Lector. Iam igitur, hoc addidiſſe unum, ſufficiat, in tanta exemplorum copia, ubi *germana* abſolute pro *ſorore* uſurpatur, ne unum quidem, ſaltem ex *Catullo, Ovidio*, & *Virgilio*, ſuppetere, ubi voci huic alia *ſoror* ſit adiuncta; ut

hinc dubitare fere liceat, an in voce hac ellipſis debeat intelligi.

GLADIOLUM. De voce hac pluribus a me actum eſt in *Specimine ſecundo Animadverſionum in Baſilii Fabri Theſaurum erud. ſchol.* Lipſiæ A. 1741, 4, edito, *pag. 81.* Cui libello cum in paucorum venire manus contigerit, erunt fortaſſe, quibus rem non ingratam faciam, ſi, quæ illo in loco a me dicta ſunt, hic, mutatis licet verbis, repetam. Nimirum, quod in Lexico ſuo *Faber* vocem ponit *gladiola*, idem, quod *gladiolus*, notantem, in eo, etſi ducem ſecutus *Stephanum*, non ſatis mihi feciſſe accurate videtur. Fruſtra enim huic nomini auctoritas petitur ex loco *Meſſalæ*, quem profert *Quintilianus Inſt. Orat. Lib. I cap. 6;* quo quippe inſpecto, nemo facile dubitet, vocem potius *gladiolum*, ignotam *Fabro*, quam *gladiola*, uſurpatam *Meſſalæ* fuiſſe. Ut iudicare poſſis, Lector, ipſa Quintiliani verba accipe: *Neque enim* tuburchinabundum *&* lurchabundum *iam in nobis quisquam ferat, licet Cato ſit auctor; nec* hos lodices, *quanquam id Pollioni placeat; nec* gladiola, *atqui Meſſala dixit; nec* parricidatum, *quod in Cælio vix tolerabile videtur; nec* collos *mihi Calvus perſuaſerit; quæ nec ipſi iam dicerent.* Parum acutus ſis oportet, ſi in *gladiola* caſum rectum ſingularis numeri, nec potius quartum pluralis, agnoſcas. Nam, ſi, cetera, quæ leguntur hic, vocabula antiqua, *tuburchinabundum, lurchabundum, lodices, parricidatum, collos*, caſu quarto poſita, intelligis, cauſam

non video, cur alio *Quintilianus* caſu uſus in *gladiola* putandus ſit. Eſt autem, cur, abiecto *gladiola*, alteri *gladiolum* locum facias, hæc inprimis certa, & ex Grammaticorum legibus petita, ratio, quod diminutiva nomina ſervare genus eius ſoleant, unde ducta ſunt, nec exemplum facile diminutivi oſtendi poſſit, quod, a maſculi, aut neutrius, generis voce formam habens, genere fœmineo ſit præditum. Iam vero certiſſimus in his rebus Auctor, *Varro*, docet, in uſu olim & *gladius* & *gladium* fuiſſe; de alio *gladia*, unde eſſe potuerit *gladiola*, prorſus tacet. Ut igitur a *gladius* eſt *gladiolus*; ſic a *gladium* originem habet *gladiolum*, ut omnes vident. Facit hic mecum *Turnebus* in *Nota ad h. l. Quintiliani: Varro annotat, veteres dixiſſe* gladius *&* gladium, *inde* gladiola *finxit Meſſala*. Ubi *Quintiliani* ratione dicendi utitur *Turnebus*, caſum quartum numeri pluralis pro recto ſingularis ponens, nec fieri poſſe ſibi perſuadens, ut, a *gladium* eſſe generis fœminei vocem ortam, lectorum alicui in mentem veniat.

HIBERNUM. Quaſi nullum ſingularis numeri apud veteres Auctores veſtigium exſtet, pluralem tantum in Lexico *Faber* habet, vocem *hiberna* ponens. Itaque non abs re fuerit, ſingularis numeri exemplum ex *Cicerone* proferre, in cuius *Lib. III ad Quint. Frat. Ep.* 1 *cap.* 1 hæc legis: *Subgrande cubiculum autem, &* hibernum *altum, valde probavi, quod & ampla erant, & loca poſita ambulationis uno latere, eo, quod eſt*

proximum

proximum balneariis. Ubi *hibernum* eſt locus ille villæ, in quo *hibernare*, hoc eſt, hiemem traducere, domini ſolent. Eodem ſenſu vocem habes in *Ciceronis Lib. XIII ad Attic. Ep. 29: In villa, cuius inſulſitatem bene noram, video nihil aut pauca mutata. Balnearia tamen laudat maiora; de minoribus ait* hiberna *effici poſſe.* His adde *Varronis* locum, in Lexico adductum.

HIERA. Hoc nomine Medicis antiquis *antidoti* quoddam genus, inventum a *Pacchio Antiocho*, auditore *Philenidis Catinenſis*, appellatum fuit. De hoc in *Compoſitionibus* ſuis *medicis* integro *Capite 23* agit *Scribonius Largus*, cuius ætate idem *antidotum* ab aliis Græco vocabulo πικρὰ, ab aliis διὰ κολοκυνθίδος, nuncupatum eſt. Græcum, ut nemo non videt, origine ſua vocabulum eſt, de cuius ratione vix melius quisquam te doceat, quam is, quem dixi, *Scribonius*, in *Capitis 23* §. *99* hanc appellationis rationem reddens: *Poſt binas ternasve acceſſiones danda erit* antidotos Hiera. *Hoc nomen enim tribuit ei Pacchius duas propter cauſas, ut exiſtimo. Unam, ne, eius nomen verum dicendo, oſtenderet, quæ eſſet. Dicitur enim a quibusdam* πικρὰ, *quia amara eſt; a quibusdam* διὰ κολοκυνθίδος. *Alteram, quo magis ſub tanta ſpecie nominis commendaret medicamentum.* Ad quem locum, inter alia, notat *Io. Rhodius*, antidotum hoc *Galeno de Præcognitione ad Poſthumum cap. 11* ἱερὰν πικρὰν vocari, idque *Eraſmum* ad *Senecæ Epiſt. 83 ſacram doſin* reddidiſſe; *hieram* autem, quod idem eſt, ac *ſacra*, ideo vo-

 catam,

catam; quod *ceteris praeſtans, & inſigniter utilis*, fuerit. Huius antidoti idem *Scribonius* mentionem facit *Cap. 40 §. 156: Ad lumborum dolorem & paralyticos* antidotos Hiera *Pacchii Antiochi melius omni medicamento facit.*

VII.

GISBERTI CUPERI AD THEODORUM IANSSONIUM AB ALMELOVEEN EPISTOLÆ,

NUNC PRIMUM EDITÆ A FRID. OTTONE MENCKENIO.

LECTORI SALUTEM DICIT F. O. MENCKENIUS.

Si quis hac ætate honor literis habetur; hoc omnes digniſſimum iudicant *Gisbertum Cuperum*, Conſulem Daventrienſem, doctrinæ vix ſatis unquam admirandæ Virum, &, quod magnam inprimis laudem habet, ſine oſtentatione doctum. Nam, quæ ſunt ab eo bona & præclara literis conſignata, horum plurima eo genere ſcriptorum complexus eſt, quod privatis magis amicorum, quam publicis omnium, inſervire uſibus ſolet, & ad famam acquirendam vulgo parum idoneum exiſtimatur. Epi-

ſtolare

ſtolare intelligo, quod, neglectum vulgo, &, ſi bene novi ingenium ætatis noſtræ, contemtum etiam, adeo familiare, ac velut in deliciis, *Cupero* fuit, ut de rebus etiam graviſſimis, & ad intelligendos veteres Auctores momenti plurimum habentibus, cum amicis, in quorum numero haberi, nemo fuit illa ætate vir doctus, qui non gloriæ ſibi duceret, colloqui per literas conſueverit. Factum igitur hoc magno Viri ſummi merito putari debet, ut & colligendis undique, &, inſigni literarum commodo, in lucem proferendis, ſi quas bona fortuna ab iniuria ætatis integras ſervaſſet, Epiſtolis *Cuperianis* operam adhibendam optimi quique & doctrinæ elegantioris ſtudioſi homines ſtatuerent, qui, ſi nihil unquam egregium & fructuoſum literis præſtitiſſent, aut præſtituri deinde eſſent, hoc uno, quod pulcherrimas ingenii *Cuperiani* reliquias ab imminente ipſis interitu vindicarunt, haberent ſane, cur tantum ſe meritos de literis, quantum qui poteſt maxime, iudicarent. Eſt hoc nomine, ut nunc alios taceam [a], commemorabilis inprimis induſtria doctiſſimi illius in Belgis viri, non alio niſi literæ *B.* indicio nobis cogniti, qui, cum a multis inde annis unum

a) Epiſtolæ *Cuperi* variæ a variis ſunt publicatæ, quarum accuratum indicem contexuit *Niceronius* in *Mémoires pour ſervir à l' hiſtoire des hommes illuſtres dans la Rep. des Lettres Tom. VI pag. 95 ſeq.*, ſed quem ſupplevit deinde celeberrimus ſacrorum in republica Memmingenſi Anti-

unum hoc egiſſet, ut diſperſas huc & illuc, & ſine duce aut comite errantes, Epiſtolas *Cuperi*, blande comiterque ad ſe vocatas, in quendam quaſi numerum colligeret, huius ſui ſtudii tam felices habuit ſucceſſus, ut coniunctas uno, codemque ſatis amplo, volumine *Cuperi* ad *Lacrozium*, *Montfauconium*, *Bignonium*, *Io. Clericum*, *Baſnagium*, *Gallandum*, *Martinum*, *Nicaſium*, *Iuriaeum*, *Antonium van Dalen*, & *Iſaacum Voſſium*, Epiſtolas, ſive Latino, ſive Gallico, ſermone ſcriptas, publicare anno 1742, atque hac ex parte ſatisfacere deſideriis multorum, poſſet [b]. Nec minori ſibi beneficio devinxit orbem literatum *Io. Georgius Schelbornius*, carum Muſis & bonis omnibus nomen, e tenebris in lucem revocando *Cuperi* ad

Antiſtes, *Io. Georg. Schelhornius*, in *Amœnitatum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & literariæ Tomo II pag. 758 ſeq.*

b) Inſcriptus eſt liber: *Lettres de Critique, d'Hiſtoire, de Litterature, &c. écrites à divers Savans de l'Europe, par feu Monſieur* Gisbert Cuper, *Burguemaitre de la Ville de Deventer, Deputé des Etats de la Province d'Over-Yſſel à l'Aſſemblée des Etats Généraux des Provinces-Unies des Pays-Bas, enſuite Conſeiller deputé de la même Province, & enfin Déput de leurs Hautes Puiſſantes à l'Armée des Alliés en Brabant & en Flandre, en 1706. Publiées ſur les originaux par Monſieur* de B. *A Amſterdam, chez Henri de Sauzet & Guillaume Smith, 1742,* 4. Quem librum certatim iis, quibus dignus eſt, laudibus proſecuti ſunt Ephemeridum ſcriptores, & nunc, quos ille lectores habet, ad unum omnes proſequuntur.

ad *Io. Chriſtoph. Wagenſeilium* [c], & *Io. Iacobum Scheuchzerum*, [d] Epiſtolas, hisque exornando ſuos *Amœnitatum* libros, vel uno hoc nomine legi ab omnibus, & in magno pretio haberi, digniſſimos. His addi præ aliis meretur inſigne illud non Patavinæ tantum Academiæ, quam ſua fama illuſtrat, ſed Muſarum etiam, quæ tantum ei, quantum doctiſſimo cuique, debent, ornamentum, *Ioannes Polenus*, qui, *Novis in Romanas Græcasque Grævii & Gronovii Antiquitates Supplementis*, in quibus tunc edendis occupabatur, non aliunde maiorem conciliari poſſe gratiam, exiſtimavit, quam ſi his accederent mutuæ *Cuperi* & *Ottonis Sperlingii Epiſtolæ*, & multæ numero, & doctrina ſelectæ, quarum copiam ipſi fecerat *Sigebertus Havercampus*, clariſſimus Lugdunenſium doctor, donatus hoc munere a *Ioanne Grammio*, Danorum *Peireſcio*, &, ſive doctrinam, ſive in artes bonas animum, ſpectes, ad gloriam non ſuæ minus gentis, quam literarum, nato. Hoc igitur cimelio *Polenus Supplementorum*, quæ dixi, *Tomum quartum* ditavit [e], nec fallar fortaſſe, ſi, ceteris omnibus,

Mm 4 quæ

c) Non niſi una eſt ad *Wagenſeilium* Epiſtola, cui locum dedit *Schelhornius* in *Amœnitatum literariarum Parte IV pag. 541.*

d) Sunt numero XXXIV, a *Cupero* ad *Scheuchzerum* datæ, Epiſtolæ, quas cum denis *Scheuchzeri* ad *Cuperum* publici iuris fecit *Schelhornius* in *Amœnitatum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ & literariæ Tomo II pag. 754 ſeqq.*

e) De his *Cuperi* ad *Sperlingium* Epiſtolis dictum eſt

quæ magno illo opere, ſive nova, ſive vetuſtiora, complexus eſt *Polenus*, minus ægre cariturum fuiſſe literatam rempublicam, quam hoc *Epiſtolarum* faſce, dixero. Quantumvis autem diligentes in conquirendis *Cuperi* ad viros doctos Epiſtolis hi, quos dixi, Triumviri f fuerint; facit tamen famæ & exiſtimationis, quæ, dum vixit, *Cupero* ſumma fuit, amplitudo, ut certiſſime mihi perſuadeam, epiſtolarum, quas ille de rebus doctis ad amicos ſcripſit, adhuc partem vix dimidiam e tenebris in lucem exiiſſe, nec dubitandum putem, quin, ſi his, quibus iam frui nobis iucunde licet, aliæ aliorum, quos amicos olim habuit *Cuperus*, copiæ ſucceſſerint, inſtructiſſimus aliquando *Epiſtolarum Cuperi* tanquam exercitus in aciem ſit prodíturus g. Habeo hoc iuſtiores, id ſperandi,

eſt copioſius ab Auctoribus *Novorum Actorum Erud. ad An. 1742 Menſ. Iun. Part. I pag. 296 ſeq.* quo in loco etiam, quantum commodi literis exſpectari ex his *Cuperi* Epiſtolis poſſit, ſpecimine uno & altero demonſtratum eſt.

f) Nuper etiam *Cuperi* & *Franciſci Blanchinii* Epiſtolas nonnullas mutuas, Numiſmata quædam aurea illuſtrantes, acceſſiſſe audio *Voluminis quarto* Operis egregii, ita inſcripti: *Saggi di Diſſertazioni Accademiche publicamente lette nella nobile Accademia Etruſca dell' antichiſſima città di Cortona*, cuius priora *tria Volumina* iam ante aliquot annos publicata ſunt, *quartum* nunc demum prodiit, nec adhuc, quod ſciam, Lipſiam pervenit.

g) In libro *Epiſtolarum, Orationum, & Carminum Henrici Newton, ſive de Nova Villa*, Lucæ A. 1710, 4, edi-

ſperandi, cauſas, quo leviore mihi ipſi opus labore fuit ad colligendam *Epiſtolarum*, quæ ſunt diligentiſſime a *Cupero* ſcriptæ, ſed de quibus publicandis ad hunc diem nemo cogitavit, ſpectabilem ſatis & numeroſam ſupellectilem, cuius, non diſſimulo, me nunc & uſu & poſſeſſione plurimum gaudere. Gaudendi autem mihi cauſa hæc eſt princeps ac præcipua; quod, mea ita fieri poſſe opera, intelligam, ut, quo-

4, edito, huius *Newtoni* ad *Cuperum* Epiſtolæ numero ſex leguntur, in quibus paſſim Epiſtolarum *Cuperi*, non ad *Newtonum* tantum, ſed ad *Magliabechium* etiam, *Fontaninum*, & *Bianchium*, datarum, mentio eſt facta. Sunt etiam inter *Henrici Noriſii* Epiſtolas, adiectas Operi eius poſthumo, ita inſcripto: *Iſtoria delle Inveſtiture delle dignità eccleſiaſtiche*, editoque Mantuæ A. 1741 maiore forma, tales nonnullæ obviæ, quas ille de rebus, ad antiquitates & numiſmata ſpectantibus, ad *Cuperum* ſcripſit, quibus ſi mutuæ *Cuperi* acceſſiſſent, magno ſibi beneficio doctos ad unum omnes illius Operis editor obſtrinxiſſet. His addo *Laurentium Patarol*, civem Venetum, & antiquitatum in Italia inveſtigatorem olim diligentiſſimum, cuius *Epiſtolas*, uno volumine concluſas, ante paucos menſes Venetiis neſcio quis forma, quam dicunt quartam, publicavit, in quibus ſunt variæ, ad hunc noſtrum *Cuperum* datæ, quibus non acceſſiſſe eas, (ita enim me docet amicus Venetus,) quas ad *Patarolium* viciſſim *Cuperus* dedit, literarum cauſa utique dolendum eſt. Vide, Lector, quanta copia *Epiſtolarum* in tenebris adhuc lateat, quibus in lucem proferendis ſi quis bonus & literarum ſtudioſus operam adhibere voluerit, næ is rem & gratam omnibus, & literis inprimis utilem, præſtiterit.

rum hondum ſatiata eſt legendi hæc, quæ pulchra illa & amabilis *Cuperi* Muſa, magno literarum bono, ſcripſerat, cupiditas, his nova iam, conquiſitiſſimis cibis exſtructa, & animorum habens pabula ſuaviſſima, menſa apponatur, atque ex meis hiſce opibus aliquis ad ſtudia humanitatis, & horum ſtudioſos, fructus redundet. Sunt enim hæ etiam Epiſtolæ ita docte & polite ſcriptæ, ita rebus ſelectiſſimis refertæ, iis denique ſuaviſſimi ingenii floribus conſperſæ, ut, ſi fato quodam pereundum his fuiſſet, hinc ſummum accepturas detrimentum literas fuiſſe, certum ſit, nedum ferendum videatur, ſi, qui poſſunt tale & literis, & Manibus *Cuperi*, exſolvere officium, id, per moroſitatem quandam, nolint exſolvere. Eſt illiberalis hæc, privata neſcio quæ commoda publicis anteponendi, ratio a meis moribus hoc alienior, quo firmior hæc mihi omni tempore ſententia ſedit, nihil earum rerum, unde literis præſidia & adiumenta exſpectari poſſunt, ita eſſe cuiusquam proprium debere, ut non liberrime eodem uti aliis quibusvis liceat. Cuius legis ſi tot alii, qui revocare omnia ad turpes quæſtus ſolent, parum memores ſe præbent; non ideo a via, quam mihi & amor aliorum ſuadet, & recta ratio imperat, ipſe deflectam, ſed erit mihi ea ſemper ex divitiarum, quas dederit fortuna, uſu maxima voluptas, cuius participes per me factos non amicos tantum, & mearum rerum ſtudioſos, ſed eos etiam omnes, videam, qui

in

in iisdem mecum caſtris militant, & literarum non vulgari quodam ſtudio tenentur. Non igitur diu delitescere in ſcriniis meis paſſus ſum, quas nuper ſponte ac libenter (ita enim ſolet plerumque Vir, quem verum humanitatis exemplum appellare iure poſſis,) Berolino ad me transmiſit optimus ille, &, ſi varia in literas merita ſpectentur, omnium amore digniſſimus, *Io. Ludovicus Uhlius*, hoc, ni fallor, ipſe a Periluſtri *Iordano*, gazæ *Lacrozianæ* digniſſimo hærede, munere donatus, *Cuperi* ad *Almeloveenium* Epiſtolas, quippe ad uſum non unius, aut paucorum, ſed, qui paſcere animum ſuum antiquitatum Romanarum ſuaviſſimis deliciis ſolent, omnium, comparatas, dignasque adeo, quæ in manus eorum, quibus prodeſſe poſſunt, celerrime tradantur. Cuius in re mei ſtudii, amice Lector, largiſſimos tuliſſe mihi fructus videbor, ſi, quod merentur utique, diligenter a te legi has Epiſtolas, lectasque ita probari, ſicut te nunc ſpero probaturum, intellexero. Habebo hoc ipſum maximi loco muneris, quod mihi a te dari viciſſim poteſt, tantumque apud me valebit, ut ad publicandas, ſi quidem publicandi veniam mihi dederit is, a quo communicatæ mecum ſunt, eiusdem generis alias, doctas profecto & limatas, *Cuperi* ad *Ludovicum Bourguetum* Epiſtolas, hoc me ſis & promtiorem deinde, & alacriorem, habiturus.

EPISTOLA I.

EPISTOLA I.

THEODORO IANSSONIO AB ALMELOVEEN S. D. GISBERTUS CUPERUS.

Argumentum.

Munus literarium ei a ſe deſtinatum ſcribit. Dedicatum ſibi ab eo librum gaudet.

Simul *Harpocrates* meus & *Monumenta antiqua* inedita lucem adſpexerunt publicam, deſtinaveram ad te exemplar mittere; ut certo argumento cognoſceres, me non parvi facere eruditionem & diligentiam tuam, atque adeo me memoriam ſervare honoris, quem mihi habuiſti nuper, & mihi ante oculus verſari *Conjectanea*, a te feliciter ſatis illuſtrata, quæ mihi dedicare tibi viſum fuit. Iter primo Daventrienſe, inde negotia, qua publica, qua privata, me a ſententia depulerunt perquam invitum. Ecce, quapropter nunc primum accipias, quæ tibi dudum deſtinaveram, habeasque, rogo, perſuaſſimum, me valde conatibus ſtudiisque tuis favere. Vale. Daventriæ, Nonis April. 1687.

EPISTOLA II.

PRAESTANTI ET ERUDITO ADMODUM VIRO THEOD. IANSSONIO AB ALMELOVEEN S. D. GISBERTUS CUPERUS.

Argumentum.

Almeloveenio, Caſaubonorum Epiſtolas, & Fragmenta Poetarum veterum, edituro, varia ſubſidia pollicetur.

Ita

Ita eſt, cum clariſſimo *Lentio* de ſtudiis tuis, & indefeſſa, quam Auctoribus illuſtrandis impendis, opera locutus ſum; nec me erraſſe docet ipſa epiſtola, quam ad me nuper dediſti. Nam ex ea magno cum gaudio didici, te *Caſaubonorum* vitas componere, & colligere tantorum virorum literas, quæ nondum luce donatæ publica ſunt. Vellem equidem, conatus tuos, quibus nunquam deero, adiuvare poſſem; ſed curta mihi, ſi *Caſaubonos* ſpectes, ſupellex; nihilque poſſideo, quod tibi inſervire poſſit, quam tres epiſtolas ineditas; quarum primam ſcripſit *Dan. Eremita* ad *Iſ. Caſaubonum*; alteram *P. Venetus* ad eundem; & tertia eſt *Caſauboni* ad hanc reſponſio; quas mittam, ſimul ac eas deſideraveris. Noſti procul dubio, *Scioppium* ſatiram acerbiſſimam compoſuiſſe in Angliæ Reges, *Eduardum*, *Elizabetham*, & *Iacobum*, illamque inſcripſiſſe *Iſaaci Caſauboni Coronam regiam;* & neceſſe eſt, ut illius iniuriæ mentionem facias. Sed, dum de variis, ut fieri amat, rebus cum *Lentio* colloquor; veniebamus ad *Fragmenta Poetarum veterum*, quæ te illuſtraturum ſignificabas olim. Bina mihi ſunt exemplaria, impreſſa apud *Henr. Stephanum* A. 1564, & utrumque variis in locis a viris doctis emendatum; &, licet, uti poſtea animadverti, variæ emendationum illarum inſertæ ſint *P. Scriverii Collectaneis*, & caſtigationibus *Io. Ger. Voſſii*, tamen utiles reliquæ eſſe poſſunt; & omne hoc, quicquid eſt, haud gravate a me feres, ſi conatibus tuis inſervire

pote-

potero. Malo enim, alios fructum capere ex iis, quæ colligo, quam ignavis parietibus premere. Vale plurimum. Hagae Com. a. d. 12 Cal. Nov. 1688.

EPISTOLA III.
DOCTISSIMO VIRO
THEOD. IANSS. AB ALMELOVEEN
S. D.
GISBERTUS CUPERUS.

Argumentum.

De variis Amoenitatum Theologico-Philologicarum locis dubia ſua cum eo communicat. Duo vetera Epigrammata commemorat. I. F. Gronovii ſe uſum inſtitutione docet. Cœtierii Orationem laudat.

Hagam ex Tranſiſalania redux *Amoenitates* tuas *Theologico-Philologicas* avide perlegi, ſingularemque inde cepi voluptatem, quia varias antiquitates, tam ſacras, quam profanas, oblata inter confabulandum occaſione, illuſtras. Mei etiam te honorificam facere mentionem, perſpexi; eoque nomine gratias, quas par eſt, habeo. Et, quia opuſculum illud cognoſcendi cauſa ad me miſſum eſt, non inique, uti ſpero, feres, ſi tecum communicem, quid mihi de uno aut altero loco videatur. Inſcriptio, quam *pag. 15.* ex *Boldonio* affers, mihi videtur ſuppoſititia; barbarum certe ſeculum olent, *impero & volo*, *mandatum noſtrum exequente*, & alia. *Plato pag. 31* non loquitur de ſtatuis integris, ſed de *Mercuriis*; & *Mercurii* illi vel

κ'ερμαὶ non tam erant ſtatuæ pedibus manibusve exornatæ, quam columnæ, ſive potius lapides quadrati, quibus capita *Mercurii*, aliorumque Deorum & hominum, erant impoſita. Sic *Hermathena* eſt columna quadrata cum capite *Minervæ*; *Hermeraclas* cum capite *Herculis*; notus eſt *Mercurius* τετράγωνος; & eiusmodi columellis ſententiæ inſcriptæ fuerunt, non autem ſtatuis, quæ ita optimo iure appellari poſſunt; quanquam non negem, his etiam, & quidem femoribus ipſarum, nomina virorum, quos repræſentabant, fuiſſe inſcripta. In *Cenſorino pag.* 145 nihil mutandum exiſtimo; & vulgata ſcriptura optime ſeſe habet. Probaturus enim *Hippon*, ſemen ex medullis profluere, addit, illud inde patere, quod, ſi quis poſt coitum animalium mares continuo occidat vel perimat, in oſſibus eorum non ſit reperturus medullas, quia per coitum exhauſtæ, & oſſa vacua facta ſunt. Atque hoc eſt idem, quod dixerat ante, *poſt gregum conventionem* (ita enim recte emendas, ſi quid video,) *medullis mares exhauriri*. Velim, *Stukius pag.* 158 nos docuiſſet, quis Poetarum veterum finxerit, *Cupidinem*, vel *Amorem*, roſam *Harpocrati* conſecraſſe. Carmen enim illud, quod edidit vir eruditus, eius ſeculi videtur eſſe, quo roſis laquearia tricliniorum exornabant. *Tentat greſſus pag.* 214 mihi placet mirifice, & ſignificat, *aggreditur*; nam vinum pedes non tam tentat, quam debilitat. Noſti *Plautinum* illud: *Vinum luctator doloſus eſt, primum captat pedes.* Laudo

inſu-

inſuper diligentiam tuam in conquirendis, quæ ſparſim edita ſunt, Epigrammatis veteribus. Quodſi edoctus fuiſſem, te id agere, ſuppeditaſſem elegantiſſimum carmen, quod aurei ſeculi ad me miſit *Fabrettus*; non ſecus ac *Cneii Matii* carmen, prout illud digerendum atque ſcribendum iudicabat olim eſſe *Io. Fr. Gronovius*, vir eximiæ eruditionis & comitatis, quemadmodum ex publica inſtitutione didici, dum illi operam dabam Lugduni Batavorum. *Talpam plagiariam* non poſſideo; quin immo libri illius titulus mihi nunc primum ex epiſtola tua innoteſcit. Vidiſtine Orationem, quam elegantem *Cœtierius* habuit Franequeræ. Graphice in ea momos, & rigidos, imo latrantes, noſtri temporis cenſores, depingit; nihil certe verius, nihil melius, dici poteſt; rem acu tetigit, & recte fecit, quod perſtrinxerit ſtudii noſtri dedecora. Vale. Hagæ Com. 16 Mart. 1694.

EPISTOLA. IV.

CELEBERR. CLARISSIMOQUE VIRO, THEOD. IANSS. AB ALMELOVEEN S. D. GISB. CUPERUS.

Argumentum.

Almeloveenii de vocula *prope* obſervationem, & duorum Pomponii locorum correctionem, probat. Diſſentit ab eo, probante ex locis Suetonii & Obſequentis, lectos veterum velis, vel pannis, fuiſſe clauſos. Negat, lectos tricliniares circum triclinium fuiſſe ſtratos, & illos, in quibus Chriſtus cum diſcipulis ſuis accubuit, fuiſſe ſolito altiores. De eo, quid ſit *in penſili*, coniecturam profert. An lectis,

ctis, qui ante lectum funebrem ferebantur olim, paternæ maternæque gentis imagines fuerint impoſitæ, multis disquirit. Quid ſit *menſa* in Inſcriptione veteri, & quæ dicatur *menſa ſecunda*, docet.

Singularem voluptatem cepi ex literis, & binis Diſſertationibus, quas a. d. XI Cal. Ian. ad me miſiſti; tibique multum debeo, quod mei memineris perpetuo, & quod mecum agas de rebus, ad rempublicam literariam pertinentibus, quæ, exulcerátis hiſce temporibus, curas diſpellere, & animum, a negotiis ſæpe feſſum, exhilarare, ſolent. Recte iudicas, τὸ *prope* nemini uſurpari, niſi cum tempus, quod exprimitur, proxime ad complementum accedit, non autem, quando ſexaginta, vel quinquaginta, anni ſunt intermedii, & medicina, quam binis *Pomponii* locis facis, utique elegantias & Veneres ſuas habet, & ea ſcribendi ratione facili opera fieri potuit, ut imperiti librarii in fœdos illos errores laberentur, &, nusquam tam frequenter, quam in numeris, peccatum eſſe, inter eruditos conſtat. Legi etiam binas illas Diſſertationes, & gaudeo vehementer, iuvenes, qui earum auctores ſunt, te duce & auſpice tam probe cum Muſis rationem deducere, & ingeniorum ſuorum ſpecimina edere. Sed patere, ut quæram, an exiſtimes, ex *Suetonii Aug. cap. 82*, & *Iulio Obſequente*, conſtare, lectos veterum, ad inſtar noſtratium, velis, vel pannis, vel etiam tabulis, clauſos fuiſſe. Mihi quidem nullum dubium, quin *apertæ cubiculi fores*, & *valvæ cubili aperta*, de foribus cubiculi, vel conclavis, in

in quo lectus erat poſitus, explicari debeant, &, cum *Auguſtus* inter dormiendum captare voluerit flatus æſtivos, utique non valvæ lecti, ſi modo ita fuit conſtructus, ſed cubiculi, debuerunt aperiri. Verba *Obſequentis* petita ſunt ex *Suetonii Iul. cap. 81*, apud quem non *cubili*, ſed *cubiculi*, legitur, quomodo & hic ſcribi debere, recte notat *Schefferus*; ne iam dicam, a *cubile* non deſcendere *cubili*, verum *cubilis*. Conclavis autem valvas fuiſſe apertas, quam clariſſime patet ex *Plutarcho*, qui narrat, *Cæſarem* exterritum fuiſſe, omnibus cubiculi ianuis, pariterque feneſtris apertis, *πασῶν ἅμα τῶν θυρῶν τοῦ δωματίου καὶ τῶν θυρίδων ἀναπεπταμένων*. Doctiſſimus *Schefferus* per *θυρίδας* intelligit *fores*, & inde putat, *Suetonium fores*, *Obſequentem* vero *valvas*, nominare, & tam *fores*, quam *valvas*, fuiſſe apertas; ſed, cum *θυρὶς* etiam feneſtram deſignet, nihil cauſæ video, cur non præferri debeat verſio *Xylandri*, maxime cum procul dubio *fores* Suetonii, *valvæ* Obſequentis, & *θύραι* Plutarchi, eandem rem indicent, & ab ea *θυρίδες*, vel *feneſtræ*, diſtinguantur. Quin etiam exiſtimo, *τὸ cubiculum* nunquam uſurpari de *lecto dormitorio*; verum ſemper ſignificare conclave, ſive id dormitorium fuerit, ſive aliis uſibus inſerviens. Neque tamen negare velim, veteres lectos ſuos velis ac cortinis cinxiſſe, vel tabulis etiam clauſiſſe; cum ipſa rei natura id videatur ſuadere; ſed tamen nondum annotavi loca, quæ illud doceant, niſi quod *Ælii Veri* lectus *minuto reti-*

culo

gula undique incluſus fuiſſe legatur apud *Spartianum*; & ſunt eruditi, qui exiſtimant, lectos pannis non fuiſſe clauſos, quia, quando ditiores ſomnum, maxime meridianum, captarent, aliquis adſtans flabello ventulum faciebat, refrigerandi, & muſcarum ac culicum abigendorum, cauſa. Sed hac de re cogitandum amplius. *Pag.* 13 ſequentem ῥῆσιν non capio: *Dicti autem ſunt tricliniares a triclinio, circum quod ſternebantur.* Nam lecti tricliniares non ſternebantur circum triclinium, ſed circum menſam, quæ in triclinio erat poſita; & *triclinium* dictum eſt, quia tres lecti ſternebantur ad tria tabulæ vel menſæ quadratæ latera, quartumque linquebatur vacuum, ut ſervi cibos inferre poſſent. Nullum aliud erat inter lectos ſpatium; unde neſcio, quid ſibi hæc *pag.* 15 verba velint: *circa poſituram obſervare eſt, relictum fuiſſe inter lectos triclinares ſpatium miniſtris, qui, licet remotiores ſtarent paulo, dicebantur* AD PEDES. Nam ſervi a tergo accumbentium, & ita ad pedes eorum, ſtabant; quod ut facerent, nihil opus fuit ſpatio inter lectos triclinares vacuo; imo, ſi miniſtraſſent in illis ſpatiis, iam ſtetiſſent ad ultimi accumbentium tantum pedes, vel genua potius, & ad viri, qui in alio lecto iacebat, caput; quod plane ab omni ratione alienum eſt, & rem claram & perſpicuam nihil opus eſt operoſe probare. *Pag.* 18 non puto, lectos triclinares, in quibus D. N. I. C. cum diſcipulis accumbebat, altiores fuiſſe ſolito, quia mulier peccatrix non in-

 curvata,

curvata, non genu nixa, ſed *ſtans*, pedes eius oſculata, unguento perfuderit. Nam illa potuit ſeſe inclinaſſe, & ita dici ſtans hoc officium præſtitiſſe Servatori noſtro, cuius ſcilicet ad pedes ſtabat, non ſecus ac ſervi facere ſolebant. Quid? quod *Beza* exiſtimet, τὸ ςᾶσαι non opponi τῷ κεῖσθαι, ſed idem eſſe, quod *adeſſe*; & inde vir ille pius non aſſentitur *Eraſmo*, qui putabat etiam, thorum tam altum fuiſſe, ut erecta mulier attigerit pedes accumbentis. *Pag. 20*, *in penſili*, neſcio profecto, an ſignificet *lectum penſilem*; quem non *Herophilus*, verum *Aſclepiades*, Pruſa oriundus, & celebris tempore *Pompeii Magni*, Medicus, excogitavit, teſte *Plinio*, non *Lib. XXVIII cap. 3*, ſed *Lib. XXVI cap. 3*, &, cum mirum utique foret, prunas in lecto ponere, ſuſpicabar nonnunquam, *focum penſilem* debere intelligi; & *L. Æmilium Victorem* occiſum eſſe ab odore ligni, non ſatis bene combuſti, uti alias factum eſſe, patet ex hiſtoria veteri. *Pag. 25* examinandum diligenter, an lectis, qui ante lectum funebrem, in quo mortui cadaver vel effigies erat collocata, ferebantur, paternæ maternæque gentis imagines impoſitæ, an vero lecti illi, magnifice ornati, fuerint prælati ad augendam exequiarum pompam. *Io. Quenſted de Sepult. vet. pag. 120* ſcribit, lectos inſtratos antelatos; & *Lipſius Lib. I Epiſt. Quæſt. cap. 29*, imagines fuiſſe impoſitas longis perticis, ſive haſtis, ut fercula ſolent triumphorum, quæ ſi vere notantur, certe in lectis non videntur imagines maiorum fuiſſe

poſitæ,

poſitæ, quæ, cum in atriis ex cera collocarentur, humero tenus fictæ, & inde depromerentur ad ornandas exequias, commodiſſime videntur perticis imponi potuiſſe. Neque tamen alteram ſententiam plane reiecerim, quia animadverto, cereis illis vultibus reliquum corpus fuiſſe additum, & veſtibus ornatum, ut ita iis, quos repræſentabant, quam ſimillimæ illæ imagines eſſent. Locus hanc in rem perquam elegans eſt apud *Polybium Lib. VI cap. 51: Deinceps, ubi cadaver ſepelierunt, & iuſta peregerunt, imaginem defuncti in celeberrima parte ædium ponunt, lignea quadam ædicula circumtectam. Eſt autem hæc imago vultus ſimilitudo, quam accuratiſſime expreſſa, tum formatione figuræ, tum & pigmentis. Has imagines per ſolennitates publicas aperiunt, & cum ſtudio exornant. Cum autem illuſtris vir ex eadem gente vel familia diem clauſit ultimum, ad funeris elationem eas proferunt, &, ut quam ſimillimæ ſint defuncto, reliquum etiam corporis truncum adiiciunt. Hæc porro ſimulacra togas aſſumunt, ſi vir conſularis, aut prætorius, quis fuerit, prætextas; ſi cenſorius, purpureas; ſi triumphalis, aut ſimili quo alio honore functus, auro radiantes.* Nam, cum ita totus homo fuerit effictus, & ad inſtar vivi plane ornatus, non videntur eiusmodi ſimulacra perticis imponi, at contra lectis commodiſſime transvehi, potuiſſe. Sed & huic conjecturæ refragatur, quod ſequitur apud *Polybium: Αὐτοὶ μὲν ἐφ' ἁρμάτων οὗτοι πορεύονται, & hi quidem curribus vecti procedunt;* unde ſequitur, ima-

 gines

gines illas curribus, ad quos procul dubio iuncti equi erant, in pompis funebribus fuiſſe transvectas, in quibus ſcilicet ſtabant, cum ad roſtra ventum eſſet, imponebantur ſellis eburneis, ita procul dubio compoſito corporis trunco, ut flecti potuerint, & in currulibus ſellis poni. Miror, nec *Kirchmannum*, nec alios, *equos & currus* in pompa exequiarum memorare; & tamen, ita ſeſe rem habere, patet etiam ex *Dionis Lib. LVI pag. 591*, ubi funus *Auguſti* deſcribit: *Secundum hæc funus eius elatum fuit. Lectus erat ex auro & ebore conſtructus, purpureis ſtragulis, aureque intertextis, ornatus. In eius infima parte cadaver, arca incluſum, erat conditum; imago autem eius cerea habitu triumphali conſpiciebatur: hanc e palatio comitabantur Conſules deſignati; altera aurea ex curru, & alia ἐφ ἅρματος πομπικοῦ ἤγετο; in curru triumphali* (alii *pompali*) *ducebantur.* Neque enim mihi dubium, quin ad illum currum equi iuncti fuerint. Sed, cum mox ſequatur, avorum ipſius & cognatorum mortuorum imagines aliorumque fuiſſe *prælatas*, ἐφέροντο, crediderim, illas vel perticis, vel lectis, fuiſſe impoſitas, & ab hominibus geſtatas; & certe rationes loquendi evincunt ſatis ſuperque, imagines utplurimum geſtatas fuiſſe. Unde apud *Tacitum Lib. III Ann. viginti clariſſimarum familiarum imagines antelatæ ſunt*; apud *Porphyrium ad Epod. 7 Horat. in funere nobiliſſimi cuiusque ſolebant præferri imagines maiorum.* Et perticas ſeſe putat reperiſſe *Lipſius Lib. I Elect. cap. 29* apud *Silium Italium Lib. X* in funere *Pauli*:

Non

Non coniux, native, aderant, non iuncta propinquo
Sanguine turba virum, aut celſis de more feretris
Præcedens priſca exequiis decorabat imago.

Sed, cum *feretrum* generale vocabulum ſit, non video, cur non & lecti, vel fercula alia, poſſint deſignari. Nam & ita apud *Sueton. Calig. cap.* 15 ille dicitur *per ſplendidiſſimum quemque equeſtris ordinis cineres matris fratrisque duobus ferculis mauſoleo intuliſſe*, id eſt, duobus feretris, quorum ſcilicet ſingulis urnæ ſingulæ erant impoſitæ, & in quarum una erant cineres matris, & in altera fratris *Caligulæ*. *Schefferus*, vir doctiſſimus, *Lib. II cap.* 3 *de re vehic.* de imaginibus, quæ in exequiis ferebantur, agens, arbitratur, etiam *viventium imagines* in iis fuiſſe prælatas, quia apud *Suetonium Veſpaſ. cap.* 19 legitur: *In funere Favor, archimimus, perſonam eius ferens, imitatusque, ut eſt mos, facta & dicta vivi*, &c. Nam paulo ante hæc verba ita commentatur. Quin imo videntur aliquando non defunctorum modo, ſed & viventium, geſtaſſe imagines, præſertim virorum principalium ac magnorum, ut ſplendidius eſſet funus; easque imagines habuiſſe non in perticis longioribus ſolidas, ſed ſuper vivos homines intus latitantes, ut in pompa Circenſi ſolebat. Nam *imagines viventium ſunt imagines hominum viventium*; ſed, cum ipſe fateatur poſtea, mimum hunc fuiſſe in funere *Veſpaſiani*, non video, quomodo hic locum habere poſſit *imago viventis*,

viventis, cum utique *Veſpaſianus*, cuius facta & dicta repræſentabat *Favor*, diem ſuum obiiſſet. Hinc poſtea maiores ſibi difficultates nectit, cum ait, in funeribus ita defuncti imaginem præceſſiſſe, interdum nudam ſimplicemque, interdum animatam expreſſamque dictis factisque per eum, qui latens in ferculo geſtabat. Ita in funere *Veſpaſiani* factum, unde quoque *Favorem* tuliſſe perſonam *Veſpaſiani*, *Suetonius* aiebat; & *ferre perſonam alicuius* ſua ex ſententia eſſe, geſtare effigiem in ferculo, atque geſtu corporis ac oratione exprimere eum, qui eiusmodi effigie ſignificabatur. Quæ certe omnia mihi a ratione aliena & ἀπροσδιόνυσα videntur eſſe. Nam, ſi mimus tulit effigiem *Veſpaſiani* mortui, iam utique non potuit fuiſſe vivus, & imagines viventium in funere geſtatæ non ſunt; deinde nullius ferculi facit *Suetonius* mentionem, &, ſi in eo latuiſſet mimus, non video, quomodo *Veſpaſiani* dicta & facta referre potuerit; &, ſi ille effigiem geſſit in ferculo, an dicendum erit, eandem hoc feciſſe, an vero mimum; quod ultimum ſi verum, uti omnino eſt, nulla opus erat imagine. Quid multis? Error eſt inſignis, & inde patebit, viros etiam doctiſſimos interdum turpiter ſeſe dare. *Ferre perſonam* nihil aliud eſt, quam vultu & veſtitu ita aliquem repræſentare, ac ſi ipſe eſſet. *Fabor* caput ſuum texerat *perſona*, *een masque;* quæ non faciem ſolam, ut hodie, ſed totum caput, apud veteres tegebant; & forte etiam ita veſtitus fuit, ac *Veſpaſianus* ſolitus

erat;

erat; ut ita videretur idem eſſe. Quodſi *Schefferi* explicatio proba eſſet, iam, ſi diceremus *imponere alicui perſonam*, uti *Cicero* locutus eſt *Orat. contra Rullum*, ſignificaret, hominem eum effigiem geſtaſſe; & ſimilia eiusdem Oratoris, *tres perſonas unus ſuſtineo, meam, adverſarii, iudicis*, *is abiecit quæſtoriam perſonam*, ſimiliter forent explicanda; cum nihil aliud vox *perſona* deſignet, quam attributa perſonarum, quibus homines inter ſe diſtinguuntur, metaphora ſumta a perſonis tragicis. Sed tamen & *currus* nobis memorat *Statius VI Theb. v. 269:*

Exin magnanimum ſeries antiqua parentum
Invehitur, miris in vultum animata figuris.

Et iterum:

- - & magni vehitur conviva Tonantis.
Parte alia victor curru *Neptunia tendit*
Lora Pelops, preſſatque rotas auriga natantes
Myrtilus, & volucri iam iamque relinquitur
axe.

Nec non *Herodianus Lib. IV cap. 2*, ubi funus *Severi* deſcribit: Ἅρματά τε περιέρχεται ὁμοίᾳ εὐταξίᾳ, φέροντα τοὺς ἐφεστῶτας, ἠμφιεσμένους μὲν τὰς περιπορφύρους ἐσθῆτας, προσωπεῖα δὲ περικειμένους, εἰκόνας ἔχοντα ὅσοι Ῥωμαίων ἐνδόξως ἐστρατήγησαν, ἢ ἐβασίλευσαν, id eſt, interprete *Politiano: Currus item circumaguntur, inſeſſi purpuratis rectoribus, qui perſonas ferant ducum omnium Romanorum, principumque illuſtrium*; & id quidem ſatis bene, quia is dicitur *ferre perſonam*, qui perſona caput tectum habet, qua aliam refert. *Chevræus* in ſuis *Chevræanis*

anis Tom. II pag. 344 non ſatis caute reddit: *On faiſoit courir des chariots, ou les conducteurs, vetu de pourpre, promenoient des perſonnes de la premiere qualité de la ville, qui portoient des effigies des Empereurs Romains*, &c. quæ utique a ratione & mente *Herodiani* aliena ſunt plane. Neque curru vehebatur rector, nec alius, qui gerebat effigiem Imperatoris, ſed unus tantum currui inſiſtebat, uti in triumphis & aliis pompis fieri ſolebat, qui erat etiam rector, quippe perſonam induerat, & ita vultum referebat ducis, vel imperatoris, quem repræſentabat. Εἰκὼν hic non eſt *effigies*, ſed *ſimilitudo*. Ceterum neſcio, quid ſibi velit *Meurſius*, cum *pag. 78 de Funere* ſcribit: *Præter has maiorum imagines, ipſa quoque defuncti ferebatur in fronte lecti; obſerv. ex Taciti Lib. III Annal.: Ubi illa veterum inſtituta? propoſitam thoro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina, & laudationes, & lachrymas*, &c. Neque enim capio, quæ ſit *frons lecti*, aut quo pacto imago in fronte lecti potuerit ferri. Lectio corrupta virum eruditum decipit; ſcribendumque cum aliis doctis *propoſitam*, id eſt, in publico propoſitam conſpectu, in thoro, vel lecto, *lit de parade*, ita, ut ab omnibus videri poſſit, quod factum eſſe in funere *Auguſti* & *Severi*, *Dion* & *Herodianus* docent. *Pag.* 15 alterius Diſſertationis, *de Menſis veterum*, *menſam*, obviam in Inſcriptione veteri, non explicarem ſepulcra cum *Gutherio* & *Bergerio*; ſed crediderim potius, illas inſerviiſſe oblationibus & libationibus, quæ

mortuis

mortuis fiebant, id quod etiam ſentit *Kirchmannus Lib. IV cap. 2 de Funer.* & fuiſſe loco ararum. Nam, teſte *Feſto*, *menſa in ædibus ſacris ararum vicem obtinent*; ubi notat inter cetera *Scaliger*, ad ſepulcra rem divinam factam eſſe ſacro parentali; eoque nominē *menſas* in ſepulcris poſitas eſſe, & Græcanico & Romano ritu. Viros doctos in errorem coniecerunt non bene cognita veterum ſepulcra. Putabant, iis lapides quadratos, ut hodie fieri ſolet, impoſitos fuiſſe; id quod a moribus gentilium tam alienum eſt, ut precati fuerint mortuis ſuis *terram levem*, quod utique facere non potuiſſent, ſi tam ingentia ſaxa ſepulcris in ſuperficie terræ fuiſſent impoſita; unde nec iis potuerunt nomina inſcribi; & *Propertius*, cum canit:

Et breve in exiguo marmore nomen ero;

nequaquam de tali lapide, vel menſa, loquitur, ſed de lapide quadrato, cui in ſepulcro, vel prope illud, nomen defuncti erat inſcriptum; quomodo etiam explicandus *lapis ultimus* hoc in verſu:

Ultimus & poſito ſtaret amore lapis.

Apud *Plutarchum* in *Vita Iſocratis* legimus, monumentis *Iſocratis* & propinquorum ipſius menſas impoſitas fuiſſe ſex: ἐπὶ μὲν ἦν τούτων τράπεζαι ἐπῆσαν ἕξ, αἱ νῦν οὐ σώζονται: & mox, *prope Iſocratis ipſius menſam fuiſſe habentem poetas & magiſtros ipſius*: ἦν δὲ καὶ αὐτοῦ τράπεζα πλησίον ἔχουσα ποιητάς τε καὶ τοὺς διδασκάλους αὐτοῦ,

τοῦ, ἐν αἷς καὶ Γοργίαν εἰς σφαῖραν ἀστρολογικὴν βλέποντα, αὐτόν τε τὸν Ἰσοκράτην παρεστῶτα: *interque eos Gorgiam, qui in globum cœleſtem intueretur, adſtante Iſocrate*: quas τραπέζας puto fuiſſe ſaxa erecta, in quibus elogia mortuorum erant ſcripta, & figuræ etiam ſculptæ; vel etiam prope ſimulacra columellis impoſita, ut in iis mortuis parentari poſſit. *Ponere* autem *menſam* occurrit in *Inſcript. 6, DCCCL*, non autem in *3, DCXXXI*, uti in Indice legitur; ſed ſimpliciter *contra votum poſuit*, ſcilicet illud monumentum. Cum §. *31* actum ſit de menſarum multitudine; §. *32* additur, olim binas tantum cognitas fuiſſe menſas, alteram carnibus, alteram pomis, dicatam; iis adjectas binas alias, alteram epularum, alteram poculorum, unde aliquis ſuſpicari poſſet, alii menſæ carnes, ea ſublata, alii poma, alii epulas, alii pocula, fuiſſe impoſita; cum *menſa ſecunda* dicatur, quia, oblatis cibis, uni eidemque menſæ inferebantur bellaria & fructus, quæ eo nomine veniebant. Sed, ut verum fatear, patientia tua abutor. Prolixas & verboſas literas, ut ſpero, æqui bonique facies; nec ægre feres, me talia monuiſſe, quæ pertinent ad illuſtrandos ritus veteres. Epiſtolam ad *Anton. van Dalen* cures, rogo, & valeas plurimum. Davent. 10 Iun. 1701.

EPISTOLA V.

CLARISS. CELEBERRIMOQUE VIRO, THEOD. IANSS. AB ALMELOVEEN, S. D. GISB. CUPERUS.

Argu-

Argumentum.

Rogat eum, ut ſibi copiam faciat Notarum Fr. Iureti in Poetas Chriſtianos. Exempla Imperatorum a Victoria coronatorum varia commemorat.

Redditas tibi eſſe literas, quas ſatis prolixas primo Februarii ad te dedi, *) credo; nunc ecce novas, & alias a Clariſſimo *Cellario*, qui eas meæ fidei commiſit. Ego diu quæſivi *Fr. Iureti Notas in Poetas Chriſtianos*, & nunc easdem vehementer cupit habere *Cellarius*, quia *Sedulium* edere conſtituit, ad quem & ego levidenſes notulas meas miſi. Plurimum me & clariſſimum illum virum demereberis, ſi nos in parvum tempus earum compotes facere poſſes; ego curabo, ut ſalvæ ad te redeant. Quod ad ultimum prioris epiſtolæ meæ attinet, obſervavi poſtea, *Victoriam* coronare obvium Imperatorem, in gemma *Tiberiana*, quam edidi una cum Apotheoſi *Homeri*; *Commodum* in nummo a Siladenſibus & Mytilenenſibus percuſſo, apud *Philipp. Buonarotum*; *Maximinum* in alio apud *Noriſ. pag. 484 Epoch.*; *Gordianum*, & victorem ludorum, *pag. 424* & *385*, & *Herculem* in Gemma *pag. 53 Theſ. Brandeb.* Variæ res elegantiores ad me ſunt miſſæ, ſed tempore excludor, & propterea eas tibi annumerare non poſſum. Vale plurimum. Daventr. 3 Aug. 1701. **)

*) Has, utpote longiores, quam ut in hac *Miſcellaneorum Parte* locum invenire poſſent, in proxime ſecutura, aut quæ illam ſequetur, *Parte* leges.

**) Superſunt aliæ numero XXIV Epiſtolæ, quarum nullam patiar fruſtra a Lectore exſpectari.

INDEX

INDEX DISSERTATIONUM,
QUÆ
VOLUMINIS SECUNDI PARTE TERTIA
CONTINENTUR:

I. IO. CONR. SCHWARTZII Obſervatio de Motte corporis ſpirituali. Pag. 371 - 383.

II. PETRI ZORNII Diſſertatio de S. Petro, ſuper mare ambulante, ad *Matthæi XIV, 28 ſeq.* Pag. 383 - 395.

III. I. C. H. Demonſtratio, qua comprobatur, Ieſum, inchoato die 15 Niſan, cum diſcipulis agnum comediſſe paſchalem. Pag. 395 - 409.

IV. CHRISTOPHORI SAXII Ἐπίκρισις φιλολογικὴ, ſive Stricturæ, in nuperum Franci cuiusdam libellum, de incerto Hiſtoriæ Romanorum antiquiſſimæ. *Sectio II* continuata. Pag. 400 - 495.

V. I. A. ERNESTI Obſervatio ad *Livii Lib. II cap. 16.* Pag. 495 - 497.

VI. FRID. OTTONIS MENCKENII Voces aliquot Latinæ, quæ in Lexicis vulgaribus fruſtra quæruntur, ex priſcis Auctoribus collectæ. *Pars II* continuata. Pag. 498 - 534.

VII. GISBERTI CUPERI ad THEODORUM IANSSONIUM AB ALMELOVEEN Epiſtolæ, nunc primum editæ a FRID. OTTONE MENCKENIO. Pag. 534 - 559.

MISCELLANEA
LIPSIENSIA
NOVA,

AD INCREMENTVM
SCIENTIARVM,

AB HIS,
QVI SVNT IN COLLIGENDIS
ERVDITORVM NOVIS
ACTIS
OCCVPATI,
PER PARTES PVBLICATA.

VOLUMINIS SECUNDI PARS QUARTA,
QUÆ EST ULTIMA.

LIPSIÆ,
APVD IO. FRID. GLEDITSCHIVM.
MDCCXLIV.

I.

IO. DIETERICI WINCKLERI,

PROFESSORIS HAMBURGENSIS,

DE

EGREGIIS QUIBUSDAM GENTILIUM SCRIPTORUM TESTIMONIIS, VARIAS RELIGIONIS CHRISTIANÆ VERITATES EX THEOLOGIA, TAM DOGMATICA, QUAM MORALI, CONFIRMANTIBUS,

ΕΠΙΜΕΤΡΟΝ.

I.

Non heri demum, aut nudius tertius, cœpit inter eruditos obtinere mos iſte ſalutaris, ut, priusquam ad excolenda ſuperiorum, quas vocant, facultatum ſtudia admittantur iuvenes, literis humanioribus & ſcriptorum veterum inprimis lectioni navare iubeantur operam. Omni namque tempore, & ſingulis in diſciplinis, adeo apertus eſſe deprehenſus fuit horum uſus, ut non niſi optimo iure applicare hic liceat elegans SENECÆ effatum, *Epiſtola* ipſius *CVIII* obvium: *In eodem prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertam.* Videantur, qui pluri-

pluribus id demonſtrarunt, B. *Io. Michael Dilherrus* in Diſſertatione *de Uſu lectionis ſcriptorum ſecularium & antiquitatis*, Altorfii anno ſuperioris Seculi 35 ventilata, & in ipſius *Diſputationibus philologicis*, Norimb. A. 1652 in forma quadruplicata coniunctim editis, *Tom. I pag. 100 ſeq.* recuſa; *Georg. Calixtus* in *Apparatu theologico, pag. 45 ſeq. Iacobus Thomaſius* in *Præfationibus pag. 250, Claudius Eſpencæus de Profectu ex gentilium librorum lectione percipiendo*, *Io. Chriſtian. Langius* in *Protheoria eruditionis humanæ univerſalis pag. 762; Io. Franciſcus Buddeus* in Exercitatione *de Cultura ingenii*, Halæ A. 1699 habita; & in *Selectis Iuris naturæ & gentium*, ibidem A. 1717, 8, evulgatis, *pag. 293 ſeq.* recuſa, *cap. III §. 8 ſeq., Io. Georgius Walchius* in *Præfatione ad primam Partem Obſervationum* ſuarum *in Novi Fœderis libros* §. 7, *Chriſtianus Falſterus* in *Cogitationibus variis philologicis Part. I cap. I pag. 1*, ſumme venerabilis *Io. Laurentius Moshemius* in digno auctore ipſo Programmate *de Theologo, literarum humaniorum ſtudiis exculto*, quod ad ſolennem Reverendi *Chriſtoph. Auguſti Heumanni* promotionem doctoralem indicandam Helmſtadii A. 1718 evulgavit, *Auguſt. Nathanael Huebnerus* in eleganti, ibidem A. 1709 habita, *de Sapientia pagana non reprobanda* Diſſertatione, & *Io. Chriſtoph. Otto* in Diſputatione *de gentilium Auctorum lectione & uſu*, Lipſiæ A. 1715 publicata. Inſcitiæ ergo potius eſt, quam virtutis, cum *Roberto Barclaio*, *Valentino Weigelio*, *Ægidio Guttmanno*, aliiſque fanaticæ ſortis homini-

hominibus, * Auctorum, divini luminis expertium, lectionem ex orbis Chriſtiani ſcholis proſcriptam prorſus ac exterminatam velle, aut iis, ſacris qui ſe dicarunt diſciplinis, iudicare noxiam; cum, inſigne potius inde redundare non ſolum ad illas commodum, ſed & neceſſariam cunctis eſſe, qui rite præparati accedere ad dignius tractanda ſacra iſta geſtiunt, dudum agnoverint, qui de rebus iudicare ſobrie valent. Vid. iam laudati *Buddei Iſagoge hiſtorico-theologica Lib. I cap. 4 §. 8 ſeq. pag. 146 ſeq.* Ex veteribus legi hanc in rem præ ceteris merentur *Baſilius Magnus de legendis gentilium libris cap. 7 ſeq.* & *Auguſtinus* toto ferme *Libro II de doctrina Chriſtiana.*

* Quanto non zelo, ſed fervore, præter Codicem ſacrum omnes olim libros flammis tradiderit fatua iſta hominum progenies, narrat *Ioannes Sleidanus* in Comment. *de Statu religionis & reipublicæ Germanorum ſub Carolo V Lib. X.* Exponit etiam, Quackerorum quænam ſit de literarum ſtudiis intuitu Theologiæ ſententia, *Gerardus Croeſius* in *Hiſtoria Quackerorum Lib. II pag.* 307 *ſeq.* Duriora quædam *Weigelii* inprimis in rem literariam effata leguntur in Celeberrimi *Io. Guilielmi Bergeri* Exercitatione Academica *de Cauſis iacturæ rei literariæ,* Wittebergæ A. 1717 publico eruditorum examini expoſita, *Sect. II* §. 8. Ipſemet ea de re mentem ſuam craſſe ſatis prodit *Robertus Barclaius* in *Theologiæ vere Chriſtianæ Apologia Theſ. X* §. 18 *pag.* 196. Plura qui cupit, adeat *Io. Godofredi Zeiske,* Athenæi Lubenenſis Rectoris, Programma *de Bello, ſtudiis literarum, inprimis a fanatico hominum genere, illato,* A. 1736 fol. editum, *Godofredi Baueri* datam A. 1734 Lipſ. ad *Chriſtianum Schmidium*

Epiſtolam *de Fanaticis, Academiarum hoſtibus*, B. *Io. Chriſtoph. Coleri Hiſtoriam Godofredi Arnoldi*, *pag. 31 ſeq.* &c, qui primo fuiſſet loco nominandus, Summè Venerandi Lipſienſium Theologi, *Romani Telleri*, eruditum *de Philoſophiſmo exegetico* A. 1738 in iſta Academia evulgatum Programma.

II. Non ſine cordolio uſum huius lectionis fructumque ſenſit olim famoſus ille ac infauſtus eccleſiæ Chriſtianæ adverſarius, *Iulianus* Imperator, Apoſtatæ cognomine notus. Hic enim, teſte *Theodoreto Lib. III Hiſtoriæ eccleſiaſticæ cap. 8*, leges cum cœpiſſet palam adverſus pium Chriſti cœtum ferre, primo ſtatim loco vetuit, ne Galilæorum filii (ita per contemtum nominabat Chriſtianos,) Poetices, Rhetorices, ac Philoſophiæ, erudirentur ſtudiis, aut doctores horum, audituri iſtos, convenirent. Verebatur namque, ut, præter *Theodoretum*, docemur a *Socrate* in *Hiſtoria eccleſiaſtica Lib. III cap. 12*, & *Ammiano Marcellino Lib. XXII* & *XXV*, orci hic furore actus hoſtis, ne, ſi linguas artibus his acuiſſent Chriſtiani, gentilium Philoſophis eo reſponderent expeditius, & paganos τοῖς οικείοις πλεροῖς configerent. Quæ ne prætextu careret aſtutia ipſius infernalis, Chriſtianos, illæſa pietate atque ſanctitate, Poetas, Rhetores, Philoſophosque, legere minus poſſe venditavit, ideoque ab audiendis iſtis ſe arcere illos, perſuadere credulis anniſus eſt. Tendunt eo, quæ eius in *Epiſtola 42* leguntur hunc in modum: *Doctrinam rectam eſſe arbitramur non verborum linguarumve magnificum & ex-*

quiſitum ſonum, ſed mentis bene conſtitutæ ſanam affectionem, & veras certasque de bonis & malis, honeſtis & turpibus, ſententias. Quare, quisquis aliud ſentit, aliud ſuos diſcipulos docet, is tantum videtur a ſcientia, quantum a probitate, abeſſe. Quid? Homerus, Heſiodus, Deos habent doctrinæ ſuæ duces & auctores. Nonne eorum alii Mercurio, alii Muſis, ſacros ſe eſſe arbitrantur? Quare abſurdum eſt, qui horum libros exponunt, Deos vituperare, quos illi coluerunt. Neque tamen, quia abſurdum id puto, idcirco eos diſcipulorum cauſa ſententiam mutare iubeo, verum do optionem, ut ne doceant, quæ non bona eſſe cenſent. Sin docere malunt, doceant re ipſa & perſuadeant diſcipulis, neque Homerum, neque Heſiodum, neque quemquam eorum, quos interpretati ſunt, quosque impietatis, amentiæ, & erroris erga Deos, condemnarunt, talem eſſe. Nam aliqui, cum ex eorum ſcriptis alantur, mercedemque capiant, avariſſimos & ſordidiſſimos ſe fatentur. Si, in iis, quæ docent, & quorum quaſi interpretes ſedent, ſapientiam eſſe ullam, arbitrantur, ſtudeant primum illorum in Deos pietatem imitari; ſin in Deos ſanctiſſimos putent ab illis auctoribus peccatum eſſe, eant in Galilæorum eccleſias, ibique Matthæum & Lucam interpretentur, quibus vos obtemperantes a ſacris abſtinere iubetis. - - Doctoribus quidem & præceptoribus communis hæc lex ſtatuatur. Adoleſcentes enim, qui ire volent, minime probibentur; iniquum ſiquidem fuerit, pueros, adhuc ignaros, quo ſe vertant, ab optima via reiicere, ac

 metu

metu coactos ad patria inſtituta deducere. Conferri hic inprimis meretur docta, de iſto *Iuliani contra Philoſophos & Chriſtianos edicto*, Halæ A. 1702 habita Diſſertatio illuſtris Academiæ iſtius Cancellarii, *Io. Petri de Ludewig*; cui iungi ceteri poſſunt, a deſideratiſſimo iſto Gymnaſii noſtri decore quondam inſigni, & anteceſſore meo, poſt fata etiam venerando, *Io. Alberto Fabricio*, indicati in *ſalutari luce Evangelii, toti orbi per divinam gratiam exorienti*, *cap. 14 pag. 303 ſeq.* Iniuſte vero cum *Io. Enſio* in Oratione *de Perſecutione Iulianea* modo allegatum Cel. *de Ludewig* erroris arguere *Socratem*, huncque ſequentes, quod, a frequentandis ſcholis Chriſtianos prohibuiſſe *Iulianum* aſſeverent, bene monet Reverendus *Gottlob Fridericus Gudius* in Commentatione hiſtorico-eccleſiaſtica *de Artibus Iuliani, apoſtatæ, paganam ſuperſtitionem inſtaurandi*, Ienæ primum A. 1739 prelo ſubiecta, nuper vero *Pagano* ſuo, *Chriſtianorum laudatori ac fautori*, qui Lipſiæ A. 1741 in forma quadripartita recuſus eſt, *pag. 207 ſeq.* inſerta, §. *X*, cum re vera a cathedris non ſolum, ſed & ſcholis adeundis, Chriſtianos arcuerit edictum *Iuliani* allegatum. Docemur etiam ibidem a Cel. *Gudio*, *Socratem* citante, quantum potuerit rei Chriſtianæ Imperator, addiſcendis ſupra memoratis artibus interdicendo Chriſtianis; prouti nec abſque veneni ſui ſtillicidio iſtam in vulgus dedit legem. Inducit enim *Socrates Lib. V cap. 16* quendam, ſibi hoc in negotio γοργῶς & acriter occurrentem, qui, haudquaquam religioni

gioni Chriſtianæ conducere Poetarum lectionem, & periculoſam inprimis noxiamque eſſe Græcorum diſciplinam, Deorumque tradatus multitudo, aſſeruerit.

* Conf. *Tobiæ Eckhardi de Scholis, a Iuliana Apoſtata Chriſtianis occluſis*, Obſervatio, quæ in *Miſcellaneis Lipſienſibus Tom. IV pag. 195 ſeq.* legitur.

III. Fuerunt, maxime inter Romanæ eccleſiæ addictos, qui Theandrum noſtrum *Lutherum*, invidiam ipſi conciliaturi, accenſere illi nugivendulo haud erubuerunt. Aperte ſic de eo *Ægidius Camardus*, Ordinis Minorum quondam generalis, vir alias non mediocriter doctus, in *Elia Thesbita cap. 9 §. 7, quæ*, inquit, *ſententia* (reſpicit, hæc ſcribens, divi *Pauli*, Apoſtoli, obvium *Coloſſ. II, 8*, effatum,) *tantum apud Lutherum valuit, ut perſuaſerit Philippo Melanchthoni & Andreæ Caroloſtadio, adhuc ætate florentibus, & in diſciplinis ſecularibus eruditis, abſtinere ab omni librorum ſecularium uſu, nec aliud curare, quam de ſacris Bibliis volvendis & revolvendis, ut auctor eſt Surius.* Verum enim vero, prouti *Surio*, infenſiſſimo *Lutheri* hoſti, nullo iure fidem magis habeas, quam ſi de vita moribusque ſanctiſſimi Servatoris Phariſæorum allegarentur teſtimonia, ita impugnare potius debuiſſent, veritatis ac ſinceritatis ſi amantes exſtitiſſent, *Surius* atque *Camartus* excitatos Witebergæ motus *Caroloſtadii*, in quibus, referente *Bucholzero* in *Chronologia pag.*

484, ſcholas * vaſtavit, clamoribusque inconditis præclara multa ingenia variis in locis ſteriliſcere, ac, deſertis ſcholis, artium ſtudia abjicere, fecit. Quæ quidem omnia divum ut *Lutherum* noſtrum feriant, tantum abeſt, ut potius, quanta in ſcholas, literasque in ſpecie humaniores, actus fuerit propenſione, abunde teſtentur innumera temporum iſtorum monumenta, quæ larga ſegete commemorarunt ſcriptores, a B. *Fabricio* in *Centifolio Lutherano Part. I pag. 368 ſeq.* & *Part. II pag. 793 ſeq.* recenſiti. Conf. & quæ ex *Luthero* hanc in rem adducit *Iacobus Burckardus de Fatis linguæ Latinæ in Germania cap. 6 pag. 436.* Quod vero ad iſtos Wittebergenſes *Caroloſtadii* motus attinet, abſentem tunc fuiſſe *Lutherum*, quin imo zelum *Caroloſtadii* tanquam intempeſtivum ac iniuſtum aperte reprehendiſſe, &, ut olim ſuam adverſarium *Socrates*, confutaſſe, diſertis verbis teſtantur hiſtoriæ illius ævi conditores.

* Imprudens iſte atque intempeſtivus *Caroloſtadii* enarratur a *Sebaſtiano Fræſchelio*, verbi divini tunc temporis miniſtro Wittebergenſi, in Tractatu *vom Prieſterthum der rechten wahrhafftigen Chriſtlichen Kirche* &c. Wittebergæ A. 1565, 4, edito, *pag. 205 ſeq. Vito Ludovico Seckendorffio* in *Hiſtoria Lutheraniſmi Lib. I §. 121 Addit. 2 pag. 198*, & *Io. Bartholomæo Lenzio*, in Diſputatione *de Profeſſorum, natione Francorum, qui Wittebergam illuſtrarunt, ſerie*, Wittebergæ A. 1702 ventilata, §. 2. Mirum vero merito habet cordatos omnes rerum iudices, approbari factum *Caroloſtadii* potuiſſe ab Auctore *Obſervationis 8*, quæ *Part. III der auſerleſenen*

ſenen Anmerckungen über allerhand wichtige Materien und Schrifften, Francofurti & Lipſiæ A. 1704 edi in 8 cœptarum, legitur, pag. 208. Quare iuſte ille vapulavit B. Io. Frider. Mayero in Diſſertatione de Caroloſtadio, Gryphiswaldiæ A. 1708 habita.

** Ubi iuſtis inprimis laudibus condecoratus meritis pariter ac annis venerabilis Dreſdenſium Theologus, Valentinus Erneſtus Læſcherus, quod in præſtantiſſimis iſtis Ephemeridibus theologico-literariis, quæ ipſius ſub moderamine a primo inde Seculi præſentis anno ſub titulo der unſchuldigen Nachrichten in hunc uſque diem, licet mutata paululum inſcriptione, evulgantur, Anno 1702 pag. m. 262 ſimilem Claudii Fleury, in libro, Gallice de Selectu & methodo ſtudiorum edito, Luthero conſilium de literarum ſtudiis prorſus abolendis, hominibusque ab illis retrahendis, impudenter tribuentis, calumniam ex merito refutavit.

IV. Nec abhorrent a iuſto illo humaniorum literarum eruditioniſque amore, quibus cor ſapit, ipſarumque ſanctiorum diſciplinarum augmentum curæ eſt. Neque enim vel ſanctiſſimus Servator ipſe, vel, qui, ſacro eius ſpiritu acti, nobis celebrantur, divini ſanctioris doctrinæ præcones, Apoſtoli gentilium, diſciplinas leguntur unquam noxarum inſtar habuiſſe, penitusque reiiciendas iudicaſſe. Imo, conſulto factum hoc fuiſſe, opinatur citato ſupra loco Socrates, quoniam multi ſcilicet inter Græcos Philoſophi, quorum primi habentur Poetæ *, a ſummi Numinis cognitione procul haud abfuerint, Epicuræos Sophiſtasque alios, Dei providentiam negantes, diſerte coufutantes, hincque ſuis libris viris pietatis ſtudioſis utili-

tatis afferentes multum, licet, quod religionis noſtræ caput eſt, aſſecuti minus ſint, Chriſti ignorantes a ſeculis abſconditum myſterium. Primam hanc, cum ſint tractandi ethnicorum libri, putat eſſe rationem *Socrates*, cui alteram hanc iungit, quod, licet miranda ac divina prorſus dogmata tradant, & tam vivendi rationem rectam lectorum animis inſinuent, quam fidem, Deo ſe probantem, præbeant hominibus inſpiratæ divinitus ſcripturæ, artem tamen dicendi minus doceant, cuius quidem cauſa libris ſecularium ſcriptorum dandam eſſe operam, iudicat, quo adverſariis, arcem veritatis ſacram arte invadere conantibus, reſiſtere eadem, & palmam veritati vindicare, valeamus. Facillime etiam expugnari iſta ratione illos poſſe, perſuaſum habet *Socrates*, ipſis ſi eorum armis utamur contra iſtos, & propria eorum in ſinum tela reflectamus; prouti, talia veritum *Iulianum*, ad legem iſtam adverſus Chriſtianos promulgandam commotum fuiſſe, ſupra monui.

* Poetas antiquitus ſumma veneratione exceptos, maximoque in pretio fuiſſe, ita ut a Principibus foverentur, ditarentur a Regibus, certatimque ab omnibus amarentur, quamplurima teſtantur veterum memorias evolventibus obvia exempla. Cuius quidem exiſtimationis tantæ in cauſas ſi velimus paulo diligentius inquirere, variæ ſe haud contemnendæ offerunt. Ut enim ſilentio prætereaam ſingularem, carminibus quæ intereſſe ſolet, ſuavitatem, tres præcipue cauſæ fuiſſe gentilibus videntur, quibus perſuaſi, honore tanto Poetas proſecuti ſunt. *Primo* quidem vanæ

illos

illos tenebat opinio, divinitus inflari quodammodo, & furore entheo corripi, Poetas. Notiſſimum eſt *Ovidii* illud, quod de ſe ſuiſque Muſarum ſymmyſtis *Lib. III de arte amandi v. 549* canit:

Eſt Deus in nobis, ſunt & commercia cœli,
Sedibus æthereis ſpiritus ille venit.

Quod & *Faſtorum Lib. VI v. 5* repetit:

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo:
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Eadem refert, calculoque ſuo probat, Latii decus, *Cicero*, in habita *pro Archia Oratione cap. 8*, quando, *Atqui*, inquit, *ſic a ſummis hominibus eruditiſſimisque accepimus, ceterarum rerum ſtudia & doctrina, & præceptis, & arte, conſtare, Poëtam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi divino quodam ſpiritu afflari.* Quare iure ſuo noſter ille *Ennius* ſanctos appellat Poetas, quod quaſi Deorum aliquo dono atque munere commendati eſſe videantur. Quin *Plato*, celeberrimus iſte Philoſophorum ſui ævi, qui, haud æquus alioquin Poetarum cenſor habitus, e republica ſua expuliſſe eos dicitur, ſimilibus tamen eos elogiis ſæpius ornat, genusque eorum divinum eſſe, *Lib. III de Legibus* ſentit, & in Dialogo, *Io* qui inſcribitur, omnes, ait, Poetas bonos non arte, ſed θείᾳ δυνάμει, fundere ſua carmina, utpote ἐνθέους ὄντας καὶ κατεχομένους, numine qui ſint obſeſſi & afflati. Unde profecta quoque gentilium illa conſuetudo eſt, ut Poetas ſuos Prophetarum vatumque inſignirent nominibus, quod, uti divino illi inſtinctu futura prædicare ſolebant, ita ſimili hi pariter furore acti, carmina componere exiſtimabantur. *Orphea* paſſim ſalutari vatem, latet prorſus neminem. Legimus etiam, *Homerum* a *Luciano Dialogo de amoribus pag. 570* editionis Pariſienſis, dici τὸν μέγαν ἀληθείας προφήτην. Nec ipſe ſibi *Plato* ab iſto more temperavit, quo minus Deorum filios & Prophetas dixerit Poetas *Lib. II de Republica.*

Imo

Imo nec deſunt inter eruditos, qui eodem ex fonte appellationem Prophetæ deducere conantur, quam divus *Paulus*, Apoſtolus, Cretenſium Poetæ haud ignobili, *Epimenidi*, tribuit, ipſius de civibus ſuis verſum *Tit. I, 12*, proferens. Vide Scriptores, a magno quondam tam eccleſiæ noſtræ Hamburgenſis, quam totius orbis eruditi, ornamento, nunc deſideratiſſimo, *Io. Chriſtophoro Wolfio*, in *Curis* ſuis *philologicis & criticis Vol. III pag. 554 ſeq.* allegati, & *Io. Georgius Walchius* in Diſſertatione *de Tito, viro Apoſtolico*, Ienæ A. 1741 ventilata, §. *14 ſeq.* nec non *Petrus von Haven* in *Commentatione analytica in Epiſtolam Pauli ad Titum*, ſuperiori anno 1742 Halæ in forma quadripartita edita, *pag. 53*.

Accedit hactenus commemoratæ & *altera* ratio, magnam excitans olim in ethnicorum animis erga Poetas reverentiam, hanc nimirum, quod, immortalitati commendari, & ab oblivione vindicari, virorum illuſtrium nomina eorum ſcriptis, animadvertebant. Gloriæ deprehenduntur a natura ſtudioſiſſimi omnes ferme homines. Quare, eodem morbo gentiles pariter laboraſſe, mirum debet videri nemini. Neque tamen ita erant ſtolidi, ut vanam illam ſaltem aucuparentur gloriolam, ſecum quæ poſt fata non poterat non interire. Aliam potius ulterius, & in æternitatem uſque duraturam, anhelabat, eandemque Poeſeos beneficio ſe adepturos eſſe confidebant, excelſior quibus conceſſus erat animus. Et ſane, ſi, quod res dicendum eſt, multorum ipſa ignoraremus nomina, Poetarum niſi carminibus celebrata, & ad poſteritatem transmiſſa fuiſſent. *Hoc enim*, ut *Syneſii*, Cyrenaici Epiſcopi, verbis ex *Epiſt. XLIX ad Timotheum, Poetam*, utar, *arti poeticæ a Deo conceſſum eſt, ut gloriam hominum famamque diſpenſet.* Unde eleganter, ut ſolet, hanc in rem *Horatius Lib. IV Carminum Od. IX v. 25 ſeq.*:

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, ſed omnes illacrimabiles

Urgentur,

Urgentur, ignotique longa
Nocte, carent quia vate ſacro.
Paulum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus.

Cui concinit *Ovidius Lib. IV Ex Ponto Eleg. VIII v. 47 ſeq.*:

Carmine fit vivax virtus, experſque ſepulcri,
Notitiam ſeræ poſteritatis habet.

Erat hoc, quod *Achilli* fere invidebat magnus ille atque bellicoſus Orientis triumphator, *Alexander*, eum iſtius tumulum in Sigæo viſeret, ideoque fortunatum illum prædicabat, *Homerum* quod invenerit virtutis ſuæ præconem. Et vere addit, quando huius rei meminit in ſupra iam allegata *Oratione pro Archia Poeta cap.* 10, *Cicero: Nam, niſi Ilias illa exſtitiſſet, idem tumulus, qui corpus eius contexerat, nomen etiam obruiſſet.* Neque vero ipſe caruit ambitione iſta *Cicero*. Licet enim tribus ipſe libris Conſulatum ſuum, quo ad faſtidium uſque gloriatus ſemper eſt magnifice, metrice deſcripſiſſet, ab aliis tamen illuſtrari quoque eundem capiebat, quod eum *Archias* Poeta illi pollicitus eſſet, huius vehementer & inſigni cum affectu cauſam egit, illudque ipſum in defenſionem eius afferre nullus dubitavit. *Nam*, inquit *loc. cit. cap.* 11, *quæ res in Conſulatu noſtro vobiſcum ſimul pro ſalute huius urbis atque imperii, & pro vita civium, proque univerſa republica, geſſimus, attigit hic verſibus atque inchoavit, quibus auditis, quod mihi magna res & iucunda viſa, hunc ad perficiendum hortatus ſum.* Inſignis vero ac præcipuus ambitionis huius *Ciceronis* teſtis eſt eius ad *Lucceium* data *Epiſtola*, quæ 12 eſt *Libri V Epiſtolarum*, vulgo *ad familiares* quæ dicuntur. Petit namque ibi a *Lucceio*, hiſtoriarum ſcriptore, ut res, a ſe in Conſulatu geſtas, literis mandet, & ſeparato quidem volumine, ac maiori cum laude, quam hiſtoriæ patiantur leges, aut veritas ipſa, eum narrare merita ſua iubet. Ex quo, quantam

tam ex Poetarum, aliorum memoriam præcipue poſteris commendare ſolitorum, monumentis perceperint delectationem, hincque tam religioſe nomen eorum & Muſarum delubra coluerint gentiles, conſtat.

Liceat autem ſuperioribus, quas miræ Poetarum exiſtimationis in medium protulimus, cauſis *tertiam* etiam addere, in eo quærendam, quod, ex dulcibus iſtis Muſarum fontibus & Hiſtoriam, & Philoſophiam, & Ethicam, & ipſam Theologiam ſuam, hauſtam antiquitus ac derivatam eſſe, perſpiciebant. Vetuſtiſſimis namque nationibus omnibus in more fuit poſitum, illuſtria ut ſuorum facta, & ipſa quoque religionis morumque dogmata, verſibus conſignarent, ab ineunte ætate ediſcendis, & ad virtutum imitationem ſibi proponendis. Eandem itaque rationem ſecuti Græcorum Philoſophi, antiquiſſimis mythicisque, uti nuncuparunt ipſi, temporibus ea carminibus tradiderunt, quæ de Deo rebusque divinis ſentiebant, quæ vel facienda, vel fugienda, ſana dictitabat ratio, de naturalibus item rerum cauſis & effectibus, quæ animo conceperant, quæ denique ex traditionibus de maiorum ortu ac progreſſu, ſive de aliis etiam, fama acceperant: hæc, inquam, omnino verſibus olim comprehenſa relinquebant poſteris, tum ut iſto quaſi velo ſublimiorum ſcientiarum arcana occultarent ſolertiſſime, tum ut vulgum, metris delectari ſolitum, ad credenda iſta eo invitarent fortius. Ita *Olenis*, Lycii, ita *Pamphi*, Athenienſis, hymni, apud Græcos vetuſtiſſimi, fuerunt comparati. Ita & *Orphei*, ita *Muſæi*, ita *Lini*, aliorumque, erant exarata carmina, quorum ad nos memoria pervenit. Nec *Homerus* quidem eximendus ex hac claſſe erit, iudice *Horatio*, qui, quid in unaquaque re pulchrum, turpeve, quid utile, ſit, nec ne, melius & plenius ab eo, quam a *Chryſippo* & *Crantore*, tradi, exiſtimavit. Haud inde immerito Poetæ a priſcis appellati ſunt Theologi Deorumque

torumque myſtæ; quos ipſe *Plato θεῶν ἑρμηνέας καὶ ὑπηρέτας* nuncupavit, neque habiti indigni ſunt, qui *ſapientes* dicerentut, quod temperantiæ eſſent virtutumque omnium magiſtri. Conf. quæ de Poetarum apud ethnicos auctoritate docet *Cornelius Adami* in *Obſervationibus theologico-philologicis pag. 317.*

V. Inter varia autem & inſignia, quæ ex decenti prudentique gentilium Auctorum lectione in ſanctiores diſciplinas redundant, commoda illud ſine dubio præcipuum dicendum ac primarium, quod quamplurima afferat, non rationi ſolum rectæ conſentanea, ſed & quæ ſacro Codici congruunt mirifice, ac doctrinæ Chriſtianæ capita præceptaque, in his expreſſa, quam maxime confirment. Iniquum ergo foret utique, hæc ſi in ſacrum uſum & ſummi Numinis honorem convertere nollemus, commode quæ ſcopo huic inſerviunt. Quamvis enim, quod vel me tacente cuilibet patet, ſua ipſius certitudine nitatur ſanctiſſima noſtra religio, firmoque propriæ veritatis talo divina ſtet Scriptura, ea nimirum valens præſtantia auctoris, ea auctoritate pollens, ut ſupra omnia humanæ ſcientiæ faſtigia tantum caput attollat, quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi; inde tamen, vel ſuperfluam eſſe, vel inutilem, ſalutandam prudenter inſtitutam effatorum gentilium ſcriptorum cum religionis Chriſtianæ doctrinis comparationem, evinci nulla ratione poteſt. * Contrarium potius confirmant doctiſſimæ variorum, eorundemque celeberrimorum, viro-

rum lucubrationes, quibus religionis noſtræ capita quamplurima, ipſamque ſacram hiſtoriam, ex iſtius cum ethnicorum ſcriptis conſenſu illuſtrari atque confirmari eo fortius poſſe, illi demonſtrarunt. Hos inter primo loco nominandus *Humfredus Prideaux* eſt, qui Anglicano idiomate opus egregium, inſcriptum: *Vetus & Novum Teſtamentum in hiſtoria Iudaeorum & vicinarum gentium connexum, a declinatione regni Iſraelis & Iudæ usque ad tempora Chriſti*, *duobus Tomis* anno 1716 & 1718 in lucem edidit, magna exceptum multorum approbatione, & Gallica pariter ac Belgica Germanicaque civitate donatum, teſtibus *Io. Franciſco Buddeo* in *Iſagoge hiſtorico-theologica Lib. II cap. 6 ad §. III pag. 871*, & *Michaele Lilienthalio* in *Bibliotheca* ſua *Biblico-exegetica*, vernacula lingua evulgata, *pag. 338 ſeq.* qui ephemeridum etiam, in quibus honorifica de eo iudicia leguntur, mentionem facit. Eandem cum hoc *Prideaux* laudem meretur, qui ſimilem ingreſſus viam eſt, illiusque quaſi ſupplementa dedit, *Samuel Schuckfort*, in *Harmonia ſacrorum & profanorum Scriptorum*, Londini A. 1729 edi coepta, & Berolini paulo poſt A. 1731 & 1738 in linguam Germanicam translata, prouti idem docet, ſummam libri referens, Reverendus *Lilienthalius loc. cit. pag. 342 ſeq.* Ex noſtratibus Venerandus Academiæ Ienenſis Theologus & Philologus, *Fridericus Andreas Hallbauerus*, eruditam anno huius ſeculi 22

cum

cum orbe erudito communicavit Diſſertationem, quæ, *Sacra in profanis* inſcripta, *res Scripturæ ſacræ, in ſcriptoribus gentilibus obvias*, eodem ſtudio recenſet, nuper etiam A. 1735 alia Diſſertatione, quam *Profana in ſacris* inſcripſit, *ſpecimen illorum* dedit, *quæ ex ſcriptoribus profanis in ſanctioribus Novi Fœderis tabulis obvia ſunt.* Cui iungendus dignus magni quondam Gedanenſium Theologi, Senioris ibi munere fungentis, filius, in Academia Wittebergenſi nuper Philoſophiæ Profeſſor extraordinarius creatus, *Ioachim. Samuel Weickhmannus*, qui *de Fontibus veritatis ſacræ, in rivulis profanis ſparſæ*, doctam Diſſertationem A. 1739 in iſta Univerſitate habuit. Plures, qui huic negotio operam laudabilem navarunt, enarrantur in B. *Io. Alberti Fabricii Delectu argumentorum & Syllabo Scriptorum, qui veritatem religionis Chriſtianæ aſſeruerunt, cap. 32 pag. 634 ſeq.* & in *Io. Franciſci Buddei Iſagoge hiſtorico - theologica Lib. I cap. 4 ad §. 22 ſeq.* & *ad §. 30 pag. 276 ſeq.* ** Palmam autem ceteris, ibi memoratis, facile præripuit *Tobias Pfannerus*, qui in *Syſtemate Theologiæ gentilis purioris*, Baſileæ A. 1679 in forma quadruplicata edito, per cuncta ferme religionis veræ capita, quam prope ad illam acceſſerint gentiles, ex ipſis eorum ſcriptis oſtendere annifus eſt. Quamvis enim eundem ſibi ſcopum in eruditis *Quæſtionibus Alnetanis de concordia rationis & fidei*, Cadomi & Pariſiis primum evulgatis, ac deinde Lipſiæ A. 1692, 4, recuſis, præfixum eſſe iuſſerit doctiſſimus ille Abrincenſis

ſis Epiſcopus, *Petrus Daniel Huetius*, illum tamen omnia religionis Chriſtianæ capita gentilium ſcriptorum teſtimoniis ita comprobaſſe, iudicarunt, teſte *Buddeo loc. cit. Lib. II cap. 7 ad §. 10 pag. 1389*, eruditi, ut, ſi accuratius hæc examinentur, nihil minus iſtos dicere, pateat, quam ipſis iſte tribuit.

* *Quidni liceat*, verba ſunt *Iacobi Duporti* in *Præfatione, Gnomologiæ Homeri* præmiſſa, *componere ſacra profanis, modo caute, reverenter, & modeſte, hoc fiat? Si beatus Apoſtolus ethnicorum vatum teſtimonia divinis ſuis epiſtolis inſerere, & vel Epimenidis ac Menandri verſum ſanctificare, (ut loquitur Tertullianus,) non dubitavit, quidni liceat ſacrum Codicem ex gentili Poeta illuſtrare, & utriusque locos conſimiles inter ſe conferre?*

** Addi ſcriptoribus, a Duumviris iſtis celeberrimis commemoratis, adhuc poſſunt *Chriſtianus Falſterus* in *Cogitationibus variis philologicis, Part. I Cogit. VI pag. 36 ſeq.* & *Adamus Gſchwendius*, Eiſenbergenſis primum, deinde Numburgenſis, Rector. Teſtatur namque huius ad *Chriſt. Schlegelium* data A. 1704 epiſtola, quam ex manuſcripto cum orbe erudito communicarunt celeberrimi Auctores *der fortgeſetzten Sammlung, ad Annum MDCCXL, pag. 297 ſeq.* paraſſe ipſum *Biblia ex ethnicorum ſcriptis eruta*, complexura hiſtorias & ſententias, ſive dicta, quæ aut gentilibus innotuerint, etſi corrupta, aut alia, ſacris tamen convenientia.

VI. Haud vano inde conſilio circa prudentiam, in laudatiſſimo alias hoc, effata gentilium Auctorum cum divinis Scripturæ ſacræ oraculis & doctrinæ Chriſtianæ capitibus comparandi, negotio obſervandam, monita utiliſſima ſupeditarunt,

runt varii Theologi celebratiſſimi, caute ſobrieque id ſuſcipere jubentes, ne modum quis, nimio illorum cultu inductus, excedat, & pro Iunone nubem amplectatur, ipſam vero divinam veritatem hoſtium ludibrio exponat. Legi hanc in rem merentur Abbatis S. Venerabilis, *Io. Laurentii Moshemii, de eo, quod iuſtum eſt circa ſacrarum literarum ex profanis ſcriptoribus interpretationem & emendationem, cogitationes*, quas in Academia vicina Kilonienſi primum A. 1720 publico eruditorum examini expoſuit, deinde vero, cum ſingulari *de interpretatione Novi Teſtamenti ex ſcriptoribus profanis*, Wittebergæ A. 1722 habita, Diſſertatione parum urbane aggreſſus ipſum eſſet *Io. Andreas Cleſſelius*, Ordinis tunc Philoſophorum in iſta Academia adiunctus, poſtea Sleſvicenſis ſcholæ Rector, in *Syntagmate Diſſertationum, ad ſanctiores diſciplinas pertinentium*, quod Lipſiæ & Gorlicii A. 1733, 4, lucem adſpexit, una cum largis emendationibus, ſupplementis, & vindiciis, recudi curavit. Erudita etiam Diſſertatione, Lipſiæ A 1722 publicata, *triginta regulas hermeneuticas, ad circumſpectam Scripturæ ſacræ illuſtrationem ex Auctoribus profanis utiles*, perſpicuis rationum commentis demonſtratas, & ſelectioribus exemplis ac obſervationibus illuſtratas, ſuppeditavit Reverendus *Chriſtophorus Wollius*. Præter hos vero conſuli pariter merentur, ſimilia prudentiſſime inculcantes, Venerandus *Iacobus Bruckerus* in *Diſſertatione de Comparatione Philoſophiæ gentilis cum Scripturæ*

ſacra & religionis Chriſtianæ capitibus caute inſtituenda, Ienæ A. 1719 ventilata, & celeberrimus *Io. Henr. a Seelen* in *Cogitationibus de veritate religionis Chriſtianæ e profanis ſcriptoribus caute confirmanda*, quæ in *Miſcellaneis* ipſius *Part. I pag. 1 ſeq.* leguntur. Et obſervanda eo magis ſunt ſaluberrima iſta virorum horum aliorumque laudatiſſimorum conſilia, quo certius conſtat, præſtantiſſima ſæpenumero ſcriptorum gentilium dicta, in quibus ad religionem Chriſtianam accedere quam proxime fuere viſi, tenoris eſſe prorſus contrarii, ſummamque tegere impietatem, ſecundum genuinum Philoſophiæ ipſorum ſyſtema ſi conſiderentur. Præclare ergo *Baſilius Homil. XXIV ad adoleſc. quomodo ex gentil. doctrina prof. Tom. I Operum pag. 494* ſcribit: *Quemadmodum in roſeto flores decerpimus, ſpinas relinquimus; ſic profani Auctores tractandi ſunt, ut utilia decerpamus, a noxiis caveamus.* Conf. *Io. Clericus* in *Arte critica Part. II Sect. 1 cap. 15 pag. 303 ſeq. Io. Dallaeus de vero uſu & abuſu Patrum Lib. I cap. 5 pag. 149 ſeq. Samuel Werenfelſius de Logomachiis eruditorum cap. 5 pag. 150 Operum, Io. Franciſcus Buddeus* in *Hiſtoria eccleſiaſtica Veteris Teſtamenti Tom. I Period. 1 Sect. 1 ad §. 19 pag. m. 114*, nec non *Fridericus Opfergelt* in *Bibliotheca ſelecta pag. 39.*

VII. Obſervari mihi ideo has regulas diligenter ante oculos iuſſi, quoties veterum gentilium ſcripta lectitanti eiusmodi ſe obtulerunt effata eorum atque teſtimonia, quibus ſanctiſſimæ

ctiſſimæ religionis noſtræ veritates viſæ fuere ſive illuſtrari, ſive confirmari. Mediam vero hanc ingreſſus viam, haud inutilem, credidi, me impendiſſe operam, dum, quæ obvenerunt talia, annotavi, poſt largam ſimilium, a viris doctiſſimis, & a me ſupra indicatis, adornatarum, obſervationum ſegetem ſpicilegium qualecunque exhibiturus, ac poſt largiſſimas divitias, quas illi prodiga appoſuerunt manu, unum alterumve teruncium additurus. Quo ipſo iis præcipue, qui ſacris ſe dicarunt ſtudiis, iuvenibus novum præbere exemplum, animus ſimul fuit, quam egregio ipſius rei ſacræ cum emolumento eo etiam tempore, quo iam in diviniores has ſcientias ardentius incumbendum eſt, ſcriptorum profanorum lectioni vindicentur horæ ſubſecivæ, quamque vanum ſit tunc prorſus ſeponendi illos ex manibus conſilium.

VIII. Cum multa adeo veritati & Scripturæ divinæ conſona in ſcriptis ſuis tradiderint pagani; merito, quinam fuerint fontes, ex quibus hauſiſſe talia, ac derivaſſe, illi ſint cenſendi, quærimus. Detegentur autem iſti facile, ſi accuratius paululum in eos inquiramus. Primo ſtatim loco ſeſe nobis offert rationis lumen, ſive naturalis lex, cordibus ipſorum omniumque hominum quod inſcriptum eſſe divus *Paulus* Apoſtolus *Rom. II*, *15*, pronuntiat. Hæc, cum a Deo O. M., legislatore ſummo, ſit profecta, maxima non poteſt non cum ipſa veritate & Scriptura ſacra, ab eodem ſummo Numine revelata, convenientia gaudere. Conferantur,

quæ, licet breviter, non ineleganter tamen, hanc in rem diſſeruit *Chriſtian. Frideric. Kappelier* in Diſſertatione epiſtolari *de ſacræ Scripturæ cum fundamentis iuris naturæ harmonia*, ad B. *Io. Guſtavum Reinbeckium* Berolini A. 1738 data, §. 5. Recte inde iudicat Reverendus *Nicolaus Erneſtus Zobelius*, eccleſiæ Raſchenſis prope Altorfium hodie Paſtor, quando in Diſſertatione *de Lapſu primorum humani generis parentum, a paganis adumbrato*, ſub umbone Celeberrimi *Chriſtiani Gottlieb Schwarzii*, Altorfii A. 1732 habita, §. 1, ſcribit: *Neque vero iucundum tantum eſt, ſed expedit etiam, cognoſcere, quantum in paganorum ſcriptis ſeſe exerat τὸ γνωςὸν τῦ Θεῦ, ut, quo magis illuſtriusque cœleſtis veritatis lumen divino beneficio contigit, eo magis ad eam veritatem religioſiſſime amplectendam retinendamque excitemur*. Præterea admodum probabile videtur, priſcorum ex Patriarcharum, longo poſt diluvium tempore viventium, traditionibus, quæ per mille annos, licet corruptæ aliquantum, in familiis conſervari potuerunt facile, fluxiſſe illa, quæ de mundi creatione, de diluvio univerſali, ſimilibusque, tradiderunt ethnici ſcriptores. *In his autem Philoſophi, qui apud Græcos ſunt*, ait *Clemens Alexandrinus Lib. I Stromatum pag 312, fures ac latrones fuerunt, qui ante Domini adventum a Prophetis Hebræis partes veritatis ſine vera cognitione ſumſerunt, ſed ſibi tanquam propria dogmata attribuerunt, & alia quidem adulterarunt, alia autem ſupervacanea quadam diligentia ſophiſtice interpolarunt;*

runt, alia etiam invenerunt, forte enim ſenſus quoque ſpiritum habuerunt. Quam late etiam inter paganos ſparſa fuerit fama atque rumor legum, a *Moſe* Dei iuſſu Iſraelitis propoſitarum, docet *Philo Lib. I de vita Moſis pag.* 602: τῶν μὲν γὰρ νόμων τὸ κλέος, οὓς ἀπολέλοιπε, διὰ πάσης τῆς οἰκουμένης πεφοιτηκὸς, ἄχρι καὶ τῶν τῆς γῆς τερμάτων ἔφθακε. Ex ſcriptoribus vero gentilium, qui luculentiſſima dederunt *Moſi* teſtimonia, liceat ſaltem nominare *Strabonem Lib. XVII pag.* 541, quem laudat cum *Caſaubono* doctiſſimus *Huetius* in *Dæmonſtratione evangelica Propoſ.* 4. §. 42, ſubdole reprehenſus a *Io. Tolando* in *Originibus Iudaicis pag.* 104, qui condonandos *Straboni* errores, quos admiſit, fulcire omni molitus modo, ad evertendam *Moſis* fidem. Conf. *Io. Fayus* in *Defenſione religionis, nec non Moſis, & gentis Iudaicæ,* contra binas *Tolandi* Diſſertationes, Traiecti ad Rhenum 1709 in 8 edita. Varia autem ſuſcepiſſe in Orientem ac Ægyptum itinera gentilium Philoſophorum multos, ibidemque Theologiæ, quam veriorem apud nationes iſtas ſe deprehendere profitebantur, operam dediſſe, priſca teſtantur hiſtoriarum monumenta. De *Platone,* * exempli gratia, Ægyptum eum petiiſſe, & divinæ legis notitiam ex *Moſis, Salomonis,* atque Prophetarum, ſcriptis ſibi acquiſiviſſe, *Cyrillus* refert *Lib. I & II contra Iulianum. Ariſtotelem* ** ad Iudæorum loca navigaſſe, inductum *Platonis* epiſtolis, in Iſraelitarum ſapientum commentationem ſcriptis,

narrat *Franciſcus Georgius*, Venetus, Ordinis Minorum, qui A. 1510 diem obiiſſe dicitur, in *Harmonia mundi totius* Tom. I *cap.* 1. *Homerum* *** quoque ſtudiorum cauſa Ægyptum ſeſe contuliſſe, *Diodorus Lib.* I tradit. Cumque præterea orientalium theologia ex Iudæorum myſteriis, prouti multis ſcriptis oſtenderunt viri docti, ſit deſumta, haud difficulter inde patet, plurima ex Scriptura ipſa perveniſſe ad gentiles, id quod antiqui eccleſiæ doctores in ſcriptis ſuis apologeticis diligenter ſatis annotarunt. Vid. *Godofredi Vockerodt* Diſſertatio *de Notitia divinarum Scripturarum ante Chriſtum natum in gentes vulgata*, quæ ipſius Commentationi *de eruditorum ſocietatibus, & varia re literaria*, adiecta legitur, *pag.* 227 *ſeq.* & *Io. Chriſtiani Albrecht de Plagio gentili ex veteri Teſtamento* Diſſertatio, Lipſiæ anno huius Seculi quarto evulgata.

* Curioſe ſcrutatum Iudaeorum inſtituta *Platonem* fuiſſe, atque diligenter res eorum examinaſſe, *Ariſtobulus*, Iudæus, teſtatur, cuius verba adducunt *Clemens Alexandrinus Lib. I Stromatum pag.* 342, & *Euſebius* in *Præparatione evangelica Lib. XIII cap.* 12. Confirmat idem etiam *Flavius Ioſephus Lib. II contra Appionem.* Vide, quæ pluribus hac de re ac erudite monuit celeberrimus quondam Academiæ Wittebergenſis Theologus & Hiſtoricus, *Io. Guilielmus Ianus*, in duabus *de Platone Iudaizante*, habitis ibidem A. 1705, Diſſertationibus. Nonnulla, huc quæ pertinent, leguntur in *Chriſt. Kortholti Pagano obtrectatore Lib. I cap.* 2 §. 9 & 17, nec non in *Polycarpi Lyſeri* Diſſertatione *de Origine eruditionis non ad Iudæos, ſed ad Indos, referenda,*

rendæ, Wittebergæ A. 1716 ventilata, *pag.* 14, qui &, de Pythagora ſimile quid *Hermippum* affirmaſſe, narrat. In negativam interim circa hoc momentum de *Platone*, ſua Iudæis debente, ſententiam abierunt *Io. Clericus Epiſt. crit.* 8 & 9, *Georgius Hornius* in *Hiſtoria Philoſophica Lib. III cap.* 14, & *Nicolaus Hieronymus Gundlingius* in Obſervatione priori *de Nævis Iuſtini Martyris, præſertim in ratiocinando ab eo commiſſis*, (quæ *Tom. II* Obſervationum Halenſium *pag.* 89 *ſeq.* legitur, inde vero recuſa eſt in *Tomo II Obſervationum ſelectarum Gundlingianarum, ad rem literariam ſpectantium*, Halæ A. 1737 in 8 edito; *pag.* 49 *ſeq.*) §. 34, & in *Hiſtoria Philoſophiæ moralis Part. I cap.* 6 §. 1 *not. l. m.*

*** *Ariſtotelem* cum Iudæo quodam in Aſia converſatum fuiſſe, *Clearchus*, diſcipulus *Ariſtotelis*, memoriæ prodidit, cuius verba recitant *Flavius Ioſephus loc. cit. Lib. I*, & *Euſebius loc. cit. Lib. IX cap.* 5 *ſeq.* Alii, ex libro *Salomonis* ſuffuratum eum Philoſophiam ſuam fuiſſe, voluerunt. Iudæorum, id affirmantium, teſtimonia allegat *Laurentius David Bollhagen* in Diſſertatione, Gryphiswaldiæ A. 1704 ventilata, qua, *Ariſtoteles utrum fuerit Iudæus*, inquiſivit, §. 5 *pag.* 15. Conf. etiam *Io. Franciſcus Buddeus* in *Introductione ad Hiſtoriam Philoſophiæ Hebræorum* §. 32 *not. u*, *Iacobus Thomaſius de Plagio literario* §. 346, *Chriſtianus Kortholtus loc. cit.* §. 10, *Petrus Bælius* in *Dictionario hiſtorico - critico*, voc. *Ariſtoteles*, *Io. Albertus Fabricius* in *Codice pſeudepigrapho Veteris Teſtamenti cap.* CXC *pag.* 1019 *ſeq.* & *Io. Chriſtophorus Wolfius* in *Bibliotheca Hebræa Vol. I pag.* 229. Quæ vero in ſcriptis *Ariſtotelis* cum oraculis divinis deprehenduntur congrua, diligenter congeſſit, ac ſyſtematico ordine diſpoſuit, *Io. Zeiſoldus* in Tractatu *de Ariſtotelis in illis, quæ ex lumine naturæ innoteſcunt, cum Scriptura ſacra conſenſu*, ab

eaque apparente diſſenſu, Ienæ A. 1661 in forma quadruplicata edito.

*** Scriptores nonnullos de *Homeri* plagio recenſet B. *Fabricius* in *Decade decadum, ſive centuria, Plagiariorum & Pſeudonymorum*, Lipſiæ primum A. 1689 ſub *Fabri* nomine evulgata, deinde vero in ipſius *Sylloge Opuſculorum hiſtorico-critico-literariorum* A. 1738 in 4 hic recuſa, *pag. 19.* De Theologia *Homeri* conf. *Gerhardus Croeſius* in *Homero Hebræo Tom. I pag. 179 ſeq.* & *Adamus Rechenbergius* in Diſſertatione *de Theologia Homeri*, Lipſiæ A. 1679 habita.

IX. Iam, ad rem ipſam aggreſſurus, de ordine, quem hac in Commentatione tenendum mihi eſſe duco, vel tribus verbis dicam. Conſtat, doctrinas ſacras, ſive religionis Chriſtianæ argumenta, diſtingui ita ſolere, ut duplex eorum claſſis conſtituatur, altera dogmatum capita complectens, altera, vivendi quæ præcepta ſub ſe comprehendit. Idem iuvabit hic etiam filum ſequi, ut primum dogmata, veram ad religionem pertinentia, quæ in profanis iſtis gentilium ſcriptis haud obſcure prorſus inveniuntur, deinde morum præcepta, cum ſacris voluminibus amice conſpirantia, quæ ſunt in illis manifeſte quoque obvia, enarrem.

X. Unicum Deum, a quo, tanquam ſummo bono, omniumque rerum auctore maximo, initium merito ducimus, vix inter tot gentilium Deos & Deaſtros reperiri quis crediderit. Tot enim ſibi Deos Deasque, tot monſtra, finxerat cæca gentilitas, ut omnem veri Dei notitiam ex

animo

animo prorſus viſa fuerit abieciſſe. Et vulgum ſane plures uno crediſiſſe Deos, nemo eſt, qui dubitet. Quin ſatis id probavit odium illud acerrimum, quo eam ipſam ob cauſam, quod, reiectis fictitiis eorum Diis, unum ſe Deum colere profitebantur, Chriſtianos quondam perſecuti ſunt Romani. Vid. *Chriſtianus Kortholtus* in *Pagano obtrectatore Lib. I cap.* 1 & 5. Neque tamen notitia unius ſummi Numinis, ipſis mortalium animis natura inſita, deleta ita prorſus fuit, quin eam ſapientiores, licet illi ſive metu coacti, ſive aliis de cauſis, plurium Deorum cultum una cum ceteris ſuo probarint calculo, & retinuerint, & aliis quoque tradiderint. Vide, quos ſupra allegavi, *Pfannerus* in *Syſtemate theolog. gentil. pur. cap.* 2 §. 9 *ſeq. pag.* 53 *ſeq* & *Huetius* in *Quaeſtionibus Alnetanis Lib. II cap.* 2 §. 13. Adde *Halbaueri ſacra in profanis* §. 44, & *Gerh. Io. Voſſii Lib. I de Origine & progreſſu idololatriae cap.* 2 *ſeq. Tom. V operum pag.* 4 *ſeq.* Libros ſi eorum evolvamus, Iovem ſaepius exhibitum ita deprehendimus, ut per illum ſummum Numen intellexiſſe omnino videantur, cuius ſapientia & nutu cuncta gerantur, cuius auxilium inprimis invocandum ſit, impiis quod iuſtas poenas infligat, reſiſtere cui nemo valeat, & ſine quo conſiſtere nihil prorſus poſſit. Hanc fuiſſe veteribus gentilibus, Iovem ita deſcribentibus, mentem, pluribus oſtenderunt primi Chriſtianae eccleſiae doctores, ex quibus eleganter *Clemens Alexandrinus Lib. IV Stromatum pag.* 436,

qui

qui, inquit, *& Poetarum verſibus, & iis, quæ ſoluta oratione ſcripta ſunt, canitur Iupiter, in Deum refert cogitationem.* *Irenæus*, quando ſui temporis hæreticos ethnicis adeo peiores docet, ita de illis *Lib. II cap. 9* loquitur: *Illi enim, creaturæ potius, quam creatori, ſervientes, & his, qui non ſunt Dii; veruntamen primum Deitatis locum attribuunt creatori huius univerſitatis, Deo.* Subſcribit huic ſententiæ etiam *Ariſtobulus*, ſupra a me citatus Philoſophus Hebræus, in ſuo *ad Lagidarum quartum Ægypti Regem libro*, cuius fragmentum nobis *Euſebius* in *Præparatione evangelica pag. 666* conſervavit. Cum enim, adductis ex *Orpheo* & *Arato* verſibus, demonſtraſſet, fuiſſe quoque gentilibus, quod contineantur vi divina omnia, ortumque ex eadem habeant, perſuaſum, addit: *Nam Iovem illum quidem Poetarum verſibus celebratum pure, uti decet, ac reſtricte accepimus, quod mens eorum ac ſententia Deum ſpectet unum atque deſignet. Quæ nos cauſa ratioque permovit, nobis ut in hanc diſputationem iſtud orationis ac teſtimoniorum genus inferre merito poſſe videremur.* Nec iverunt ipſi id pagani inficias. Teſtis eſt *Cicero, Lib. I de Natura Deorum cap. 15* de *Chryſippo*, celeberrimo Stoicorum Philoſopho, perhibens, quod, legis perpetuæ & æternæ vim, quæ quaſi dux vitæ ac magiſtra officiorum ſit, Iovem eſſe, dixerit, eandemque fatalem neceſſitatem appellaverit ſempiternam rerum futurarum veritatem. Subdit deinde: *Vult Orphei, Muſæi, Heſiodi, Homerique, fabellas accommodare*

dare ad ea, quæ ipſe primo libro de Diis immortalibus dixerit, ut etiam veterrimi Poetæ, qui hac ne ſuſpicati quidem ſint, Stoici fuiſſe videantur. Ex quibus ſane commemoratis variorum teſtimoniis luculenter ſat apparet, fuiſſe a gentilibus omnino per Iovem intellectum ſummum Numen. Quid multa? Ipſa id clariſſime innuunt Poetarum, quos maxime ſervaſſe ſuis ſcriptis atque tradidiſſe de rebus eorum ſacris κειμήλια, ſupra monui, verba. Incipit ita *Phænomenorum* librum *Aratus*: *A Iove principium, quem nunquam mittimus ipſi infatum. Plena enim Iovis omnia ſunt compita, omnes quoque hominum cœtus, plenum & mare & portus. Ubique autem Iove indigemus omnes; huius etenim genus ſumus. Hic vero benevolus hominibus commoda ſignificat, & populos ad opus excitat. Ipſe ſigna in cælo firmavit, ſidera diſpertitus, providit etiam ad annum ſtellas, quæ potiſſimum facienda indicarent hominibus, eoque ipſum ſemper primumque & ultimum placeant. Salve, pater, magna admiratio, magna hominibus utilitas.* Quis illa non agnoſcat de ſummo atque vero dicta eſſe Deo, inprimis cum ipſe ſacer divinæ mentis interpres, *Paulus*, *Actor. XVII*, *28*, ex iſtis verbis teſtimonium pro veritate hac adducere haud dubitaverit? Vid. ſcriptores, a *Io. Chriſtoph. Wolfio* citati in *Curis philologicis & criticis, ad h. l.* Cum *Arato* conferendus omnino eſt *Euripides*, & eloquentiæ & prudentiæ, judice *Olao Borrichio Diſſert. II de Poetis Græcis pag. 30*, palmam reddens multis dubiam,

qui

qui duobus præcipue locis eleganter hac de re diſſerit. *O! Iupiter*, inquit, *quidnam miſeros homines dicunt ſapere? Ex te enim pendemus, & ea facimus, quæcunque tu volueris.* Elegans ſane hæcce declamatio, divinæque prorſus maieſtati conveniens. Idem in *Troadibus* Herculem, ad Iovem orantem, ita inducit alloquentem ipſum: *O! terræ vehiculum, & in terra habens ſedem, quocunque tandem es, inpervestigabilis animis noſtris, Iupiter, ſive es neceſſitas naturæ, ſive mens mortalium, te invoco. Omnia enim per arcanam vadens viam ducis mortalia iuſte.* Quid obſtat, quæſo, hæc quo minus verba de unico pariter accipiamus Deo? Omitto lubens alia quamplurima, idem confirmantia, teſtimonia, quæ ex aliis Scriptoribus adduci plura poſſent. Quodſi vero dubitare ea de re quis ideo velit, quod exinde clare ſatis illud nondum patere putet, clariora haud deſunt iam adductis loca, unicum quæ Deum agnitum ab illis eſſe perhibent. Ipſe, qui πολυθεότητος apud Græcos appellatur auctor, & ſupra trecentos ſexaginta inveniſſe Deos a *Iuſtino Martyre* dicitur, *Orpheus* aperte hortatur omnes:

Mundi aſpice regem ſolum immortalem:

quem mox clarius deſcribit:

Ex ſe unus genitus eſt, genita & ſunt omnia ab uno.

Idem aliquot poſt *Orphea* ſeculis audacter, nec ſine periculo, in ſcena profiteri notus ille tragoedia-

diarum ſcriptor, *Sophocles*, haud dubitavit, cuius hæc leguntur verba:

Unus vere, unus eſt Deus,
Qui cœlum latamque terram fundavit,
Qui cœruleam ponti undam & ventorum flatus produxit.

Cui Lyricorum princeps, *Pindarus*, in *Nemeis* concinit:

Unum patrem creatorem ſummum atque optimum artificem habemus.

Ex quibus ſatis quidem luculenter patet, quod, licet tenebris immenſis circumfuſi fuerint gentiles, clare tamen iis de ſummo Numine veritas affulſerit, & in corda eorum ita penetraverit, ut inviti quoque ad confirmandam illam fuerint coacti. Nec enim luculentiora optari poſſunt huius rei documenta, quam, qui e. g. ex laudati iam *Orphei* minore Cratore afferuntur, verſus, in quibus cum de *Mercurio*, *Nymphis*, *Vulcano*, *Cerere*, *Neptuno*, *Marte*, *Venere*, *Baccho*, *Themide*, *Apolline*, & *Æſculapio*, commemoraſſet, ſubiicit tandem: ἐν τάδε πάντα. Quorſum & *Seneca* pertinet, obvium *Lib. IV de Beneficiis cap.* 7, effatum: *Quæcunque vales, Iovi nomina proprie aptabis, vim aliquam effectumque cæleſtium rerum continentia. Tot appellationes eius poſſunt eſſe, quot munera.*

XI. Summi iſtius Numinis divina attributa, quæ ex ſacris paginis nos addiſcimus, gentilibus pariter ignota prorſus haud fuiſſe, & largam ſatis inde ad cognitionem veri Dei ſalu-

tarem

tarem perveniendi illos occaſionem habuiſſe, abunde intelligit, qui ſeduſam lectioni eorum operam navare amat. Fuſius ea explicare haud permittunt conſtituti nobis ſcriptiunculæ præſentis limites. Unicum proinde in medium producam *Orphea*. *Mentem* hic *veracem* appellat Deum *ſpiritumque regium, nulli interitu obnoxium, ſuo qui conſilio moveat ac regat cuncta; quem quidem ex mortalibus videre nemo queat, cum ipſe cuncta adſpiciat; cuius aures nulla vox, nullus ſtrepitus, ſonituſve, nec ulla fama, latere poſſit; penes quem ſint iudicia mortalium, ita ut omnia, quæ homines mala mente temere committant, vel concupiſcant, ſolus ipſe puniat, meritaſque pœnas & iniuſtis exigat, cum iuſtis autem benevole agat, qui malum ac bonum mortalibus inferat, illiſque triſtes etiam ærumnas & lachrymabile immittat bellum; qui, licet ipſe in cœlis ſit, terram tamen complectatur, cuius dextra ad fines Oceani usque pertingat; præ cuius ira montes ipſi contremiſcant, illamque ferre nequeant; quem denique quoties cogitet, ipſe horreſcat.* Hæc ſunt ſana ſatis ac ſobria, quæ divino Numini *Orpheus* tribuit, cum quo ceteri pariter conſentiunt ethnici ſcriptores.

XII. Id quidem, ſi rem conſideramus probe, haud negari poteſt, tantum iſtos indulſiſſe ingenio ſuo, & Poetas maxime, ut ex attributis illis divinis ſingulas fere Deas Iovi ſuo maximo aſſidentes confinxerint, ab inepto atque incauto vulgo ſingulari ſuſceptas atque cultas plauſu; ipſis nec invitis regibus & magiſtratibus,

qui

qui inſervire commodo ſuo ſuperſtitionem iſtam autumabant. Affirmare tamen nullus dubitaverim, primis illis divinitatum auctoribus id ſolum fuiſſe propoſitum, ut, ſingulas proprietates illas Deo O. M. ita ineſſe, oſtendeſent, ut ſine illis ne concipi quidem, nedum exiſtere, Deus poſſit; id quod religioni veræ neutiquam adverſum; ſed maxime potius conſentaneum, videri debet. Expreſſe namque ita Deum unum proclamat *Ariſtoteles* in libro *de Mundo cap. 7: Unus* (ſcilicet Deus) *cum ſit, pluribus nominibus appellatus eſt.*

XIII. Inter attributa autem iſta cum & incorporeitatem (venia ſit verbo ſcholaſtico) Deo tribuerint gentiles; mirari forſan ſubit, cur, aſſumta ſpecie humana, inter homines converſantes olim Deos ſuos, obambulantes, hominumque facta luſtrantes, iidem finxerint, quia & illorum aliquos, uti inprimis de *Æſculapio* fabulati ſunt, hominum induiſſe naturam, quo varia iis bona exhiberent, aſſeruerint; qua ex ſuperſtitione Lyſtrenſium quoque orta veneratio eſt, quam *Paulo* atque *Barnabæ* tanquam *Mercurio* & *Iovi* exhibere parabant. Conferri merentur, qui de iſtis apparitionibus pluribus egerunt, ſcriptores, a B. *Wolfio Vol. I Curarum pag.* 1207 *ſeq.* & *Io. Henr. a Seelen* in *Meditationibus exegeticis Part. I pag. 454* allegati; quibus addi poterunt Summe Reverendus *Laurentius Hagemannus* in doctis Obſervationibus, quas *Thomæ Tenniſonii*, Archiepiſcopi quondam Cantuarienſis celeberrimi, Commentationi

theologico-historicæ *de Apparitionibus Dei in Veteri & Novo Teſtamento ſymbolicis*, e lingua Anglicana in Latinam translatæ, & A. 1740 Hannoveræ in forma octopartita editæ, *pag. 4 ſeq.* ſubiecit; nec non *Petrus Kunzius* in Diſſertatione *de Deo Lyſtrenſium ante portas*, Ienæ A. 1739 habita, *pag. 7 ſeq.* Prognata quidem iſta fuerunt ex ſolita illa defunctorum apotheoſi; ſed, ſingularem quoque ſummi Numinis providentiam animadverti hic debere, exiſtimo. Potuerunt enim, vana hac opinione ſua convicti, eo facilius adduci gentiles, ut iis, quæ de filio Dei unigenito, formam naturamque noſtram in communem mortalium ſalutem ſuſcipiente, audituri quondam erant, fidem minus denegarent.

XIV. Præter ſupremum Deum ethnicis, ut ante monui, cognitum colebant illi plurimos adhuc inferioris conditionis Deos, ſemideos ac dæmones, quos uti a Iove ſuo derivabant, ita illius miniſterio inſervire, tum & hominum curare negotia, ideoque ipſorum opera ſibi apud Iovem opus eſſe, putabant. De his ſi Poetarum loca recte conſideremus, & cum illis Philoſophorum conferamus placita, angelos ab ipſis intellectos, tum & tales fere patronos iſtos habitos eſſe, deprehendemus, quales Romana eccleſia in ſanctis ſuis veneratur, quos proinde a divo *Paulo* Apoſtolo, magnam iſtam a fide defectionem prædicente, ſimili dæmoniorum nomine appellatos eſſe conſtat. Vide *Georgius Wenna Exerc. I de Geniis cap. 2 §. 1, Theodorus*

rus Marcilius ad Pythagoræ aurea carmina pag. 331 ſeq. Radulphus Cudworthus in Syſtemate intellectuali huius univerſi pag. 263 ſeq. 400 & 411, Iacobus Thomaſius de Stoica mundi exuſtione pag. 23, nec non interpretes ad *Æliani varias hiſtorias Lib. VI cap. 13.* De utrisque eleganter canit, Iovem celebraturus, *Orpheus:*

Dæmones & quem horrent, timet & quem turba Deorum.

Confundit eos *Heſiodus*, quando de aurei ſeculi hominibus, poſt mortem in Deos mutatis, ait: *Ii quidem divi facti ſunt Iovis magni auxilio, boni, in terris verſantes, cuſtodes mortalium hominum, qui ſane obſervant & iuſta & prava opera, ære induti, paſſim euntes per terram, opum datores.* Nonnulla horum ad angelos ſpectare, alia vero dæmonibus convenire, ipſa verba docent. Conf. *Homerus Iliad. τ. 188, Pindarus Olymp. α. β. 9,* & *Iſthm. ζ.* Ceterum, angelorum multos a Deo defeciſſe, & in contraria omnia nunc ferri, hominibusque infenſos plurima machinari mala, conſtans fere apud omnes opinio fuit. Applicat huc *Iuſtinus Martyr* in *Oratione ad gentes* Homericam Ates, ſive Noxæ, Deæ, fabulam, quæ, a Iove, quem læſerat, de cœlo olim deiecta, addito de non illuc redeundo iuramento, per áerem nunc curſitare, hominibusque tantum nocere, ſoleat. Neque incommode ad hanc angelorum rebellionem lapſumque referuntur, quæ de Titanibus ac gigantibus, cœlo prognatis, & a Iove, cui bellum intulerant, in tartara, ut flammis

ibi torquerentur, detruſis, non ſint veri ſignificatione commenti ſunt Poetæ. Ἀλάστορας autem cacodæmones illos nuncuparunt Græci, calamitatumque auctores aſſerentes ad pœnas, hominibus infligendas, a ſummo Numine, adhiberi, haud vane docuerunt. Conf. *Gerb. Io. Voſſius loc. cit. cap.* 7 *ſeq.* & *Hallbauerus loc. cit.* §. *49.*

XV. Mundi ac totius univerſi huius creationem ex gentilium ſcriptis adumbrari haud inepte poſſe, conſtat. Quæ vel *Heſiodus*, vel *Ovidius*, ubique in ſcholis prælegi ſoliti, tam apte, & ſacris paginis convenienter, ea de re prodiderunt, comparata ita ſunt, ut mihi, legenti iſta, temperare vix queam, quin, ex *Moſe* ipſo ſubrepta eſſe, credam. Præter *Pfannerum* & *Huetium* conferatur hic etiam *Hallbauerus* §. 47. Ægyptiorum in ſpecie de mundi origine monumenta, a *Platone* ad Philoſophiæ regulas collata, ſiſtit B. *Ionæ Conradi Schrammii*, haud incelebris olim Academiæ Iuliæ Theologi, Epiſtola *de Circulo nationis intra naturam*, quam ad *Gerhardum Wolterum Molanum*, Abbatem tunc Loccumenſem, dedit Brunſuigæ A. 1704 in 4. De homine, ſummo conditi orbis complemento, quæ fuerit gentilium ſententia, & quam prope hæc ad ſacri Codicis narrationem accedat, quemlibet pariter ex iuſto habet mirum. Certi revelationis ope ſumus, hominem poſt reliquas productas creaturas ex luto fuiſſe a Deo formatum, vitæque munitum ſpectaculo ad ipſius ſimilitudinem conditum elegantiſſime.

Eadem

Eadem diſertis ferme verbis ab ethnicis quoque tradita deprehendimus. Memorant illi *Prometheum* Iovis iuſſu ex humo aqua diluta ac macerata hominem effingentem, mentem cui poſtea ac loquelam divinitus indiderit. Qua *Promethei* fabula adumbratam fuiſſe dominatricem totius mundi animæ potentiam, providentiæ nomine deſignatam a recentioribus, per quam omnia condita & procreati etiam homines fuerint, acute iam *Cornutus* vidit. Alludit huc *Callimachus*, a *Clemente* adductus, quando,

Erat, inquit, *tempus, cum volucrium ſecla,*
Et quadrupes, & quicquid occulit pontus,
Vocem efferebat & lutum Prometheum.

Alii corpus humanum dixerunt terram, ad quam redire illud debeat, uti *Euripides*, a *Plutarcho* laudatus: *Reddenda terræ terra;* prorſus uti Scriptura nobis ſacra idem revelavit, Deum introducens, *Adamo* pronuntiantem: *Terra es, & in terram reverteris, Gen. III, 19.* Alii alia, Scripturæ effatis conſona, tradiderunt, quæ iam non in medium profero, cum otium mihi fecerit ſupra iam laudatus *Nicolaus Erneſtus Zobelius* in libello, quem inſcripſit *Cacozeliam gentium, in tradendis doctrinis de generis humani mentisque humanæ origine & reſurrectione mortuorum, ex variis hiſtoriarum atque antiquitatum monumentis commonſtratam*, Altorfii A. 1737 in 8 evulgato, ubi *Capite* inprimis 4 *pag.* 51 *ſeq.* figuras explicat,

 quibus

quibus originem generis humani depinxerint gentiles.

XVI. Ipſam adeo imaginem divinam in homine agnoverunt gentiles, neque in corpore ſolum, de quo *Ovidius Lib. I Metam. Fab. II:*

Quam (ſcilicet tellurem) *ſatus Iapeto miſtam fluvialibus undis*
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum,
Pronaque cum ſpectent animalia cetera terram,
Os homini ſublime dedit, coelumque tueri
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus;

ſed & animis illam ineſſe, ipſa eosdem ratio convicit, adeo, ut cœlo oriundos eos, divinoque ſemine genitos, cœli cognatos, ac partem Deorum, paſſim laudarint. Haud quidem diffitendum eſt, falſam fuiſſe paganorum ipſa hac de re opinionem, quippe quibus anima noſtra ex mente ac eſſentia divina decerpta quaſi eſſe habebatur; at condonanda ferme hæc gentilibus eſſe videtur ignorantia, cum in tanta, qua fruimur nos iam, luce haud deſint, qui ſimilem errorem errent, acriterque defendere haud dubitent; prouti abſonam eandem ſententiam cum iisdem ferme fovent Fanatici, v. g. *Caſpar Schwenckfeldus* in *libro contra Loccium pag.* 17, & in *libro de Evangelio pag.* 61, 63, *Valentinus Weigelius* in *Noſce te ipſum Part. III pag.* 12, 19, 22, 28, *Iacobus Bœhmius* in *Aurora cap.* 23 §. 3 *pag.* 299, ſolide inde refutati a noſtræ pariter ac reformatæ eccleſiæ doctoribus, e. g. *Caſp. Eraſmo Brochmanno Tom. I Syſtem. Theol. Art.* 9 *cap.* 2 *Quaſt.*

a *Quaeſt. 3 pag. 150*, *Guſtavo Georg. Zeltnero* in *Breviario controverſiarum cum Enthuſiaſtis & Fanaticis pag. 200 ſeq.* *Io. Frickio* in *der gründlichen Unterſuchung cap. 9 §. 6 pag. 601 ſeq.* *Ehregott Dan. Colbergio* in *dem Platoniſch-Hermetiſchen Chriſtenthum Part. III cap. 3 §. 2 pag. 150 ſeq.* & *§. 4 pag. 158*, *Conrado Sluesſelburgio Lib. IV de Schwenckfeld. pag. 108*, & *Io. Cracio* in *Anti-Weigelio cap. 5 quaeſt. 1 pag. 173*.

XVII. Summam viguiſſe rerum in primordio felicitatem, nobis ex divinis *Moſis* ſcriptis abunde conſtat. Neque eam a priſcis fuiſſe gentilibus ignoratam, nemo non fatebitur, qui Poetarum legerit de *aureo ſeculo* fabulas, omnibus notiſſimas, paradiſi terreſtris delicias quibus adumbratas fuiſſe, ipſa ratio poſtulat, & pluribus demonſtratum dederunt Patres Chriſtiani. Quin, hortum *Adonidis*, a Poetis tantopere celebratum, ex paradiſo, horto illo Edenis, ſive voluptatis, effictum fuiſſe, eleganter, ut ſolet, oſtendit in *Demonſtratione ſua evangelica Prop. 4 cap. 2 §. 13*, & *cap. 3 §. 3*, nec non *cap. 6 §. 3*, ſæpius iam laudatus *Petrus Daniel Huetius*. Conferatur & *Io. Chriſtophori Artopaei* obſervatio, qua, *an fuerit aliquod aureum ſeculum, & quando?* diſquiſivit, in ipſius *Quaeſtionibus miſcellaneis hiſtoricis*, Argentorati A. 1696 evulgatis, obvia. Feliciſſimo iſti ævo infauſtum illum, quo nunc premimur omnes atque ſinguli, & quo corruptam adeo miſeriisque omnibus expoſitam naturam ſentimus, ſtatum ſucceſſiſſe, ſupra dictæ nos edocent pandectæ

ſacræ. Obſcurior de illo pervenit ad paganos notitia. Quod quidem mirum nobis haud videri debet, cum relicta ſibi ratio nec fontem perſcrutari valeat, nec magnitudinem peccati, ſola vero Scriptura ſacra recte nos ac certe de eo erudire poſſit. Neque tamen omnis defecit iſtius cognitio gentiles; cuius rei deprehendimus veſtigia haud negligenda in eorum ſcriptis. Accepiſſe iſtos de peccato per mulierem introducto, *Pandora* illa *Heſiodi*, in perniciem humani generis adornata, & ab irato Iove immiſſa, demonſtraſſe videtur. Vid. citata ſupra §. VIII *Nic. Ern. Zobelii de Lapſu primorum humani generis parentum, a paganis adumbrato,* Diſſertatio, quam Altorfii A. 1734 ſub Præſidio Cel. *Schwarzii* habuit. Depravatos ex illo tempore hominum mores per iſtam *ſeculi ferrei* deſcriptionem, quæ legitur gentilium in ſcriptis, ſignificari, non inepte colligunt, qui ex recentioribus de eo commentati ſunt. Commune omnibus natura peccatum eſſe, confitentes habemus *Sophoclem* atque *Euripidem*, quorum ille:

Hominibus omnibus commune eſt peccare;

hic vero canit:

Non mirum, homines delinquere.

Tantam denique eſſe pervulgatam mortalium imbecillitatem, ut, licet honeſta cognoſcant, probentque, ea tamen minus faciant, ſed a cupiditatibus, in naviculæ, huc illuc a ſævientibus undis iactatæ, modum, turpiter ſe patiantur abripi,

abripi, vel communiſſima iſta probant *Ovidii*;

video meliora proboque,

Deteriora ſequor;

tum & gravis eiusdem querela:

Odi, nec poſſum cupiens non eſſe, quod odi,
Heu! quam, quod ſtudeas ponere, ferre grave eſt!
Nam deſunt vires ad me mihi iusque regendum,
Auferor, ut rapida concita puppis aqua.

Solo ducti rationis lumine, hæc de miſerrima ſua ac reliquorum hominum conditione agnoverunt ethnici. Imo ulterius pertigit vis illa rationis. Quamvis enim varii, fato qui adſcribebant omnia, hominumque pendere inde fata, ſive bona, ſive mala, aſſerebant, exiſterent quam plurimi; alii tamen, & inter illos *Æſchylus* & *Euripides*, conſcientiæ teſtimonio convicti, ab ipſo homine oriri peccata, quæ ſponte ille committat, ſibique adeo malorum cauſa exſtet, ingenue confeſſi ſunt. Scitum præcipue eſt hanc in rem Lyrici cuiusdam apud *Clementem Alexandrinum*, ubi, Iovem non eſſe mortalibus cauſam malorum, affirmat, ſed licere unicuique compoti eſſe iuſtitiæ, omnibus quippe in medio propoſitæ. Quin *Plutarchus* in *Coriolano* pulchre adverſus *Platonis* increpationem *Homerum* defendit, eumque in rebus communibus conſiliorum noſtrorum cauſam ad nosmet ipſos retuliſſe, oſtendit, in rebus vero inuſitatis Deos induxiſſe ait, voluntatem noſtram ita per-

ventes, & arbitrii noſtri libertati agendi exordium, confidentiam, & ſpem, ita addentes, ut non invitis tamen nobis actiones noſtræ edantur.

XVIII. Accedamus ad mortem, ſupremum illud naturæ debitum. Quam licet communem omnibus hominibus, ea conditione natis, eſſe haud diffiterentur ethnici; canente enim *Ovidio*,

Fata manent omnes, omnes exſpectat avarus
Portitor; & turba vix ſatis una ratis;
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam,
Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas;

cauſam tamen illius eruere non potuerunt indagando, quam nos nimirum, revelante id Scriptura ſacra, ex peccato ortam eſſe novimus. Miramur interim illos, qui, cum, mortem omnium malorum eſſe diriſſimum, quidam haud vane dixerint, eam tamen ſæpius, quamvis meliori lumine deſtituti, forti & alacri animo non tam pertulerint, quam contemſerint, mortuisque gratulandam adeo eſſe cenſuerint. Infinitis hoc probari poſſet exemplis, pulchrisque illuſtrari Philoſophorum monitis. Sed ſufficiat *Euripides*, qui,

Nam nos, ait, *decebat convenire publice*
Et deflere natum, quod tot ingreditur malis;
Aſt mortuum, cuique iam quies data eſt,
Efferre lætis gratulationibus.

XIX. Quodſi in cauſam huius parrheſiæ inquiramus; non aliam deprehendere licet, niſi ſpem, quam de animæ habuerunt immortalitate. Speraſſe gentiles immortalitatem animæ,

notanter

notanter aſſero. Prouti namque in evulgato ſuperiori anno 1742 Witebergæ idiomate vernaculo Schediaſmate, quod *Schrifftmäſſigen Unterricht von der Unſterblichkeit der Seelen* inſcripſi, §. 9, allatis teſtimoniis probavi, non fuit certa atque formidinis expers, ſive a contrarii metu prorſus libera, quam habebant hacce de doctrina, cognitio. Interim, quod & ibidem §. 8 docui, ſperabant illam tamen antiquiſſimi & ſapientiſſimi, conſenſumque hunc eorum *Cicero* adeo *naturæ vocem* haud dubitat vocare. Priſcos hinc Poetas animas dixiſſe ſempiternas, ipſe teſtatur *Plato* in *Gorgia*. Nec ex iis, qui poſt *Platonem* floruerunt, vel Græcos inter, vel Romanos, ullum fere, a *Lucretio* ſi diſcedamus, invenimus, qui negare animarum perennitatem ſuſtinuerit. Quid enim illa heroum apotheoſis, quos in cœlum ſive inter aſtra, ſive inter genios, ſive dæmones, ſive ipſos Deos inter, paſt fata ſuperſtitioſe retulerunt? Quid necromantia illa, ſeu manium avocatio, qua nonnullos mortuorum animas arceſſentes inducunt, & cum iis colloquentes? Quid illa ſepulturæ cura, funerum pompa, monumentorum magnificentia, defunctis quæ illuſtribus tributa eſſe memorant? Quid, inquam, hæc omnia loquuntur aliud, niſi quod, animas poſt mortem haud interituras, verum ſuperſtites manentes, ſive crediderint, ſive credere ſtuduerint, fluctuantem circa grave hoc monumentum animum pro virili confirmaturi? Idem etiam innuit inanis, anxie adeo a viris

fortibus

fortibus ac celebrioribus anhelata, famæ immortalis gloria; ex qua, eiusmodi qualitatem tribuiſſe eos animæ, apparet, ut, cum poſt exactam vitam adhuc ſuperſit forte, ſui quoque memoriam apud viventes relinquere cupiat. Et ſane, ſi effectus animæ inprimis conſiderabant gentiles, cogitationes ſcilicet, facile inde poterant vitam illius coniicere perennem. Eleganter id exprimit *Cicero*. *Itaque*, inquit, *cum multis aliis de cauſis virorum bonorum mentes divinæ mihi atque æternæ videntur eſſe, tum maxime, quod optimi ac ſapientiſſimi cuiusque animus ita præſentit in poſterum, ut nihil, niſi ſempiternum, ſpectare videatur.* Idem *Manilius*, Poeta ingenioſiſſimus, pulcherrimis declarat verſibus:

Iam nuſquam natura latet; pervidimus omnem,
Et capto potimur mundo, noſtrumque parentem
Pars ſua conſpicimus, genitique accedimus aſtris.

An dubium eſt, habitare Deum ſub pectore noſtro,
In cœlumque redire animas, cœloque venire?

XX. Confirmare idem inſuper videtur pervulgata gentilium de futuro animarum poſt mortem ſtatu traditio, ſecundum quam de animis fabulabantur, illas, corpore ſimul ac ſolutæ ſint, a *Mercurio* ad inferos deduci, iudicibus *Minoi*, ſive *Æaco*, ac *Rhadamantho*, *Iovis* filiis, ſiſtendos, a quibus, poſt inſtitutam in ſingularum actiones inquiſitionem, vel ob benefacta abſolutæ

abſolutæ ad dextram in ſuperiorem cœli regionem, quæ camporum Elyſiorum ac beatarum inſularum nomine venire illis ſolebat, vel propter commiſſa crimina condemnatæ ad ſiniſtram in inferiorem locum, Orcum quem dicebant, dimittantur, ita quidem, ut illæ perfruerentur deliciis, felicemque ibi cum Diis inter epulas & pulcherrimarum rerum ſpectacula vitam degerent, hæ vero acerbiſſimis ſuppliciis in immenſis tenebris magnoque ſqualore & miſerrimo gemitu afficerentur, æternisque pro peccatis ſuis pœnis graviſſime cruciarentur. Summa hæc eſt poeticarum de conditione animarum, poſtquam e corpore exceſſerint, narrationum, in *Homero*, *Virgilio*, aliisque, obviarum, in quibus quanta deprehendatur cum ſacris paginis convenientia, vel me tacente, quilibet facile intelligit. Priſcorum eccleſiæ præſulum quidam mortuorum adeo inſtantem ad vitam reditum cognitum pariter fuiſſe gentilibus putarunt, idque tum ex nota eorum de metempſychoſi *, ſive animarum in alia corpora migratione, doctrina, tum ex emphaticis cruciatuum infernalium ** deſcriptionibus, corporibus convenientibus, probare ſunt annisi. Verum enim vero, cum eam vix admittere poſſe videatur relicta ſibi ſola ratio, imo gentiles reſurrectionem, quæ noſtra eſt fiducia, deriſui ſemper habuerint, in medio id relinquendum eſſe cenſeo, ſuumque cuilibet iudicium libenter largior. Merentur interim conferri, quæ docte hac de re diſſeruit ſæpius

iam

iam laudatus *Zobelius* in Diſſertatione Academica *de Mortuorum reſurrectione, a paganis adumbrata*, quam A. 1737 Altorfii publico examini expoſuit, ſequenti vero 1738 anno iam citatæ *Cacozeliæ gentilium pag. 67 ſeq.* inſeruit, & nova facie, uti in Præfatione ipſe ſcribit, prodire iuſſit. Magis mihi ſeſe probat, quod dederunt demonſtratum multi, perveniſſe de conflagratione mundi, eiusque renovatione, ad gentiles famam, hancque doctrinam acceptam a plurimis Philoſophorum eſſe atque divulgatam, adeo, ut in *Ovidio* quoque, *Lucano*, atque *Seneca*, tragico illo ſcriptore, illius veſtigia reperiantur. Conf. præter *Pfannerum loc. cit. cap. 18 §. 4*, & *Huetium* in *Quæſt. Alnet. Lib. II cap. 21*, *Iacobus Thomaſius* in Exercitatione *de Exuſtione mundi Stoica*, præmiſſa eius *Diſſertationibus, ad Stoicæ Philoſophiæ & ceteram philoſophicam hiſtoriam facientibus*, Lipſiæ A. 1682 in 4 editis, itemque in ipſis his *Diſſertationibus pag. 160 ſeq. Io. Raius* in Diſſertatione *de Diſſolutione mundi & futura conflagratione*, quæ tertium locum occupat in ipſius *three phyſico-theological Diſcourſes*, Londini A. 1713 in 8 evulgatis, & *Io. Hermannus Benner* in Diſſertatione *de Exuſtione mundi ſuprema ad Petri ſententiam conformata*, Gieſſæ A. 1733 ventilata.

* Emollire, leniusque interpretari, hanc noſtris temporibus nonnulli voluerunt, prouti fecerunt Eccleſiaſtes quidam, haud indoctus alias, Batavus, *Wilhelmus Irhovius* in tribus *de Palingeneſia veterum, ſeu Metempſychoſi ſic dicta Pythagorica*, Amſtelodami A. 1733 editis, Libris, & celeberrimus Marpurgenſis

burgenſis Hiſtoricus, *Io. Adolphus Hartmannus*, in Diſſertatione *de Metempſychoſi Pythagoræ, ab imputationibus abſurdis liberata,* A. 1733 habita. Sed refutavit eos ſolide doctiſſimus Ordinis Philoſophorum in Academia Wittebergenſi Adiunctus, & dignus magni quondam, ornantis illam, Theologi filius, *Gottlieb Wernsdorfius*, in Diſputatione *de Metempſychoſi veterum non figurate, ſed proprie, intelligenda,* ibidem A. 1742 habita. Num vero Iudæis quoque credita ſit talis animarum migratio, disputatum inter alios fuit. Affirmare non dubitarunt *Bartholomæus Mayerus* in *Philologia ſacra Part. I pag. 228 ſeq.*, *Paulus Slevogtus* in Diſſertatione *de Metempſychoſi Iudæorum,* Ienæ A. 1651 habita, *Io. Camero* in *Myrothecio Evangelico pag. 21, Io. Druſius Lib. II de Sectis Iudæorum pag. 70 Syntagm. Trigland. Nicolaus Serarius Lib. II de Trihæreſio cap. 3 §. 3*, aliique. Contrariam vero ſententiam, quod nunquam Iudæis iſta comprobata fuerit doctrina, amplexus eſt *Iacobus Altingius Tom. V Operum pag. 360.* Mediam inter utramque ſecutus eſt, concedens quidem, quod a Phariſæis olim admiſſa fuerit, & ab hodiernis pariter Iudæis credatur, Metempſychoſeos olim doctrina, at, multum hanc diverſam a *Pythagorica* eſſe, perhibens, *Paulus Erneſtus Iablonski* in Diſſertatione *de Metempſychoſi Phariſæorum, & num illa ex Scriptura Novi Teſtumenti adſtrui poſſit?* Francof. ad Viadrum A. 1735 ventilata, §. 4 *ſeq.*

** Vid. *Pfannerus loc. cit. cap. 21 §. 18*, & *Huetius loc. cit. cap. 24.*

*** Quanto fuerit offendiculo gentilibus hæc doctrina, inprimis teſtatur *Auguſtinus* in *Expoſitione Pſalmi LXXXVII*, ubi, *in nulla re tam vehementer,* ait, *tam pertinaciter, tam obnixe & contentioſe, contradicitur fidei Chriſtianæ, ſicut de carnis reſurrectione. Nam & de animi immortalitate multi etiam Philoſophi gentium multa diſputarunt, & im-*

mortalem

mortalem eſſe animum humanum, pluribus & multiplicibus libris conſcriptum reliquerunt. Cum ventum fuerit ad reſurrectionem carnis, non titubant, ſed apertiſſime contradicunt; & contradictio eorum talis eſt, ut dicant, fieri non poſſe, ut caro iſta terrena poſſit in cœlum adſcendere. Docent idem etiam acerba *Cæcilii* verba, quæ leguntur apud *Minutium Felicem* in *Dialogo* ſuo, qui *Octavius* inſcriptus eſt, *pag. 16. Aniles*, ille ibi ait, *fabulas adſtruunt* (Chriſtiani) *& connectunt; renaſci ſe ferunt poſt mortem & cineres & favillas, & neſcio qua fiducia mendaciis invicem credunt; putes, eos revixiſſe. Anceps malum & gemina dementia.* Vid. *Deſiderius Heraldus* in *Notis ad h. l. Wilhelmus de Neve* in Diſſertatione *de Epicureorum & Stoicorum Chriſtianiſmo intentatis conviciis*, Francofurti ad Viadrum A. 1708 habita, *Chriſtianus Kortholtus* in *Pagano obtrectatore Lib. I cap. 19 §. 8 ſeq.* & *Pfannerus loc. cit. cap. 19 §. 1 ſeq.*

XXI. Sed reſtat altera, ſupra §. XI commemorata, claſſis eorum, quæ cum Scripturis ſacris conſentanea licet deprehendere in ethnicorum ſcriptis, ſaniora ſcilicet de vita recte ducenda præcepta, ab iſtis ita tradita, ut amice pariter cum Chriſtianæ religionis regulis conſpirent. Sunt quidem, hic qui etiam procul habere a profanis morum præceptoribus oculos iubent, uti v. g. *Chriſtianus Weiſius Epiſt. XI ad Vincentium Placcium* de affinitate Philoſophiæ & Theologiæ moralis *pag. 22. Communis*, ſcribit, *utrobique* (in Philoſophia nimirum & Theologia morali,) *finis eſt, ut homini in hac vita bene ſit, imo ut affectus vincat, amoremque honeſtatis induat. Cur igitur, quod obtinere poſſumus*

nus per pauca; quærimus per plura? & pag. 23: *Qui verſamur in ſcholis Chriſtianorum, merito ingeminamus illud Apoſtoli: Quid ad nos extraneis? Sed nec illi errant*, reſponſio eſt *Chriſtiani Falſteri* in *Cogitationibus variis philologicis Part. I Cogit.* 7 §. 2, *niſi nullius omnino momenti eſſe probaverint, quod dogma Chriſtianum etiam ab adverſariis ſuis comprobetur, & veluti hoſtium manibus defendatur; niſi turpe duxerint, in gentilibus ea reperiri vitæ bene inſtituendæ præcepta, ea continentiæ, æquitatis, caritatis, iuſtitiæ, & cæterarum virtutum, exempla, quæ maximopere Chriſtus & Apoſtoli paſſim inculcarunt.* Nec denegatur inde iuſta, ac omnino concedenda, ſive vindicanda, Theologiæ morali præ gentilium Philoſophia morali prærogativa, quam ſingulari ac docta Diſſertatione *de Theologia morali, multo præſtantiori Philoſophia morali*, A. 1731 publice ventilata, demonſtratam dedit venerabilis academiæ Ienenſis Theologus, *Ieſaias Fridericus Weiſſenbornius.*

XXII. Elegantiſſimis vero adeo repleti monitis ſunt gentilium ſcriptorum libri, ut, quoties occurrunt talia, qualia quidem ſæpius occurrere neceſſe eſt, rite ac decenti cum attentione eosdem lectitantibus, meminiſſe non potuerim non egregii *Paulini* de divina lege, cordibus gentilium inſcripta, conſcientiasque eorundem convincente, teſtimonii, *Rom. II, 15*, obvii. Qua ſcilicet tradita illa lampade, multa ubique de virtutibus præclara cognoviſſe illos, nec de iis præcepta ſolum, ſed & exem-

pla exhibuiſſe pulcherrima, Chriſtianorum multos pudore quæ valeant afficere; mirum non eſt. Quemadmodum autem triplicia omnino ſunt hominis, ad quæ natura obligatur, officia, ea nimirum, quæ Deo, quæ ſibi, & quæ reliquis hominibus præſtare tenetur; ita, ut a prioribus ordiar, in confeſſo apud omnes eſt, totiesque a doctoribus ethnicorum Philoſophis inculcatum, Deum credendum, timendum, & amandum eſſe, omnia ab eo exſpectanda bona, obediendum ipſi, illum denique religioſe eſſe colendum, atque hunc ipſum cultum, ſupremo huic Numini debitum, actibus animi internis præcipue abſolvi, devotione erga illud, & ſincera directa ad ipſum oratione, tum & externis, adoratione, votis, laudationibus, ſacrificiis, dierumque feſtorum diligenti obſervatione. Quæ quidem eo tendere debere monent, ut vel ſuperiorum beneficiorum Dei memoriam recolens homo, ipſi, tanquam auctori, bonorum acceptorum partem grato animo refundat, vel novis ſe ab eo ornari augerique expetat. Videtur quidem his omnibus obſtare profanus ille idolorum cultus, qui, a Deo tantopere rejectus, mirifico quodam conſenſu ſuſceptus tamen, ac conſtantiſſime ſervatus fuit a gentilibus. At nec defuerunt ipſos inter hos ſapientiores, qui iſtum ſtatuarum cultum a cœleſtis Numinis natura, atque adeo ab ipſa etiam ratione, pronuntiarent alienum, quique, antiquiſſimis temporibus haud exſtitiſſe illum, pulchre demonſtrarent; ex quibus non *Xenophanem*

nem ſolum Colophonium, ſed & Sophoclem, al- *I.*
legant veteres eccleſiæ doctores, cuius præcla-
rum illud eſt, apud *Hecatæum* effatum:

Unus vere, unus eſt Deus,
Qui cælum latamque terram fundavit.
Sed nos mortales, errore ſeducti,
Ex ære & lapidibus, auro eboreque,
Simulacra nocentium Deorum ereximus.
Quos ſacris ſolennitatibus peſtiferisque hono-
rantes,
Falſam pietatem amplectimur.

XXIII. Inter officia, quæ ad ipſum hominem ſpectant, prima omnino eſt mentis puritas, ac conſcientiæ integritas, quam adeo commendarunt gentiles, ut, ſummam hanc eſſe felicitatem, optimumque adverſus quævis tutamen, recte prædicarint, quæ ne cum vita quidem commutari debeat, ſecundum *Iuvenalis* illud:

Summum crede nefas, animam præferre pu-
dori,
Et propter vitam vivendi perdere cauſas.

Iuſtitiam, & in gerendis rebus prudentiam, tum & in perferendis malis fortitudinem conſtantiamque, omnes fere imperant gentilium Philoſophi. Vid. *Cicero de Officiis Lib. III*, & *Seneca de Ira cap. 23, 32, & 38.* Sed & humilitatem ambitioniſque fugam, virtutum Chriſtianarum præcipuam, agnoverunt, & ad eandem tum ex tranquillæ mediocritatis commendatione, tum ex vitæ huius inconſtantia variiſque afflictionibus, tum ex malis, ſuperbiam

comitantibus, graviter sunt adhortati. Quam pulchre a voluptatibus, corpori delectationem afferre solitis, abstinere ſapientem iuſſerint; haud opus eſt, ut multis declaretur, cum omnes ferme fabulæ graviſſima iſtarum voluptatum damna, quibus tam animus, quam corpus, afficiatur, elegantiſſime adumbrent. Hinc, laſcivia damnata, continentiam & caſtimoniam, *virtutum penu* a *Menandro* ſalutatam, ſervandam toties præceperunt Poetarum optimi, qua amiſſa, mala quævis evenire hominibus oſtendunt. Conf. *Pfannerus loc. cit. cap.* 11 §. 24. Nec ipſi impii carminum impudicorum auctores ita fuere ab omni honeſtate remoti, quin virginitatem, eiusdemque ſtudium, maximopere laudarent. Unde *Ambroſius de Virginitate Lib. III*, *ipſis gentilibus*, ait, *inter aras & focos venerabilis ſolet eſſe virginitas.* Quæ deinde eſſe ſolent caſtitatis ſociæ, frugalitas, moderatusque rerum ad ducendam vitam neceſſariarum uſus, tum & dura invictaque laborum, ſine quibus comparari nihil poteſt, tolerantia, priſcis gentilium nationibus fere omnibus fuere in deliciis, ſcriptoribus eorum diligenter iſta omnia in ſcriptis ſuis inculcantibus. Imo & in divitias, quas omnium malorum cauſas nuncupabant, quantopere invecti gentiles fuerint, plurimæ teſtantur, eædemque ſaluberrimæ, ipſorum ſententiæ, nec non exempla, quibus ad contemnendas iſtas reliquis prælucere voluerunt, adeo, ut, quam captaſſent alii, diteſcendi occaſionem, ipſi ultro oblatam, ne acci-

pere

pere quidem fuerint dignati. Taceo alia, tum inprimis, quæ reſtant, reliquis hominibus præſtanda officia, quæ, uti omnibus natura conſtant, ita a gentilibus etiam ſtudioſe commendantur. Conf. quæ in genere commemorat *Gerhardus Io. Voſſius Lib. VIII de Theologia gentili cap. 13*, nec non, quæ ſpeciatim circa regulas, a ſanctiſſimo Servatore *Matth. V & VI* propoſitas, ex *Marci Antonini*, Imperatoris Philoſophi, libris, *de rebus ſuis* inſcriptis, conſentanea illis excerpſit *Chriſtianus Falſterus loc. cit. pag. 45 ſeq.*

II.

PETRI ZORNII,

IN GYMNASIO THORUNENSI RECTORIS, PROFESSORIS PRIMARII, ET BIBLIOTHECÆ PUBLICÆ PRÆFECTI,

DISSERTATIO DE פחד יצחק, SIVE TIMORE ISAACI, AD GENESEOS XXXI, 42 ET 53.

I.

Syris דחל, *dahhl*, eſt *timor*, deinde *Deus*, qui timetur. Plerumque in Paraphraſtis uſurpatur de *Diis gentium*, ut *Exodi XX, 20*: דחלן דכסף ודחלן דדהב, *Dii argentei & aurei*; tamen, obſervante *Samuele Bocharto* [a] *Deuteron.* XXXII,

a) *In Parte poſteriori Geographiæ ſacræ, ſive Chanaan, Lib. I cap. 14.*

XXXII, 15, in Hieroſolymitano, & ibidem verſu 18 in Oukelo & Ionathane *verus Deus* vocatur itidem דחלא (*Dabbla*) vel דחלת (*Dabblath*) timor. Quando igitur legimus *Actorum Apoſtolicorum IX, 31: πορευόμεναι τῷ φόβῳ τοῦ Κυρίου*, cum *Petro Keuchenio* [b] exiſtimamus, hanc phraſin ex paraphraſt Chaldaica deſumtam eſſe. Quod enim *Geneſeos V, 22*, legitur: *Et ambulavit Enoch cum Deo*, Targum expoſuit: *Et ambulavit Enoch* בדחלתא דיי *in timore Iehovæ*. Et rurſus *Geneſ. VI, 9*, quod ſcriptum eſt: *cum Deo ambulavit Noach*, Paraphraſtes Chaldæus explicat: בדחלתא דיי, *in timore Iehovæ ambulavit Noach*. Locutionem autem hanc Chaldaicam vix aliis, quam quibus hic *Lucas* uſus eſt, verbis reddi poſſe, quivis harum rerum vel tantillum peritus videt. Nihil enim Novi Teſtamenti Scriptoribus uſitatius, quam Ebræum יהוה, quod in Paraphraſi Chaldaica יי ſcribitur, voce Κυρίου vertere.

II. Tranſeamus nunc ad *Ebræos*. Quemadmodum autem apud hos *Pſalmo LXXVI, 12*, *Deus* appellatur מורא, *reverentia*, ita & in his locis *Deus* nominatur פחד יצחק *timor Iſaaci* a Iacobo. Sic autem *Iacobus*, uti recte obſervat Vir celeberrimus, *Daniel Gerdeſius* [c], procul dubio

b) In *Annotatis in IV Evangeliſtas & Acta Apoſtolorum pag. 183.*

c) In Diſſertatione, cui titulus: *Obſervationum miſcellanearum ad hiſtoriam Iſaaci Συμμίκτοις*, *Obſer-*

..iō ſibi grata mente revocat ad animum, atque etiam ut *Labani*, quem iis verbis alloquebatur, hoc pateſiat, efficere vult, quanta eſſet ac fuerat *Patris* eius *Viri ſancti* per omnem vitam, in omnibus actionibus, quamque profunda ac humilis erga Deum *reverentia*, quanta quamque accurata *ſollicitudo*, ne quid a Deo mandatum intermitteret, ne quid alio, quam quo Deus volebat, modo committeret, quanta in eo eſſet ac fuerat, quamque ſeria cuiuscunque *peccati*, Deo diſplicentis, *fuga*, quam univerſale *omnis mali odium*, una cum perpetua *de ſe ipſo diffidentia* coniunctum, ut illa virtutum regina, *Pietas Iſaaci*, ex iterata hac phraſi colligatur, cuius multiplex alioquin in hiſtoria *Iſaaci* reperitur documentum, qui præterea cum *Abrahamo*, fidelium patre, toties coniungitur, quando dicitur *Geneſeos XLVIII, 15, cum Abrahamo ambulaſſe coram facie Dei;* quando is *una cum Abrahamo peregrinus* fuiſſe dicitur *in terra*, *Geneſ. XXXV, 27*, coll. *ad Ebraeos XI, 13*, quando *Geneſ. XXXII, 9*, *Deus* dicitur *Deus Abrahami*, & *Deus Iſaaci*, quando *nomen* utriusque *Iſaaci* æque ac *Abrahami nominandum eſſe*, *Geneſ. XLVIII, 16*; promittitur in filiis *Ioſephi*: prouti quod *exſtructo altari Geneſ. XXVI, 25*, dicitur, *invocaſſe nomen Domini* in illa terra *Rechoboth*: quod omnia terrena quoque beneficia *ad Iehovam* ſemper *referebat Geneſ. XXVI, 28*, & ſimilia huc pertinent. Hactenus hæc. Conferatur

 Io. Henr.

Obſervatione VIII. Confer *Miſcellanea Duisburgenſia Tom. II Faſciculo III pag.* 547.

Io. Henr. Heideggerus [d]. Ceterum conſtat, *Patres, ante legem Moſaicam* viventes, longe minori rituum mole preſſos fuiſſe, quam ſub *Moſe*, & poſt *Moſen* Iſraelitas; *gaviſos* tamen illos *plena libertate, ſine ulla iugo ac legis accuſantis onere, non conſtat.* Habuerunt *praecepta de victimis*, non quidem adſtringentia ipſos ad certum tempus locumque, ſed iubentia tamen victimas, (quae ſane ἐθελοθρησκεῖαι non fuerunt,) diſtinguentia pecudes mundas ab immundis. In ſingulis autem victimis fuit peccatorum, nondum expiatorum, ἀνάμνησις, &, ut *Athanaſius* loquitur, ὀνειδισμὸς & ſcriptio chirographi, in ipſa hoſtiarum oblatione. Cum enim mactaret & combureret homo animalia, ipſi a Deo in cibum data, eo ipſo teſtabatur, dignum ſe internecione eſſe, imo dignum, qui ultricibus flammis aeternum periret, & *necdum comparuiſſe eum, qui unica oblatione ſui peccata omnium vere expiaret.* Videatur *Hermannus Witſius* de *Oeconomia Foederis cum hominibus* *Lib. III cap. 3 §. 21 pag. 288.*

III. Non incommodum fuerit, hic diſquirere, quid ſibi verba velint *Lucae I*, 74, ἀφόβως λατρεύειν αὐτῷ. Nimirum, uti videre licet apud *Chriſtianum Schoettgenium* [e], *Iudaeis duplex eſt ratio colendi Deum*, altera מאהבה, *ex amore*, altera מיראה, *ex timore.* Iudaeis ergo nota fuit

d) In *Hiſtoria Patriarcharum Tomo II Exercitatione XV §. XXXI pag. 462 ſeq.*

e) In *Horis Hebraicis & Talmudicis in univerſum Novum Teſtamentum pag. 260 ſeq.*

ſuit illa Scholaſticorum diſtinctio *inter amorem amicitiæ & concupiſcentiæ*. Prior eſt אהבה, quando aliquem *amamus* propter perfectiones & bona ipſius. Poſterior eſt בקשה, quando *amamus* propterea, quod utilitatem ab ipſo conſequimur; *timor* vero eſt, quando *Deum colimus, ne nos perdat*, qualem *Paulus Rom. VIII, 15*, vocat πνεῦμα δυλείας, qui eſt εἰς φόβον. Nimirum *in Veteri Teſtamento*, ubi tam multæ leges aderant, Iſraelitæ ſemper in timore & tremore vivebant, ne forte quid agerent, quo ſe polluerent, aut quocunque modo iram Dei contraherent. Et hoc erat *iugum illud*, quod neque ipſi, neque patres ipſorum, portare poterant. In *Novo* vero *Teſtamento*, cuius *initium* tunc aderat, *Zacharias*, divino ſpiritu inſpiratus, cultum prædicit, non ביראה, ſed באהבה. Nimirum *in externis iugum illud* ſublatum eſt, nosque *ſine timore* in talibus aliquid committendi Deo ſervire poſſumus. Reliquum eſt, ut ſubiungamus verba *Hermanni Witſii* [f]: Cum magna *ſervitus ſit, in lege præcepti carnalis* curate ſervanda ſe fatigare, Spiritus, qui faciebat, ut *ſervitutem* hanc *libenter & in fide* ſubirent, ſingulari ratione *Spiritus ſervitutis* dici meretur. Operationes autem eius in fidelibus hæ erant: I docebat eos, iuſtum, ipſis bonum, Deo glorioſum, œconomiæ fœderis Dei convenies, eſſe, *ſervitutem elementorum mundi*, a Deo iuſſam, libenter ſubire,

f) *De Oeconomia Fœderum Dei cum hominibus Lib. IV cap. 13 §. 19 ſeq. pag. 821.*

non homines circumvolant; eosque ſemper pungunt, adeo, ut grandes tumidique reddantur ex aſſumto ſanguine humano. Adverſus eos haud aliud valet remedium, quam linteum, hoc eſt, tela puriſſima, ſubtilis, ac rara, qua lectum omnem circumdet, lectumque muniat, neceſſe eſt. Nihilominus ſemper infectum eiusmodi unum & fortaſſe alterum irrepit in lectum, ubi item cubitum.

Accuratior eſt deſcriptio, ac copiolior expoſitio, quam Vir generoſiſſimus *de Maillet* dictus, ſuppeditavit [c], qui aliud quoque remedium commendat, nempe domicilium hominis nocturnum in excelſo conclavi. Altum enim frigidumque aerem culices iſti ferre non poſſunt. Græci vocabant lectum, contra culices telis linoque ſubtiliſſimo circumdatum, *κωνωπεῖον, conopeum. Horatius Epod IX v. 15, 16*, hæc habet:

Et inter ſigna turpe militaria
Sol adſpicit conopeum.

Ægyptii vocant conopea eiusmodi *Namuſie*. Conopeum a Generoſiſſimo *de Maillet* ita deſcribitur: *Elle eſt une tente, au milieu de la quelle eſt ſuſpendu un pavillon de toille fine ou de gaze, qui tombe iusqu' à terre, & environne les matelas.* Æſtate inprimis adulta culices illi terribiles ac efferati furere ſolent. In India Africana, ſeu Abeſſinia, hi quondam ita invaſerunt ac afflixere incolas, ut hi illis cedere, ac ſedes alias quærere, fuerint coacti. *Ælianus* de iſto grege culicum illorum infeſto ita diſſerit [d]: Κατὰ

c) *Lettre II pag. 37 loc. cit.*
d) *De Animalibus Lib. XVII cap. 41.*

κατὰ τὴν τοῦ Σειρίου ἐπιτολὴν κωνώπια τινα ἐκπληκτικὰ, καὶ διά τινα τὸν ἀέρα καταλαβεῖν ἐπιφανέντα, εἶτα μέντοι ἐλύπησέ τινα πόλιν. *Ad Sirii exortum culices quidam terribiles, & qui valebant aerem illucentem obtenebrare, poſthac civitatem quandam infeſtarunt.* Adiicit *Ælianus*, ipſos eſſe *ὑδάτων πονηρίας, imbrium ac corruptæ aquæ exitia & peſtes.* Quo ipſo intelligitur, miraculum accidiſſe divinitus, cum ſub exitum Iſraelitarum ex Ægypto inſtantem ante æquinoctium vernale iam culices Ægyptiis ultra modum & conſuetudinem eſſent graves ac moleſti. Tempus illud haud ſolebat alias culicibus illis ſcatere. Inſolitum id quoque erat momentum, quod domus Ægyptiorum integræ culicibus abundarent, cum Deus *Pharaonem* duriter tractaret, & iuſſis parere recuſantem affligeret, *Exod. VIII*, 21. Tertia miraculi gloria in eo conſiſtit, quod culex nullus attigerit tractum Goſenitidis, quem Iſraelitæ inter præfecturam Taniticam & Phragroriopolitanam habitabant. Beneficium hoc omnino erat in maximis ponendum, quod Iſraelitæ a culicum morſibus moleſtiſſimis, eorumque ſtridore faſtidioſiſſimo, manebant liberi. Utrumque enim hoc incommodum erat tantum, ut ne leones quidem ſtridorem illum, morſusque illos iniucundiſſimos, ferre poſſent. Is, qui nobis Eclogas ex *Agatharchide* libro *de rubro mari* ſuppeditavit, de populis, Ægypto ad auſtrum conterminis, exponens, hæc literis prodidit *pag. 37 Vol. I Io. Hudſoni*: ἔχουσι ἔτοι κακὸν ἄφυκτον, τοὺς ἐν τοῖς ἕλεσι λέοντας ἐπιτιθεμένους

non homines circumvolant, eosque ſemper pungunt, adeo, ut grandes tumidique reddantur ex aſſumto ſanguine humano. Adverſus eos haud aliud valet remedium, quam linteum, hoc eſt, tela puriſſima, ſubtilis, ac rara, qua lectum omnem circumdet, lectumque muniat, neceſſe eſt. Nihilominus ſemper inſectum eiusmodi unum & fortaſſe alterum irrepit in lectum, ubi item cubitum.

Accuratior eſt deſcriptio, ac copioſior expoſitio, quam Vir generoſiſſimus *de Maillet* dictus, ſuppeditavit [c], qui aliud quoque remedium commendat, nempe domicilium hominis nocturnum in excelſo conclavi. Altum enim frigidumque aerem culices iſti ferre non poſſunt. Græci vocabant lectum, contra culices telis linoque ſubtiliſſimo circumdatum, κωνωπεῖον, *conopeum. Horatius Epod IX v. 15, 16,* hæc habet:

Et inter ſigna turpe militaria
Sol adſpicit conopeum.

Ægyptii vocant conopea eiusmodi *Namuſia.* Conopeum a Generoſiſſimo *de Maillet* ita deſcribitur: *Elle eſt une tente, au milieu de la quelle eſt ſuſpendu un pavillon de toille fine ou de gaze, qui tombe iusqu' à terre, & environne les matelas.* Æſtate inprimis adulta culices illi terribiles ac efferati furere ſolent. In India Africana, ſeu Abeſſinia, hi quondam ita invaſerunt ac afflixere incolas, ut hi illis cedere, ac ſedes alias quærere, fuerint coacti. *Ælianus* de iſto grege culicum illorum infeſto ita diſſerit [d]:

Κατὰ

c) *Lettre II pag. 37 loco cit.*
d) *De Animalibus Lib. XVII cap. 40.*

Ad pag. 18. *Peu d'uſage qu'il faiſoit de l'écriture*) Non dixit *Livius*, maiores ſuos parcius negligentiusque ſcripſiſſe, ſed, literas olim & titulos rarius monumentis inſculptos fuiſſe, ex poſtremi temporis ſuæque ætatis moribus iudicavis. Conf. ad h. l. *Gronovium* & *Drackenborchium Tom. II pag. 252.*

Ibid. Que tous ces anciens monumens) Omnia more tuo maiora re facis. Hinc nihil mirum, cur multi, qui *Plutarchum* ex tua verſione norunt, pervetuſtæ Romanorum memoriæ fidem damnandam eſſe, putent. Non enim omnia monumenta, ſed ἐκείνας ἀναγραφὰς, periiſſe, *Clodius* teſtatur, dein ipſe verborum nexus docet, non tam de iactura publicorum monumentorum conqueri Auctorem Elenchi Chronici, quam nonnullas ἀναγραφὰς περὶ στεμμάτων, ſeu commentarios, ut opinor, gentilitios, deſiderare. Alter locus *Plutarchi*, quem *pag. 19* poſt *Sigonium* (ad *Livii Lib. VI cap. 1*) & *Perizonium* (*Animadverſ. hiſt. cap. 5 pag. 180*) exſcripſiſti, valde odioſus eſt & lubricus, quare me, quod aiunt, lupo & præcipitiis interpoſitum video. Novi *Plutarchum*, hominem in diſciplinis gravi auctoritate, virumque doctiſſimum ac prudentiſſimum, qualem *Gellius Noct. Attic. Lib. I cap. 26* & *Lib. IV cap. 11* laudat; novi, eundem libri περὶ Ῥωμαίων τύχης verum Auctorem eſſe, de quo male dubitas, cum *Lamprias*, *Plutarchi* filius, in πίνακι, ſeu Catalogo Scriptorum ἐξῆς huius libelli meminerit. Vid. *Fabricii Bibl. Græc. Lib. IV cap. 11 pag.* [illegible]

Sed

Sed bonum factum, verba *Livii* feſtinanter nimis ac mendoſe hic a *Plutarcho* reddita Græce fuiſſe, cuius peccati eundem aliis in locis reum facit *Perizonius* in *Animadv. hiſtor. cap. 9 pag. 379 ſeq.* Enimvero, qui poteras, o bone, *Romuli*, *Numæ*, *Corioleni*, & aliorum veteris diſciplinæ heroum, vitam literis conſignare, ſi certi nihil, nihil definiti, in Scriptorum Annalibus reperiebas, ſi, res omnes & commentarios Romanorum olim confuſos eſſe, ſerio arbitrabare? Tale quippiam non habet *Livius* in iis, qui ſuperſunt, libris. Quare pluribus abſtineo in re, eruditis nota. Contendunt alii, *Plutarchum* in rebus Romanorum exponendis ſæpiſſime Romana obſcuraſſe, ut Græcorum inſtituta tanto magis extolleret. Sed anceps hæc eſt cavillatio, quam vincere nolo.

Pag. 21: Si Denys d' Halicarnaſſe) Relictis omnibus, monendum eſt, *Dionyſium* in Præfatione non contra Romanos, ſed populares ſuos Græcos, originum hiſtoriæque Romanæ patrocinium & defenſionem ſuſcepiſſe. Ἔτι γὰρ ἀγνοεῖται, inquit *Lib. I pag. 4*, παρὰ τοῖς ἕλλησιν ὀλίγȣ δεῖν πᾶσιν ἡ παλαιὰ τῆς Ῥωμαίων πόλεως ἱςορία, & mox: Ταύτας δὴ τὰς πεπλανημένας, ὥσπερ ἔφην, ὑπολήψεις ἐξελέσθαι τῆς διανοίας τῶν πολιτῶν προαιρȣ́μενος, &c. Quos errores cum Græcis Græcus exprobret, ſatis indicio eſt, *Dionyſium* talia nec ſuis perſuaſurum, nec temere ex quadam velut ſenſus proprii abundantia

tis veram rerum antiquarum imaginem, tanquam nonnullum controverſiæ colorem, traditurum fuiſſe, niſi longo literarum Latinarum uſu eam rem, hiſtoriarum omnium ex fide deprehenſam, luculentiſſimis monumentorum, librorum, tabularum, rituum, exemplis demonſtrare potuiſſet. Scilicet in limine operis ſupervacaneum eſſe duxit, literarum præſidia commemorare, quæ in rem præſentem venturi lectores ignorare nullo modo poterant. Etenim ſit verſutus & pertinax ſuæ cauſæ patronus, qui omnem libri *Dionyſiani* dotem ex Præfatione iudicat, neque is *Dionyſium* legiſſe videtur, qui contendit, eum vanis Græcorum rumoribus, quos ἐπιτυχόντα ἀκούσματα vocat, alios rumores oppoſuiſſe. Atqui ſciendum eſt, veraciſſimum ſcriptorem non tam externas rerum ſpecies intueri, quam monumentorum publicorum adminiculo in interiora penetrare.

Ibid. Qui empêcherent Ciceron d' entreprendre d' écrire l' hiſtoire) Rurſus nimis confidenter iudicium tuum interponis. Nusquam *Cicero* aſpernatus eſt illam hiſtoriæ partem, ſed *Atticus* æqualem ſuæ ætati memoriam a *Cicerone* depoſcebat, ſive quod nullam hac illuſtriorem, & ad flumen eloquentiæ *Tullianæ* aptiorem, reapſe noverat, ſive quod verebatur, ne, ſi ab ultimis temporibus ſcribendi exordium caperet *Cicero*, non ſui modo, ſed maiorum quoque, Annales præ erudita eius dicendi copia infantes & pueriles fierent, hinc callida &

venuſta quadam aſſentatiuncula *Ciceronis* gratiam aucupatur, perſuadens ipſi, melius facturum eſſe, ſi varios actus conſiliorum & temporum, quibus ipſe interfuiſſet, quæve in memorabilem eius annum incurrerent, literis exornare ſtatueret. In quo erat facile *Ciceronem* vincere, non modo non repugnantem, ſed ſuæ laudis vehementer appetentem. Hæ duæ eum rationes impediverunt, quo minus ab Urbe condita hiſtoriam pertexeret: prima, quoniam ordo ipſe annalium, quaſi faſtorum enumeratio, liberos eius dicendi ſpiritus haud mediocriter retinuit; altera, quoniam cupiditate incredibili ardebat, ut rerum eventorumque eius hiſtoria ſcriptis celebraretur. Vid. *Lib. V Ep. ad Div. XII*, item *Q. Fuſii Caleni* orationem apud *Dionem Caſſium Lib. XLVI pag. 306*: προθέμενος γὰρ πάντα τῇ πόλει πεπραγμένα συγγράψαι .... ἔπειτ' οὐκ ἀπὸ τῆς κτίσεως αὐτῆς, ὥσπερ οἱ ἄλλοι οἱ τοῦτο ποιοῦντες, ἀλλὰ ἀπὸ τῆς ὑπατείας τῆς ἑαυτοῦ ἤρξατο. ἵνα ἀνάπαλιν προχωρῶν, ἀρχὴν μὲν τοῦ λόγου ἐκείνην, τελευτὴν δὲ τὴν τοῦ Ῥωμύλου βασιλείαν ποιήσηται. Vide, quam rationis tuæ munimenta hoc velut ariete labefiant. Expunge propterea ſumtionem hanc, *pag. 24* & *116* repetitam, qua, velut tintinnabuli ſtrepitu, literarum inertes identidem terres: *Ce fut même cette raiſon ſeule* &c. & *Les faits fabuleux, dont elle ſe trouvoit remplie, dégoutoient Ciceron* &c. Locutionem illam de *Remo* & *Romulo* nulla rerum antiquarum contemtio, ſed quædam dicendi varietas, peperiſſe videtur. Quod ni amplecteris,

age-

agedum, ipſa te *Attici* & *Ciceronis* adverſus veterem memoriam ſtudia refellant. *Atticus*, conſervatis notatisque temporibus, nihil cum illuſtre prætermitteret, *annorum ſeptingentorum* memoriam uno libro colligavit, *Cicerone* teſte in *Bruti cap. 34*. Vide alia loca, a *Paulo Manutio* ad *Lib. XII Ep. ad Att. XXIII* collecta. Miror tamen, cur idem vir doctus pro *ſeptingentorum* ſcripſerit *quingentorum*, cum tot profecto anni ab Urbe condita usque ad tempora *Attici* effluxerint. *Atticum* vero ſuo Annali omnem rerum Romanarum memoriam, explicatis temporum ordinibus, comprehendiſſe, fidem faciunt ea, quæ *Solinus* ex *Attici* libro de *Anno Romæ conditæ*, & *Aſcon. Pedianus* de *Tribunis plebis*, ex eodem narrant. Vid. *Fragmenta veter. Hiſtoric.* in *Salluſtio Ioſ. Waſſei pag. 273*, ibique *Waſſeum*. Nec credibile eſt, eum, qui *moris maiorum ſummus imitator fuit, antiquitatisque amator, quam adeo diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine expoſuerit, quo magiſtratus ordinavit*, (vid. *Corn. Nep. T. Pomponius Atticus pag. 796, T. II Epiſt. Cic. ad Att.* ed. *Græv.*) & qui forſitan faſtos Capitolinos condidit, auctore *Pighio* in *Annal. Lib. I pag. 13*, omnem illius ætatis hiſtoriam commentorum loco habere potuiſſe. De *Cicerone* res tam clara eſt, ut diſputatione non egeat. Nam, qui libros eius Philoſophicos, Rhetoricos, item Orationes & Epiſtolas, legit, non multum deſiderabit rerum antiquitus geſtarum hiſtoriam contextam. Confirmant hoc vel maxime *Guil. Bel-*

lendeni, Scoti, Magiſtri ſupplicum libellorum Auguſti Regis Magnæ Britanniæ, *de tribus luminibus Romanorum Libri ſexdecim*, Pariſiis A. 1633, *fol.* editi, neque minus *Elogia Ciceroniana Romanorum domi militiaeque illuſtrium annis amplius ſeptingentis ab Urbe condita uſque ad Auguſti imperium, ſelecta a Ioanne Brantio*, quæ prodierunt Antwerp. A. 1612, 4. Ex quibus apparet, verum eſſe id, quod *Fr. Balduinus de Hiſt. Lib. I pag. 644 Pen. Art. hiſt. Tom. I* prodidit, *Non ſcripſit*, inquiens, *Cicero, quam inſtituerat & meditabatur Hiſtoriam Romanam, ſed ex reliquis eius libris tantum & lucis & ornamenti repeti atque referri ad illam poteſt, quantum ex alio quoquam hiſtorico ſcriptore.* Nam libri eius tam pleni ſunt veteris reipublicæ exemplis, ut haud dubitem, quin ex ſolo *Cicerone* hiſtoria Romanorum reſtitui poſſit, ſi ceteri ſcriptores interierint. Quamobrem, cum de moribus *Cicero* inſtitutiſque maiorum ſuorum, de diſciplina & temperatione civitatis, accurate paſſim dixerit, maximeque in iis ſex Libris, quos *de Republica* ſcripſit; (vid. *Tuſcul. quæſt. Lib. IV cap. 1*) cum priſcam rerum Latinarum memoriam fabulis opponat, (vid. *de Fin. bon. & mal. Lib. V cap. 22*) *talibus*, inquiens, *exemplis non ficta ſolum fabula, verum etiam hiſtoriæ, refertæ ſunt, & quidem maxime noſtræ,* &c. (conf. *Divinat. I, 53*), cum Regum ſubinde, Conſulum, aliorumque excellentium hominum, dictis & factis non modo ſapientum voces, ſed ſuas quoque in foro ſententias, approbaverit, cum denique per maiorum ſuorum virtutem

publi-

publice iuret, cuius generis illud eſt apud *Dionem Caſſium Lib. XLV pag. 286*: ὃ μὲν τὸ σκέλος τὸ ὀρατίου, καὶ τὴν χεῖρα τοῦ Μουκίου, ὃ μὲν τὸ δόρυ τὸ Δεκίου, καὶ τὸ ξίφος τὸ Βρούτου: efficitur, ut decreta eius non ſolum nihil ſtabilitatis habuerint, quæ rata & fixa eſſe voluit, ſed etiam fuerint ea, quæ diſputavit, falſa, ſi commentitias res, non factas, loqui videbatur, ſi ratio poterat argumenta movere, ſi eventa maiorum dubiæ rei amplificationem continebant, ſi ſemper ita vulgo putatum eſſet, totam exemplorum vetuſtatem mendacio niti.

Nunc ad triarios res venit. Quæritur ſcilicet, utrum ſcriptores Latini vera rerum monumenta habuerint, ex quibus omnis antiquitas cognoſci potuerit, an vacua interdum hiſtoriæ loca, ne aliquam narrationis partem hiare paterentur, ingenioſe illi ſuppleverint. Ais, omnia igni & ferro Gallico abſumta periiſſe, Pontifices nunquam populo ſuos Annales monſtraſſe, ſed domi aſſervatos vitiaſſe, ſcriptores præterea his, ſi quæ ſuperfuerint, monumentorum reliquiis uti neſciviſſe, ſed ex commentariis familiarum, haud idoneis rerum geſtarum monumentis, pleraque negligenter deſcripſiſſe, verbo, omnes *Fabium Pictorem*, dubiæ fidei Auctorem, ſequi, criminaris. In his nihil eſt, quod non ſuo loco reprehendi poſſit. Equidem contra dico, ſatis locupletem monumentorum copiam *Fabii* & ſequentium ſcriptorum temporibus ſuperfuiſſe, quod ex eo debet

intelligi, quia Annales, Commentarios Pontificum, Leges, Tabulas, tot Epigrammata, Statuas, Formulas, SCta, item vicinarum urbium Annales, in libris ſuis Auctores frequentiſſime excitant. Non igitur a re alienum erit, ſuis quæque digeſta loculis commemorare. Duplex fuit monumentorum genus. Alia erant *publica*, alia *privata*. *Publica* vel in *tabulariis*, Græce ἀναγραφαῖς, & *templis*, reponebantur, uti ſunt 1) *Tabulæ*, 2) *Acta Senatus* & *Populi*, ad quæ pertinent *SCta* & *Plebiſcita*, *Acta diurna*, *Acta belli*, 3) *Faſti*, 4) *Annales*, 5) *Commentarii Pontificum*, & horum pæne ſimiles libri *augurales*, *haruſpicini*, ſeu *Acherontici*, *indigitamentorum*, *rituales Etruſcorum*, *fulgurales*, *Sibyllini*, ſeu *fatales*, 6) *libri lintei*, & *magiſtratuum*, quibus annumerare licet *tabulas Cenſorias*, *Commentarios Conſulares*, & *Quindecimvirorum libros*; 7) *Foedera*, 8) *Leges regiæ* & *Conſulares*, 9) *Regum libri*, 10) *Cantica vetuſta*, 11) Αναθήματα varia, ut ſunt: *aurum*, *vaſa*, *ſigna*, *tabulæ votivæ*, *picturæ*, *tabulæ triumphales*, *arma*, *clypei*, *ſpolia*, *veſtes*, *tropæa*, *quadrigæ*; vel in foro, Capitolio, & aliis in locis, eminuerunt, quæ fuere 12) *opera publica*, ut *templa*, *ſacella*, *ædificia*, *aræ*, *ſepulcra*, *coloſſi*, *columnæ*, *ſtatuæ*, cum ſuis *titulis*, ſeu *Epigrammatibus*, & *elogiis*. His adiungemus non tantum ea antiquitatis ſigna, quæ monumentorum vicem ſuſtinent, veluti *ritus*, *ſacrificia*, *dierum*, *formularum*que, certæ & ex re geſta ortæ notationes, ſed etiam *vicinarum urbium Annales*.

niles. *Privatis* nobiliſſimarum familiarum tablina, pinacothecæ, & armaria, complebantur, cuius generis fuerunt ingentium animorum *imagines*, *codices*, *commentarii rerum in magiſtratu geſtarum*, (*Plin. Lib. XXXV cap. 2*,) *ſtemmata*, *orationes antiquæ*, *laudationes funebres*, *tabulæ accepti & expenſi*.

Studio nos diſcrimen fecimus inter *tabularia* & *tablina*, illorum accedentes ſententiæ, qui, tabularia rei publicæ, tablina vero privatorum hominum, archiva eſſe, rentur. Alii hic *Feſti* locum in *Tablinum* fruſtra opponunt. Etenim, quia *Plinius d. l.* in re præſenti adhibet *tablini* vocem, putandum eſt, ad privatas ſolum ædes *tablina* pertinuiſſe. Ceterum, de tabulariis plura diſputare, non eſt noſtri inſtituti. Exſtat de *Archivis* egregius *Albertini Bariſoni*, Epiſcopi Cenetenſis, Commentarius in *Nov. Supplementorum utriusque Antiquitatum Rom. Græcarumque Theſauri*, a Cel. *Ioanne Poleno* congeſtorum, & Venetiis A. 1737 fol. editorum, *Volumine I pag. 1077*, qui ad h. l. omnino videndus eſt. Tabularia cum ipſa urbe nata eſſe, non tam meis, quam elegantiſſimis doctiſſimi *Bariſoni*, verbis demonſtrabo. *Romulus*, inquit ille *pag. 1084*, *leges condidit*, *iudicia exercuit*, *tributa exegit*, *Senatum legit*, *populum diſtribuit*, *equites peditesque conſcripſit*, *ſacra publica*, *multas agendi formulas*, *inſtituit*, *quæ nec ſine tabulis perfici*, *nec tabulas ſine tabulario aſſervari*, *licuit*, *neque tabulis non ſervatis quidquam certi*, *vel æqui*, *neque in iure*, *neque in militia*,

neque in ordinibus, neque in tributis. Romulum igitur tabularia habuiſſe, neceſſe eſt, atque hac ſub aliis deinceps Regibus, prout urbs ingeniis & viribus augeſcebat, in ampliorem ſemper aptioremque formam creviſſe. Idque præſertim ſub Servio Tullio, cum ipſe primo cenſum inſtituit, quo non viritim, ut antea, ſed pro habitu pecuniarum, belli ac pacis munia quilibet ſuſtineret. Tunc enim urbe opibus & viris aucta, in tot claſſes, in tot centurias, diſtributa, dum perſcribenda perpetuo erant tum ſingulorum nomina & opes, & quid quiſque deberet, quid penſitaret, tum quæcunque & ærario erogarentur, & accepti expenſique rationes conferendæ; peculiaris ac ſepoſitus locus aſſignandus fuit, ubi ingentes tabularum acervi ſciberentur, cuſtodirentur, ac confluentis aſſidue populi penſiones exigerentur. Hæc *Bariſonus.*

Utrum antiquiſſimis temporibus unum, an plura tabularia fuerint, haud proclive eſt dicere. Id ſolum videtur conſtare, in ærario Saturni, templo Iovis Capitolini, & Iunonis Monetæ, præcipua rerum ſuarum monumenta & ſcita publica veteres Romanos detuliſſe. Conveniebat enim, monumentis publicis locum quendam munitum, aditu difficilem, & ab inſidiis tutum, aſſignare, qualis erat arx Capitolina, & inprimis Saturni ædes. Hinc cauſa intelligitur, quare eandem *Valerius Poplicola* ibidem ærarium populi Romani eſſe iuſſerit, ſentiens quippe ἐυεϱκῆ καὶ καταφανῆ, καὶ δυσεπιβούλευ-

παραβάλλεσθαι εἶναι τόπον. (Vid. *Plutarch.* in *Quaeſt. Rom. Tom. II pag.* 275 ed. *Ruald.*) Finge propterea, igni ferroque Gallorum vaſtatam urbem; finge, nonnulla rerum geſtarum monumenta in ipſa urbe direpta, confuſa, diſſipata feritate hoſtium, & exſtincta fuiſſe; non efficitur tamen, ut præſtantiſſima literarum ſupellex interierit, ſed credendum eſt, locupletiſſimos antiquitatis libros, qui diligentiſſime, velut ſacra populi Romani, in arce cuſtodiebantur, tam inviolatos manſiſſe, quam Capitolium * gravem belli caſum eluſit. Verum, ſi hoc aiimus, quid fiet *SCtis*, quid *Tabulis Cenſoriis*, quid *Annalibus Pontificum maximis*? *Livius* enim *Lib. III cap.* 55, *Inſtitutum etiam*, inquit, *ab iisdem Conſulibus*, (L. Valerio & M. Horatio,) *ut SCta in ædem Cereris ad Ædiles plebis deferrentur, quæ ante arbitrio Conſulum ſupprimebantur, vitiabanturque*; & *Dionyſius*, varias leges in *Dianæ* fano fuiſſe reconditas, memoriæ prodidit. (Vid. *Lib. IV pag.* 230, item *Lib. X pag.* 659.) Cenſeo hic (ut ὁδοῦ πάρεργον dicam,) monendum, *Iuſtum Rycquium* forte memoria labi, qui in *Comment. de Capitolio Rom. cap.* 30 *pag.* 303 ed. *Lugd. B.* 1696, 8, apud *Livium* inveniri, ſcribit, *legem Iciliam de iure populi & tribunitiæ poteſtatis, aliasque ſacratas leges apud Dianæ in Aventino* fuiſſe poſitas, quod tamen in eo legere me nunquam memini. Adhæc *Cenſorias tabulas* in atrio Libertatis collo-

S s 5 care

*) Et pars quædam Palatini montis (χωρὶς ὀλίγων οἰκιῶν ἐν τῷ Παλατίῳ) teſte *Diodoro Siculo Hiſtor. Lib. XIV pag.* 323 *Rhod.*

care videtur *Livius Lib. XLIII cap. 18, Cenſores*, inquiens, *extemplo in atrium Libertatis eſcenderunt: et ibi, ſignatis tabellis publicis, clauſoque tabulario, & dimiſſis ſervis publicis, negarunt, ſe prius quidquam publici negotii geſturos, quam iudicium populi de ſe factum eſſet.* *Cicero* vero eandem recenſionis memoriam publicam, tabulis publicis impreſſam, *adi Nympharum* (vid. *cap. 27 Or. pro Mil.*) tribuit, quam *Clodium* incendiſſe, vehementer conqueritur. Pontifices denique, *Cicerone* auctore, Annales privata tantum cuſtodia continuerunt, domique in albo propoſuerunt. (Vid. *Dodwell. App. ad Lect. Camd. pag. 656 §. 6.*) Quodſi igitur, inquient rerum antiquarum obtrectatores, *SCta* & *Leges* in æde Cereris aut Dianæ, *Tabulæ Cenſoriæ* in atrio Libertatis, vel ad Nympharum, *Annales* vero in domiciliis Pontificum, depoſiti fuerunt; Ædes autem Cereris in Palatino, Dianæ fanum & Libertatis atrium in Aventino, Nympharum templum alicubi, ſitum erat, nec ulli horum locorum furor Gallicus peperciſſe videtur; nullum dubium erit, quin omnia monumenta, in his ædibus locata, cladem ſenſerint. Verum libros primum a tabulis ex ære factis ſecernendos eſſe intelligo. Æra non ſtatim igne liqueſcunt, ipſeque nos *Dionyſius* locis ſupra excitatis docet, nonnullas adhuc columnas & tabulas in templis aliarum regionum perſtitiſſe.* Quare non abnuerim, Romanos, in arcem confugientes,

*) Imo novimus, L L. XII Tabularum in foro duraſſe uſque ad *Cypriani* tempora v. *Heineccii Hiſtor. Iuris Lib. II cap. 2 §. 32 pag. 29.*

les, multa æra, quæ moveri non poterant, (quia in publico luctu vires ad omnia ferenda deerant,) in urbe & templis reliquiſſe, ſed tam oblitos ſui nominis & irreligioſos Quirites fuiſſe, extra fidem eſt, ut, omiſſa Annalium ſuorum librorumque Pontificalium cura, in quibus æternitatis ſacrorumque ſpes omnis erat, quis eos locus fideli aſſervaturus eſſet cuſtodia, non conſultantes, ancipiti belli fato eos committere, optimum duxerint. Cum enim, recte *Dodwello* in *App. ad Lect. Camd.* §. *5 pag. 656* animadvertente, *pro more gentium & ſacra fuerit* (*etiam apud Romanos*) *hiſtoria publica, & ſacris proinde libris linteis inſcribenda, & templis etiam credendi ſanctiſſimis archetypi libri, & originales hiſtoriæ & hominum cura ſanctiſſimorum cuſtodiendi, tam ſcribarum, quam Pontificum;* (vide ad h. l. R. P. *Richardum Simonium* in *Hiſtoria critica Veteris Teſtamenti Lib. I cap. 2 pag. 14 ſeq.* *) *inprimis autem Pontificis Maximi;* auctoremque habeamus claſſicum *Plutarchum* in *Camillo pag. 138*, ἐν πρώτοις δὲ, inquientem, τῶν ἱερῶν ἃ μὲν ἐις τὸ καπιτώλιον ἀνεσκευάσαντο: facilis eſt coniectura, libros ſacros, ut alia ſacra urbis, ruinæ & flammis religionum cauſa eripi debuiſſe. Quod autem Conſules *SCta* ad ædem Ceretis deportari iuſſerint, id certe non impediit, quo minus Saturni ærarium ἀγορανόμων

ταμιεῖον

*) De Ægyptiis, Chaldæis, & Iudæis, vide *Ioſephum* in *Lib. I contra Apionem* §. *6, 7, 8, pag. 440 ſeq. Tom. II* ed. *Haverk.*, item de Phœnicibus & Tyriis ib. §. *17 pag. 447 ſeq.*

γραμμεῖον perpetuum eſſet, in quo haud dubie omnia ſcita ſua plebs deferebat. (Vid. *L. 2 ff. de Orig. Iur.* adde *Serv.* ad *v. 502 Georg. Virgil. II.*) Forſitan illa omnia tum invitis & adverſantibus Patriciis, ut *Livius* ſcribit l. d., tranſacta. Nec probabile eſt, admodum diu *SCta* ibi manſiſſe, quæ ſaltem durante inter Senatum & plebem civili diſcordia in ſecuritatem plebis loco pignoris ſervabantur. Poſtea enim ad ærarium rediiſſe, ex *Livio Lib. XXXIX cap.* 4 & aliis haud obſcure diſcimus. (Conf. *Guil. Ranchini Variar. lect. Lib. I cap. 7, Schminckium* in *Syntagm. critico pag. 14 ſeq.*) Si igitur perſpicua ſunt, quæ ante coniectura explanari debebant, ſint hæc, quæ in monumentis Auctorum poſita exponemus, apertiora, quæ mihi non videntur ratione poſſe convelli. Inter vetuſtatis monumenta primo loco memorandæ ſunt

TABULÆ, quo nomine omnium inſtrumentorum, uti *SCtorum, Legum*, in ære ſcriptarum, item pactionum, receptacula & genera comprehenduntur. His mandabant Romani, quicquid ad moderandam religionem neceſſarium, & ad memoriam poſteri temporis ſempiternam utile, videbatur. Eius generis fuerunt παλαιοὶ λόγοι ἐν ἱεραῖς δέλτοις σωζόμενοι apud *Dionyſ. Lib. I pag. 59*, *Annales Maximi*, de quibus *Macrobius Saturnal. Lib. III cap. 2*, *Pontificibus*, inquit, *permiſſa eſt poteſtas, memoriam rerum geſtarum in tabulas conferendi, & hos annales appellant equidem maximos, quaſi a Pontificibus maxi-*

maximis factos. Unde ex perſona Æneæ ait Virgilius:

Et vacet annales noſtrorum audire laborum.

Literæ quoque Græce γραφαὶ *Dionyſ. Lib. XI pag. 627* οὐ κυρίως vocantur. Sic *Varro* de *L. L. Lib. IV cap 32 pag. 24* ed. *Gothofr.* äuctor eſt, *in litereis antiqueis colonias omnes ſcribi urbes*, & *Lib. IV cap. 10 pag. 14 in latineis litereis veteribus* Pollucis & Caſtoris nomen Græcum inveniri. Eodem pacto *monumenta*, Gr. ὑπομνήματα δημόσια, γράμματα, uti *Plinius H. N. Lib. II cap. 56: Relatum in monumenta eſt.* Æris uſum ad perpetuitatem monumentorum iam pridem translatum eſſe æreis tabulis, conſtat, in quibus, ut *Plinius* refert *Lib. XXXIV cap. 9, publicæ conſtitutiones inciduntur.* Vid. *Harduin.* ad h. l. Hinc Legum *æra* apud *Tullium Catilin. III, 8.* Vid. plura in *Brodæi Miſcell. Lib. IV cap. 12, Fac. Grut. Tom. II pag. 516.* In hoc ſenſu *Ioſephus* quoque *Antiquit. Iud. Lib. XIV cap. 10 Vol. I ed. Haverk. pag. 703* citat: Δόγμα συγκλήτου ἐκ τοῦ ταμιείου ἀντιγεγραμμένον ἐκ τῶν δέλτων τῶν δημοσίων τῶν ταμιευτικῶν. E talibus haud dubie monumentis nonnihil profecit *Diodorus Siculus*, populi Romani res perſcripturus, quod ipſe confitetur, in hanc ſententiam locutus: Ἡ γὰρ ταύτης τῆς πόλεως ὑπεροχὴ διατείνουσα τῇ δυνάμει πρὸς τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης, ἑτοιμοτάτας καὶ πλείστας ἡμῖν ἀφορμὰς παρέσχετο, παρεπιδημήσασιν ἐν αὐτῇ πλείω χρόνον. Ἡμεῖς γὰρ . . . πάσας τὰς τῆς ἡγεμονίας

νίας ταύτης πράξεις ἀκριβῶς ἀναλάβομεν ἐκ τῶν παρ᾽ ἐκείνοις ὑπομνημάτων ἐκ πολλῶν χρόνων τετηρημένων &c. Locus eſt *Lib. I Bibl. hiſt. pag. 5* ed. *Rhod.* Quot vero anni per *χρόνους πολλοὺς* intelligi numerarive debeant, oportune *Suetonius* in *Vita Veſpaſiani cap. 8* docere nos videtur, *ipſe*, inquiens, *reſtitutionem Capitolii aggreſſus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac ſuo collo quædam extulit: ærearumque tabularum tria millia, quæ ſimul conflagraverant, reſtituenda ſuſcepit, undique inveſtigatis exemplaribus, inſtrumentum imperii pulcherrimum ac vetuſtiſſimum, quo continebantur* (*pæne*, quam particulam *νοθεύεσθαι* puto, quare cum *Donato Rom. ant. Lib. II cap. 9 pag. 106* eandem omittere auſim,) *ab exordio urbis Senatuſconſulta, Plebiſcita, de ſocietate & fœdere, ac privilegio, cuicunque conceſſis.*

Adhuc litora legimus, nunc in altum vela danda ſunt. Tranſeamus ſecundo ad

ACTA. Qua voce rurſus omnis memoria publica literis conſignata publicis intelligitur. Ea vel a Principe, vel Senatore, vel ab ordine, qui rerum in re publica potitur, vel a magiſtratu, aut ius dicente, qui in eadem cum imperio aut iuriſdictione verſatur, togata auctoritate geſta memoriæ traduntur. Nec invitis Latini ſermonis rationibus *acta publica* dixeris *Leges, SCta, Plebiſcita, Edicta, creationes magiſtratuum*, vel *iudiciales ſententias*, vel alia monumenta, quibus perhibetur, quis magiſtratus,

quibus

quibus comitiis, quo die, quo loco, legem tulerit, quibus nundinis promulgata & rejecta fuerit, & quæ ſunt reliqua. Inde oriuntur diverſa *Actorum* genera.

Acta Senatus, & *populi*, de quibus *Lipſius* in libero *Commentario* ad *Taciti Annal. Lib. V pag. m.* 228 *ſeq. Dodwellus* in *Prælect. Camd. Prælect. XI* §. 3, & 4, & *Append. pag.* 652, item *Pitiſcus* in *Lexic. Antiq. Tom. I pag.* 18, qui *Lipſium* deſcripſit. *Io. Henr. Bœcleri* Diſſertatio *de Actis civitatis* in *Diſſert.* eius *Acad.* Argentor. 1701, 4, *pag.* 859 *ſeq.* quam Lexicon *Fabri* allegat, plane huc non pertinet. Hoc quidem nomine talia in Auctoribus vetuſtiſſimæ Romanorum memoriæ non occurrunt, ſed, re adfuerint, neceſſe eſt, quod colligitur ex iis, quæ *Dionyſius* de *Servio Tullio* ex *Piſonis* primo Annali retulit *Lib. IV pag.* 220, Βυλόμενος, inquiens, καὶ τῶν ἐν ἄςει διατριβόντων τὸ πλῆθος εἰδέναι τῶν τε γεννωμένων καὶ ἀπογινομένων, καὶ τῶν εἰς ἄνδρας ἐγγραφομένων, ἔταξεν ὅσον ἔδει νομίσματος καταφέρειν ὑπὲρ ἑκάςυ τὺς προσήκοντας, εἰς μὲν τὸν τῆς εἰλειθυίας θησαυρὸν, ἣν Ῥωμαῖοι καλῦσιν ἥραν φωσφόρον ὑπὲρ τῶν γεννωμένων. Εἰς δὲ τὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐν ἄλσει καθιδρυμένον, ἣν προσαγορεύυσι Λιβιτίνην, ὑπὲρ τῶν ἀπογινομένων. &c. Vid. ad h. l. *Iuvenal. Satir. IX v.* 84, 85. Forte ſub *libris magiſtratuum*, *SCtis*, (quorum ordines accurate explicuit *Briſſonius de Formulis Lib. II pag.* 192 *ad* 270) *tabulis publicis* & *Cenſoriis*, item *auctoritatibus*, (quod nomen apud *Ciceronem de Orat. III*, 2, invenitur) latuerunt.

Am-

Ambiguitatem huius quæſtionis fruſtra peperit locus *Suetonii* in *Iul. Caeſ. cap. 20, Inito honore*, inquientis, *primus omnium inſtituit, ut tam ſenatus, quam populi, diurna acta conficerentur & publicarentur.* Tenebrionem enim ſcribam, qui locum hunc vitiavit, ſatis confutat non ſolum *Actorum diurnorum* fragmentum, illo *Caeſaris* Conſulatu plus minus centum annis antiquius, (vid. *Apographum Pighianum Annal. Tom. II pag. 378 ſeq. Reineſii Syntagm. Claſſ. IV, 2, pag. 340 - 343, Gravium* ad *Suetonii Caeſarem Tom. II pag. 24* ed. *Burm. Dodwelli App. ad Prael. Camd. pag. 665 ſeq.* quæ Acta male *Iſaac. Voſſius* in *Obſerv. ad Catull. pag. 333* ed. Lond. 1684, 4, & ante eum *Marc. Velſerus* in *Epiſtol. ad Camerar. Opp. pag. 850 & 851*, pro libris Pontificum habuit. Contra horum Actorum fidem varia in medium attulit Cel. *Petrus Weſſelingius* in *Probabilium libro ſingulari*, Franecqueræ A. 1731, 8, edito, *cap. 39* a *pag. 354* ad *385*, qua in re ei præiviſſe *Walterum Moylium* in *Epiſt. 4 de Philopatridis dialogi vera ætate* ibidem ſcribit. *Weſſelingii* rationibus obſecundat *Duckerus*, Vir Cel. ad *Livii Lib. XLIV cap. 18 §. 6.* Equidem de tota hac quæſtione ampliandum eſſe, exiſtimo;) ſed etiam quod penes eundem rerum auctorem de natali die Auguſti ex *Senatus Actis* relatum legimus. *Natus eſt*, inquit idem *Suetonius*, *M. Tullio Cicerone & Antonio Coſſ. IX* (*VIII* refert *Suetonius Caſauboni* cum Mſſ. collatus a *Cortio*, qui in Muſeo Cel. *Kappii* noſtri exſtat,) *Kal. Octobris*,

paul-

paullo ante ſolis exortum regione Palatii, ad Capita bubula: ubi nunc ſacrarium habet, (*habetur* ibid. leg.) *aliquanto poſtquam exceſſit, conſtitutum. Nam ut Senatus Actis continetur* &c. Quare legendum omnino iudicaverim *reficerentur*, ſi hoc verbum tam de tabulis inſtaurandis, quam de ædificiis & monumentis reparandis, ſumi poſſet. Dicuntur autem ſive *ἁπλῶς Acta*, ut apud *Cic.* ad *Diverſ. Lib. XII Ep. 8*, niſi forſitan malis h. l. excerpta quædam & apographa actorum publicorum intelligi, aut alius generis commentarios, quales fuerunt *Pompeii triumphorum acta*, quæ *Plinius* citat *Lib. XXXVII cap. 2*, item apud *Aſconium Pedianum* ad *Cic. Orat. pro Milone pag. 775* ed. *Grav. Tom. III P. 1: Acta etenim magis ſequenda* &c. *pag. 812* ad *cap. 5* ibid. *Acta totius illius temporis perſecutus ſum* ··· *ultra relatum in acta illo die nihil;* ad *cap. 14 pag. 850* ibid. *ut ex actis eius temporis cognovi*, & ad Orat. *Cic.* pro *Scauro Tom. III P. 2 pag. 1003* ed. *Grav. ut in actis ſcriptum eſt* &c. ſive *Acta urbana Cic. ad Att. Lib. VI Ep. 2*, ſeu *diurna actorum ſcriptura Tacit. Annal. Lib. III cap. 3, publica acta Annal XII, 29, diurna urbis acta Annal. XIII, 31, diurna populi Romani Annal. XVI, 22, Acta Senatus Suet.* in *Aug. cap. 5* & *Tib. cap. 73, Acta diurna Senatus & populi* id. in Cæſ. 20, Græc. ἐφημερίδες, ſeu *Diaria*, in quibus *non per annos, ſed per dies ſingulos, res geſtæ ſcribuntur, Gell. Noct. Att. Lib. V cap. 18.* Triplicis vero generis fuiſſe hæc acta, coniecerim: 1 *civilia*, quæ proprie ita dicebantur, 2 *forenſia*, & 3

bellica, ſeu *belli*, de quibus *Stewechius* ad *Vegetium Lib. II cap. 19.* Locus *Vegetii* claſſicus hic eſt, *pag.* 40 ed. *Stewech.*: *Totius enim Legionis ratio ſive obſequiorum, ſive militarium numerorum, ſive pecuniæ, quotidie adſcribitur, actus maiore prope diligentia, quam res annonaria, vel civilis, polipticis* (h. e. politicis libris) *annotatur.*

Hæc quidem verba non exacte, fateor, probant, antiquiſſimis temporibus duces Romanos in caſtris ſuis *acta belli diurna* confeciſſe, ſed, cum vetuſtiſſimi lapidum tituli ſæpiſſime *tabularium Caſtrenſe* exhibeant, tamque ſevera rei militaris diſciplina apud priſcos obtinuerit, ut ſine qualibuscunque rationum bellicarum commentariis & ſcriptura cuſtodiri profecto non poſſet, cum præterea Imperatores ad Senatum, quæ acta contra hoſtes geſtaque erant, identidem referre tenerentur, non incongruum videtur putare, à primis temporibus ſuas tabulas, ſua adverſaria, Conſules in caſtris habuiſſe. Nemo in hac rationis concluſione falſi quippiam formidet. Interim ego, quod ambiguum reddit teſtantium inopia, diutius dicere non debeo. Illud vero, quod clarum eſt, & ad rem vehementer pertinet, exſequar. Commode *Tacitus Annal. Lib. XIII cap.* 31, *ex dignitate*, ait, *populi Romani repertum eſt, res illuſtres annalibus, talia diurnis urbis actis, mandare.* Quod confirmant *Plinius* & *Solinus*, res levis momenti & quotidianas ex *Actis* non raro deſcribentes. *Plinius Lib. II Sect.* 57. ed. *Hard.*, *L. Paulo*, inquit, *& C. Marcello Coſſ.* (h. e. A. U. C. DCCIV,) *Milone cauſam*

cauſam dicente lateribus coctis pluiſſe in eius anni acta relatum eſt; *Lib. VII cap. 53*: *Invenitur in Actis, Felice Ruſſato auriga elato, in rogum eius unum e faventibus ieciſſe ſeſe.* Adde, quod *Actis* teſtatum de *Phœnice* idem memorat *Lib. X cap. 2*, quem *Iul. Solinus* in *Polyhiſt. cap. 33 pag. 46, Exercit. Plin. Salmaſ. Tr. ad Rhen.* 1689, ſequitur, *Plautio itaque Sextio*, inquiens, *& P. Apronio Coſſ. Ægyptum Phœnix involavit: captusque anno ſeptingenteſimo urbis conditæ iuſſu Claudii principis in comitio publicatus eſt, quod geſtum præter cenſuram, quæ manet, actis etiam urbis continetur.*

Ex talibus *Actis diurnis* duplex *Faſtorum* genus conflatum eſſe arbitror, alterum *iuridicum* & *calendare*, alterum *hiſtoricum*, ſeu *Conſulare*, vel *triumphale*. (Vid. *Dodwell.* in *Append.* ad *Præl. Camd. pag. 653 §. 2*, & *Pitiſcum* in *Lexico Antiqu.* ſub *Faſti pag. 136, 137, Tom. II*, etſi virum doctum in hac re explicanda non raro errantem invenerim.) *Iuridico* quippe, ex *forenſibus actis* nato, inerant dierum faſtorum nefaſtorumque notationes, quas *C. Flavius* ſcriba e Pontificum ἱεροφυλακίοις ſacrariis proditas in albo circa forum propoſuit. (*Liv. Lib. IX cap. XLVI, Plin. H. N. Lib. XXXIII cap. 1*, item *Cic.* pro *Muræna cap. 11.*) Ad *calendares* faſtos pertinet locus *Feſti*, a *Dodwello* & *Pitiſco* excitatus. Addo *Ovidii* locum *Lib. I Faſt. v. 7*:

Sacra recognoſces annalibus eruta priſcis,
Et quo ſit merito quæque notata dies.

Alterum genus *faſtorum* annuatim ſcribebatur, & Annalium, ut coniicio, pars erat, eo

tantum diſcrimine, ut *Faſti hiſtorici* ſola magiſtratuum nomina & triumphos inſignes per ſingulos annos; *Annales* vero præter nomina res quoque complecterentur. (Vid. *Dodw. App. pag.* *659.*) Hi ſunt *Faſti*, ad quos non admitti plebem *Canuleius*, trib. plebis, vociferabatur, id quod oratio ſequens demonſtrat: *ne ea quidem ſcimus, quæ omnes peregrini etiam ſciunt: Conſules in locum Regum ſucceſſiſſe, Liv. Lib. IV cap. 3.* Ex his *Faſtis* pleraque hauſiſſe videtur *Livius*, quem etiam cum ſimilium *Faſtorum*, quos *Capitolinos* vulgo vocant, exemplis ſæpiſſime conſpirare, *Fr. Robortellus* demonſtravit. (Vid. *Fac. Crit. Ian. Gruter. T. II a pag. 1.*) Proinde *paginas*, ait *Lib. IX cap. 18, in annalibus magiſtratuum, faſtisque, percurrere licet, Conſulum Dictatorumque, quorum nec virtutis, nec fortunæ, ullo die populum Romanum pœnituit. Paginæ* faſtis eodem modo, ut *libri* nomen, conveniunt. *Poterant* enim, auctore *Dodwello App. pag. 654*, *tabellæ invicem annexæ liber haberi, quæcunque demum e materia conſtarent, idque recte pro ſermone veterum.* Tali e genere ſunt *Faſti Capitolini* marmorei, quorum fragmenta primum poſt inſtauratas literas *Barthol. Marlianus*, Patricius Mediolanenſis, *Romæ* A. 1549, 8, dein omnium optime *Iac. Strada* ex Muſeo *Onuphrii Panvinii* Venet. 1557 fol. promulgavit. Etenim (inquit *Onuphrius Panvinius* in *Præf.* ad *Faſtos*,) *ut ea, quæ ex marmoribus collegerim Capitolinis, & quæ ipſe addiderim, cognoſci facilius poſſint, marmorum verba minio, mea verba atramenti colore, diſtinguenda*

ſtinguenda curavi. Quis auctor horum fuerit *Atticusne*, an *Verrius Flaccus*, ambiguum faci, tradentium ratio diſcors, & interpretum diverſitas. (Vid. *Pigh. Annal. Tom. I Lib. I pag. 12. 13 ſeq.* & *Catrov.* in *Præf.* ad *Hiſt. Rom. pag. 52.* Conf. *Voſſ.* de *Hiſt. Lat. Lib. I cap. 20 p. 105.*) Interim *Ioach. Grellii* verba ex *Epiſtola nuncupatoria, præfixa Chronologiæ in T. Livii hiſtoriam, accommodata ad tabulas Capitolinas*, deſcribere placet: quorum hæc eſt ſententia. *Et quantis idem* (Cicero) *laudibus Atticum ſuum extollit, qui magna cura notatis obſervatisque temporibus ſeptingentorum annorum curſum uno libro collegerit. Præclara quidem dignaque laude hæc Attici opera, at non levior Verrii Flacci cenſenda, qui ſub Auguſto, faſtis præcipuorum magiſtratuum a ſe ordinatis, marmoreoque parieti inciſis, ibidem loci iuxta Veſtæ ædem ſtatuam meruit, aliosque poſt ſe ad ſimilis argumenti tractationem invitavit. Nam hunc cum alii, tum M. Aurelius Crator, Antonini libertus, & Chryſorus, invitati, nomina & tempora annuorum magiſtratuum uſque ad ſuam ætatem perpetuavere, ſicuti & hos ſubſecuti Auſonius, Aur. Caſſiodorus, & alii nonnulli, itidem non ſine laude fecerunt, id præcipue ſpectantes, ut hiſtoria Romana certa veraque temporum ratione conſtaret, nec horum incertitudine perturbata cæca mutilave efficeretur.* Hæc *Grellius.*

Verum quæret a me quiſpiam, cur *Faſtorum Capitolinorum* meminerim, cum inter omnes conſtet, hæc lapidum fruſta *Ciceronis* ætate antiquiora non videri. Id eo conſilio factum

non eſt, ut crederem, hos ipſos eſſe faſtos, ad quos *Livius* provocarit, ſed ut veritatem rerum antiquarum hominibus noſtris aliquo modo perſuaderem, quoniam memorabile hoc auroque carius monumentum pæne ab Urbis initio per Reges ad Rempublicam, & a Republica per Cæſares uſque ad *Tiberium*, univerſam rerum & magiſtratuum ſeriem proponit, (nomina enim magiſtratuum ab U. C. 270, triumphi vero a *Tarquinio Priſco* Rege, incipiunt,) nec credibile eſt, eiusmodi deſcriptionem a priſcis rerum auctoribus laudari potuiſſe, ſi archetypis ea, veritatique, repugnaviſſent. Ceterum puto, *faſtorum* tabulas, quas nunc habemus, ab illis, quos *Livius* inſpexit, materia tantum diſcrepare. Nusquam legimus, vetuſtiſſimos Quirites marmoribus leges & inſtrumenta ſua archetypa incidiſſe, ſed æneis aut dealbatis tabulis. Quidni etiam publicos faſtos? Hinc ſuſpicatus ſum, nobiliſſimum quemque olim talismodi lapidibus atrii ſui parietes induxiſſe, ut non tantum faſti ad tablinorum uſum & codicum intelligentiam præſto eſſent, ſed ut iuventus etiam, liberalium artium diſciplinis erudienda, tanto felicius, veluti carmen neceſſarium, omnem antiquitatem ediſcere, nominaque Conſulum, quorum auſpiciis urbs domi forisque creverat, veluti digito monſtrare, & in numerato habere, poſſit. Quanquam enim *Sam. Pitiſcus* in *Lex. Ant.* ſub voce *Annales Tom. I pag. 99* contendit, *poſt mortem P. Muc. Scævolæ, qui periit circa an. 530, cum annales non*

amplius

amplius a Pontifice M. proponerentur, & privati iam hiſtorias & annales conficerent, faſtos hosce annales marmoribus incidi cœpiſſe, qui ut honoratiores eſſent, & omni in populo verſarentur, ad forum in Comitio, frequentiſſima totius urbis loco, ubi magiſtratus, honores, & triumphi, populi ſuffragiis decernebantur, diſpoſiti fuere; nondum tamen, ut credam, adducor, id faſtorum genus publicum ante *Caſaris* & *Auguſti* tempora Romanis innotuiſſe. *Meminerat* enim (verbis utar acutiſſimi *Dodwelli App.* ad *Præl. Camd. pag. 664) certe Cicero, ſi poſt Mucii Pontificatum faſtos tabulis marmoreis inſculptos vulgatosque noſſet.*

Veniamus IV ad *Annales*, quibus omnis fides hiſtoriæ Romanæ, tanquam tibicinibus firmiſſimis, ſuſtentatur. *Iſidorus Orig. Lib. I cap. 43: Annales ſunt res ſingulorum annorum; quæcunque enim digna memoriæ domi militiæque mari & terra per annos in commentariis acta ſunt, ab anniverſariis geſtis annales nominaverunt.* Conf. *Macrob. Saturnal. III*, 2, & locum *Diomedis*, a *Voſſio Lib. I de Hiſt. Lat. cap.* 1 excitatum. Inutile arbitror, & a re alienum, omnia Auctorum teſtimonia, quæ *Dodwellus* & *Pitiſcus* de hoc loco collegerunt, hic repetere, ſed, quæ viri docti nondum animadverterunt, breviter tantum exponam. *Ab initio rerum Romanarum ad P. Mucium Pontificem M. res omnes mandabat literis Pontifex Maximus.* Fundus huic ſententiæ *Cicero* eſt de *Orat. II*, 12, qui locus demonſtrat, æquales illis temporibus Scriptores exſtitiſſe. Ita vero *Annales* conficie-

ciebantur auctore *Servio* ad *Lib. I Æneid. v. 373. Tabulam dealbatam quotannis Pontifex Maximus habuit, in qua, præſcriptis Conſulum nominibus & aliorum magiſtratuum, digna memoratu notare conſueverat, domi militiaque terra marique geſta per ſingulos dies. Cuius diligentia annuos commentarios in octoginta libros veteres retulerunt; eosque a Pontificibus maximis, a quibus fiebant, Annales maximos appellarunt. Cicero* loco dicto non ſine cauſa addit: *& proponebat tabulam domi* Pontifex, quæ domus non privata, ſed publica fuit, *οἰκία δημοσία, ὅτι τὸν ἀρχιερέα ἐν κοινῷ πάντως οἰκεῖν ἐχρῆν.* Vide *Dionem Caſſium Lib. LIV pag.* 541 edit. *Leuncl. Vopiſci* locus non impedit, quo minus credamus, etiam *Romulo* imperante, penes Pontificem ſcribendæ hiſtoriæ poteſtatem fuiſſe. Idem enim ſacerdos erat, qui Rex, quoniam Pontificem & religionibus Deorum & ſummæ reipublicæ præeſſe voluerunt antiquiſſimi mortales. Hinc more antiquo recte *Maro Lib. III Æn. v. 80:*

Rex Anius, rex idem hominum Phœbique ſacerdos.

Nominantur Annales Græce *ἐνιαύσιοι ἀναγραφαὶ Dionyſ. Lib. IV pag.* 234, item *ἀρχαῖαι ἀναγραφαὶ Lib. VII pag. 418, αἱ τῶν ἱεροφαντῶν γραφαὶ Lib. VIII pag. 525.* Atque hos Annales Pontificum uſque ad ætatem *Ciceronis, Livii,* & *Dionyſii*, permanſiſſe, documentis plurimis deprehenſum eſt. Primum enim *Cicero, εἰς αὐτὶ μυρίων*, accurate originem & hiſtoriam *Annalium* tradit, ut dubitandum non ſit, quin,

ſi

ſi incendio Gallico periiſſent, eam iacturam annotare oblitus non fuiſſet. Deinde idem in rebus, ante bellum Gallicum geſtis, *Annales* advocat teſtes. *At vero*, inquit enim in *Orat. pro domo ſua ad Pontific. cap. 32*, *ut annales populi Romani & monumenta vetuſtatis loquuntur, Caeſo ille Quintius, & M. Fur. Camillus, & M. Servilius Abala, cum eſſent optime de republica meriti, tamen populi incitati vim iracundiamque ſubierunt.* De *Caeſone Quintio* vide *Livium Lib. III cap. 13*; de *M. Furio Camillo* eundem *Lib. V cap. 33*; de *C.* (non *M.* ut *Ciceronis* exempla mendoſe exhibent,) *Servilio Abala Lib. IV cap. 14.* Simile exemplum invenimus apud *Plinium*; qui *Lib. XXXIV cap. 6*, *Meritum eius* (Suffeciae, virginis Veſtalis,) ait, *ipſis* (al. leg. *in ipſis*, ſed τὸ *in* expunctum malim ſecundum Codices,) *ponam Annalium verbis: Quod campum Tiberinum gratificata eſſet ea populo.* Inepte demum ſcripſiſſet *Dionyſius Lib. VIII pag. 525*: ὡς αἱ τῶν ἱεροφαντῶν περιέχουσι γραφαὶ, ſi tales nunquam vidiſſet. Tertio Auctorum de *annalibus* iudicia omnem controverſiam tollunt. *Nam poſt annales*, ſcribit *Cicero de Leg. Lib. I cap. 2*, *Pontificum maximorum, quibus nihil poteſt eſſe iucundius, ſi aut ad Fabium, aut ad eum, qui tibi ſemper in ore eſt, Catonem, aut ad Piſonem, aut ad Fannium, aut ad Vennonium, venias.* Quam lectionem hic inprimis ſectari liceat, in obſcuro eſt. Alii enim pro *iucundius* exhibent *ieiuncidius*, alii *ieiunius*, alii *iniucundius*, alii *nudius*, & quae ſunt plura pro ingeniis differen-

tium, quam pro veritatis ſide expreſſa. Vide *Daviſium* ad hunc locum in edit. Cantabr. *1727*, *8*, *pag. 8* & *9*. Equidem conſtantem MStorum lectionem *iucundius* defendendam eſſe puto. Conf. *Voſſium* de *Hiſt. Lat. Lib. I cap. 1 pag. 4* & *5* ed. Lugd. Bat. *1651*, *4*. Quicquid ſit, ipſa iudicii natura poſtulat, ut tangi illud cernique debeat, de quo iudicamus. Manet ergo, *Ciceronem* Annales & vidiſſe, & legiſſe. Alias ridicula & puerilis foret de re incomperta & inviſa iudicatio. Conf. *Cic.* de *Orat. Lib. II cap. 12.* Vide porro, quanti *Tullius* hos ipſos *Annales* in *Hortenſio* ſuo fecerit, ex quo *Nonius* in *Cognoſcere* (vid. *cap. 4 pag 540* ed. *Gothofr.*) & in *Grave* (*pag. 663 ibid.*) tale nobis fragmentum ſervavit: *Unde autem facilius, quam ex annalium monumentis, aut res bellica, aut omnis reipublicæ diſciplina, cognoſcitur? Unde ad agendum, aut dicendum, copia depromi maior graviſſimorum exemplorum, quaſi incorruptorum teſtimoniorum, poteſt?* Rectiſſime incorrupta vocat teſtimonia, quoniam ex ipſis hauſta fontibus erant. Eodem pacto ſcrupulum tibi evellet *Quintilianus*, ſubtilis eloquentiæ auctor, præclare *Lib. X Inſt. Orat. cap. 2 pag. 923* ed. *Burm.* *Nam rurſus quid erat futurum*, inquiens, *ſi nemo plus effeciſſet eo, quem ſequebatur? nihil in poetis ſupra Livium Andronicum, nihil in hiſtoriis ſupra Pontificum Annales, haberemus. Fabii* igitur ætate tam *Annales maximi* exſtiterint, neceſſe eſt, quam *Livius Andronicus* exſtitit, qua in parte non mediocriter vituperabilis hæc literarum antiquarum cum novis contentio fuiſ-

ſet,

ſet, ſi id *Quintilianus*, quod ceteris Ingenii monumentis fecit, minus nec oculis, nec manu, unquam contrectaſſet. Quarto tam frequenter hæc monumenta excitant Auctores Latini, ut is merito putetur ſtultitia nauſeare, qui tot memoriis, ex antiquitate in fidem veri arceſſitis, adhuc obloqui velit. Mox enim *annales* nude uſurpant Scriptores, uti *Varro* de *Ling. Lat. Lib. IV cap. 10 pag. 23* ed. Vetr. Mauri *Lugd.* apud Gryph. 1563, 8: *Ea re Sabinorum linguam olent: quæ Tatii regis voto ſunt Romæ dedicata. Nam, ut annales dicunt, vovit Opi, Floræve, Diovi, Saturnoque, Soli, Lunæ, Volcano, & Summano.* Conf. *Plinius* loco ſupra dicto. Adde *Lib. II cap. 53: Exſtat annalium memoria*, item *annalibus notatum eſt, Lib. VIII cap. 36: Et hoc annales notarunt, Lib. VIII cap. 51: annales tradunt, annales refertos habemus, Lib. VIII cap. 57: in annalibus invenimus, Lib. X cap. 13: Invenitur in annalibus, ib. cap. 21: in Annales relatum eſt, Lib. XXXIII cap. 1. Cicero* pro *Sulla cap. 2 Tom. II P. 2 pag. 228* ed. Græv.: *Ne replices annalium memoriam. Florus Lib. I cap. 10: Qui niſi in annalibus forent, hodie fabulæ viderentur. Gellius Lib. III Noct. Att. cap. 15: in noſtris Annalibus ſcriptum legimus.* Mox *Annales veteres* dicuntur, uti apud *Varronem* de *Ling. Lat. Lib. IV pag. m. 30: ut annales noſtri veteres dicunt*; & *Cicero Orat.* pro *Muræna cap. 7 pag. 24* ed. Græv.: *Non ex ſermone hominum recenti, ſed ex annalium vetuſtate, eruenda eſt memoria nobilitatis tuæ.* Mox *Annales antiqui* apud *Gellium Lib. I cap. 19*, & *Lib. VI*

cap.

cap. 7 *annales antiquiſſimi Plin. Hiſt. Nat. Lib.* XXXIII *cap.* 1. Mox *libri annales*, ut apud *Gellium Lib. II cap. XI*, & *Lib. IX cap.* 11, item *Annales populi Romani*; vid. *Cicero* loco ſupra citato. Item *Annalium monumenta Cicero de Fin. bon. & mal. Lib. II cap.* 21 *pag.* 142 ed. *Dav. ut enim nos*, inquiens, *ex annalium monumentis teſtes excitamus eos, quorum omnis vita conſumta eſt in laboribus glorioſis.* Item *Annales magiſtratuum Livius Lib. IX cap.* 18, quos idem alio loco *annales veteres*, & *priſcos*, appellat *Lib. IV cap.* 7 & 20. Non minus *Annales maximi Gell. Noct. Att. Lib. IV cap.* 5. Immo *Pontificum libri Cicero. Lib. I de Orat. cap.* 43: *Plurima eſt in omni iure civili & in Pontificum libris, & in XII Tabulis, antiquitatis effigies.* Et *Hor. Ep. Lib. II epiſt.* 1 *v.* 26. Atqui hi ſunt *Pontificales libri*, quorum *Annales* excitat *Sextus Aurelius Victor* de *Origine gentis Romanæ cap.* 7 *pag.* 15 ed. Io. Arntz. *cap.* 17 *pag.* 33, & *cap.* 22 *pag.* 41, & ex quibus *Feneſtella* apud *Senecam* in *Epiſt.* 108 *pag.* 468 ed. Morell. probavit, *provocationem ad populum etiam a Regibus fuiſſe.* Ex quo loco egregie hæc colligit *Perizonius* in *Diſſ.* 7 *pag.* 796, *Superfuerunt ergo*, inquiens, *Pontificales libri etiam iſtius temporis, quod ante captam a Gallis urbem effluxit, & rerum, quæ ſub ipſis Regibus acciderunt.* Demum improprie *commentarii Pontificum* nominantur. Vide *Liv. Lib. IV cap.* 3: *obſecro vos, ſi non ad faſtos, non ad commentarios Pontificum, admittimur*, &c. & *Lib. VI cap.* 1: *&, quod etiam, ſi qua in commentariis Pontificum*, &c. item *Quintilianus* in *Inſtit. Orat. Lib. VIII cap.* 2

pag.

pag. 364 ed. Geſn. *Cicero* in *Bruto cap.* 14 egregie diſertum ſuſpicatur *Ti. Coruncanium*, *quod ex Pontificum commentariis longe plurimum ingenio valuiſſe* ipſi viſus eſt. (Vide ad h. l. *Pighii Annal. ad an.* 460 *pag.* 398.) Adde *cap.* 53: *habetis in commentariis veſtris C. Caſſium Cenſorem* &c. Qui vero libri *veteribus commentariis cap.* 15 ib. indicentur, perveſtigare nondum potui. Hæc quidem Auctorum teſtimonia eludere voluit Cenſor, *pag.* 56 *ſeq.* animadvertens, in magno verſari illos errore, qui, cum *Annales* in veterum libris memoratos inveniant, hanc illico vocem per *Annales maximos* interpretandam eſſe iudicent. Sed perperam & adverſus Latinitatis rationes id auſus eſt. Equidem non inficias ierim, *Annalibus*, nude poſitis, non ſemper *Annales pontificum maximorum* denotari, at verborum iunctura ſenſusque qualemcunque diſcriminis obſcuritatem facile tollit. Ita nemo velit *Plinianam* locutionem: *conſtantiſſima annalium affirmatione*, *Lib.* XXVIII *cap.* 2, aut *libros veterum memoriarum* apud *Gellium Noct. Att. Lib.* V *cap.* 5, & *literas veteres* apud eundem *Lib.* X *cap.* 27, ad annales maximos referri. Non conſtans eſſe poteſt ſuffragium, niſi plurimorum teſtium, idem tradentium. Sic apud *Cenſorinum* de *die Natal. cap.* 17 *pag.* 81 ed. Lindenbr. *annales veterum temporum* non ſunt Pontificum annales, ſed Scriptorum, quod iis rebus præſertim, quæ orationem comitantur, perſpicuum fit. Contra, ſi *Annales* libere, hoc eſt, nulla voculæ additione & nexu vincti, ponuntur, obſervatio

certe

certe Latini ſermonis ſuadet, ut hoc nomine monumenta publica, cuius generis ſunt *Annales maximi*, complectamur. Præſtat enim in re dubia communes interpretandi leges ſequi, quam iudicia doctiſſimorum hominum impotentiori decreto explodere. Quovis ergo pignore contendere tecum auſim, *annalium monumenta* apud *Ciceronem* de *annalibus* tantum *maximis* vere dici. In illo enim loco cum Epicureis acerrime contendit *Cicero*. * Quibus ex cauſis non Scriptorum quærenda erat, ſed Actorum & publicorum inſtrumentorum, eaque ſola, auctoritas. Similiter rei geſtæ fidem lectoribus ſuis perſuadere non potuiſſet *Florus*, niſi putetur *annales maximos*, tanquam teſtes omni exceptione maiores, ſuſcitare voluiſſe. Nec credendum eſt, *Varronem*, qui ætatem patriæ, qui temporum deſcriptiones, qui ſacrorum iura, qui ſacerdotum, qui domeſticam, qui bellicam diſciplinam, qui omnium divinarum humanarumque rerum nomina, origines, genera, officia, cauſas, aperuerat, non tam ipſis priſcæ memoriæ fontibus, quam ſcriptorum rivulis, ſuum irrigare fundum voluiſſe. Eam præterea dicendi conſuetudinem ſervant Auctores, ut, ſi Scriptorum annales intellectos velint, vel adiectiva *quidam*, *alii*, *omnes*, *plures*, vel ipſum teſtis nomen, adiiciant. Ita *Livius Lib. II cap. 54: in quibusdam pro Virginio Annalibus Conſulem invenio; Lib. III cap. 8: Signa XXVII militaria relata in quibusdam annalibus invenio; Lib. VII cap. 18: In quibusdam annalibus pro Quintio Popilium*

Popilium Conſulem invenio; ib. *cap. 42: aliis annalibus proditum eſt*; *Lib. VIII cap. 30: apud antiquiſſimos Scriptores una hac pugna invenitur, in quibusdam annalibus tota res prætermiſſa.* Conf. *Lib. X cap. 17*, & *Lib. XXII cap. 31: Omnium prope annales Fabium Dictatorem adverſus Annibalem rem geſſiſſe tradunt*; item *Lib. XXXII cap. 6*, *Lib. XLII cap. 11: Plurium annales, & quibus credidiſſe malis, ipſum Eumenem veniſſe, tradunt.* Multo frequentius ipſum Auctorem Annalium libri referunt. Sic *Livius Lib. VII cap. 9: Quæſita ea propriæ familiæ laus leviorem auctorem Licinium facit*; *Lib. IX cap. 44: Memoriane fugerit in annalibus digerendis, an conſulto binos Conſules falſos ratus tranſierit* (*Piſo*), *incertum eſt*; *Lib. XLII cap. 11: Valerias Antias his Conſulibus ſcribit*; *Lib. XXV cap. 39: auctor eſt Claudius.* Idem facit *Plinius*, multis in locis vel *Piſonem*, vel *Cincium*, vel *Licinium*, teſtes producens. Neque minus *Varro* de L. L. *Lib. IV pag. 41* ed. Gryph. *L. Calpurnius Piſo in annalibus ſcribit.* Conf. *pag. 45*, & *Lib. VII pag. 109*, *ut Siſenna ſcribit*; item *Gellius Lib. V cap. 17*, *Q. Claudius Annalium quinto*; *Lib. V cap. 18*, *in libro Sempronii Aſellionis quinto*; *Lib. VI cap. 7*, *ut in Antiatis hiſtoria ſcriptum*; *Lib. VI cap. IX*, & *Lib. XI cap. 14*, *L. Piſo frugi in tertio & primo Annali.* Eundem morem imitatur *Dionyſius Lib. IV pag. 231 Piſonis* ἐνιαυσίας πραγματείας, & *pag. 220.* Πρώτην ἱστορίαν τῶν ἐνιαυσίων, vel peculiari formula *Lib. V pag. 314* γραφὰς ἐπιχωρίας, ἐπιχώριον ἱστορίαν *Lib. VIII pag. 526 ſeq.* Ῥωμαίων γραφὰς *Lib. IX pag. 580*, proferens. Contra, ubi nullo Auctoris nomine exhibentur

annales,

annales, ibi maximos intelligere, ratio iubet. Sed pluribus exemplis res non indiget. Naſcitur enim ex ipſa verborum conceptione, ut *Pontificum Annales Ciceroni*, *Livio*, *Dionyſio*, & aliis, præſto fuiſſe debuerint, cum quod eos ſæpiſſime anteſtantur, tum quod publicis monumentis æquiparant, privatorumque hominum commentariis diſerte opponunt. Ita *Livius Lib. IV cap. 7: annales priſcos libris magiſtratuum*, & *Lib. IV cap. 20: tam veteres annales* (hoc eſt, vetuſtiſſimos, vide *Perizonii Animadv. Hiſt. cap. 7 pag. 281*,) *magiſtratuum libris*, quos linteos identidem citaverat *Macer Licinius*, finitimos fecit; *Tullius* contra *Annales* a domeſticis imaginibus in *Orat. pro Sulla* loco dicto ſegregavit, quod ſimili modo apud *Dionyſium* invenio, qui *ῥωμαικαῖς χρονογραφίαις* (hi enim ſunt Scriptorum annales) *ἀρχαίας ἀναγραφὰς*, *Lib. VII pag. 418*, & *ἱερῶν τε καὶ ἀποθέτων βίβλων μαρτυρίας*, contrapoſuit. Ceterum de fide & dignitate Annalium maximorum notetur ipſa *Dodwelli* in *App. §. 8 pag. 659 ſeq.* cultiſſima diſputatio, cui *Catrovius* & *Ruilius*, ambo Francici hiſtoriæ Romanæ compilatores, in *Præfatione pag. 11* aſſentiunt, his verbis: *L' ancienneté du langage, & l' aridité du ſtile de ces premiers annales, n' en détrouiſirent plus la verité. Quelque tard que d' autres Annaliſtes, un peu plus polis ſe ſoient aviſés de mettre en vers ce qu' ils trouvoient déja tout diſpoſé dans les tables pontificales, ils travaillérent ſur une matiére déja preparée. Leurs Garans furent des témoins oculaires, & les Ecrivains, qu' ils*

copierent

aspirent, furent des hommes reſpectables par leur rang, & par la Religion, &c. Hæc illi.

Satis iam de *Annalibus* dictum eſto. Videamus V. de *Commentariis Pontificum*, quorum naturam explicare, ab hoc loco alienum non eſt, quoniam a *Cicerone pro Domo cap. 55 monumenta* vocantur. Fuerunt ſane tantæ utilitatis, ut ſuas inde formulas precum & verborum ſolennitatem haurirent *Varro* & *Livius*. *Comprecationes*, inquit *Gellius Lib. XIII cap. 21*, *Deum immortalium, quæ ritu Romano fiebant, expoſita ſunt in libris ſacerdotum populi Romani.* *Servius* ad *Georg. Virg. I, 272: Sane, quæ feriæ, a quo genere hominum, vel quibus diebus, obſerventur, vel quæ feſtis diebus fieri permiſſa ſunt, ſi quis ſcire deſiderat, libros pontificales* legat. Ex his libris populi Romani formulas diſci potuiſſe, idem *Servius* docet ad *Æneid. IX, 641: Et in pontificalibus ſacrificantes dicebant Deo: Macte hoc vino inferio eſto.* Inde forſitan *Cn. Gellius* preces *Herſiliæ*, cum ad *T. Tatium* verba faceret, pacemque oraret, in annalem ſuum tertium tranſtulit, (vide *Gell. Noct. Att. Lib. XIII cap. 21,*) inde quoque *Fabius Pictor*, quæ verba Pontificem maximum, cum virginem capit, (vid. *Gellium Lib. I cap. 12*) & *Cincius*, quæ Fecialem populi Romani, bellum hoſtibus indicentem, dicere oportet, haud dubie mutuati ſunt. (*Gell. Noct. Att. Lib. XVI cap. 4.*) Lege quoque *Feſtum* in *Recto fronte pag. 426* ed. *Dac.* & in *Teſca pag. 567.* Præterea legibus utcunque refertos

fuiſſe Pontificum commentarios, non iniuria ex eo hariolamur, quod *Cicero de Div. Lib. II cap. 18*, *itaque in noſtris*, inquit, *Commentariis ſcriptum habemus: Iove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas.* *Plinius Hiſt. Nat. Lib. XVIII ſect. 3* ed. *Hard.* ſcribit: *Equidem ipſa etiam verba priſcæ ſignificationis admiror. Ita enim eſt in Commentariis Pontificum. Augurio canario agendo dies conſtituantur, priusquam frumenta vaginis exeant.* Adde *Feſtum* in *opima ſpolia pag. 306* ed. *Dac.*, & in *nectere pag. 272*, item *Servium* ad *Æn. 12, 603: Sane ſciendum eſt, quod cautum fuerat in pontificalibus libris, ut, qui laqueo vitam finiſſet, inſepultus abiiceretur.* Hi ſunt, ni fallor, *libri ſacrorum*, quos *Dionyſius Lib. XI pag. 627* ἱερὰς βίβλυς appellat, & *libri antiqui*, quos *Servius* ad *Æneid. Lib. VIII v. 278* & *288* adducit. Legit eos *Varro* de *Ling. Lat. Lib. IV cap. 19 pag. 18* ed. *Gothofr.: in pontificalibus*, inquiens, *libris videmus*, & ibid. *pag. 6 cap. 4, ut pontifices dicunt.* Conf. *Servium* ad *Ecl. V, 66.* Adiungamus his libros *Augurales, Haruſpicinos*, ſive *Acheronticos, Indigitamentorum, Rituales Etruſcorum, Fulgurales, Sibyllinos*, ſive *fatales*, de quibus vide Auctorum veterum loca apud *Io. Lomeierum de Bibliothecis cap. 6 pag. 84*, a *Pitiſco* in *Lex. Antiqu.* ſub vocabulo *Libri*, *Tom. II pag. 458*, maximam partem exſcripta. Reſtat, ut prætermiſſa ab aliis loca digeramus, & totam hanc diſputationem ad propoſitum noſtrum accommodemus. Ex *Augurum libris* profecit *Varro de Ling. Lat.*, quem

vide

vide pag. 6, 9, & 74, ed. 1581, 8, horum quoque meminit *Servius Lib. I. Æn.* 398, non obſcure ſimul docens nos, *augurales commentarios* a *reconditis libris* diverſos fuiſſe. Idem porro ad *Lib. VIII, Æn.* 95, & *IX*, 20, & *Gellius Noct. Att. Lib. XIII cap.* 14, videndi ad hunc locum. De *libris aruſpicinis* lege *Thom. Demſteri Etruriam Regalem Tom. I Lib. III cap.* 1 *pag.* 243, item *Servium* ad *Virg. Ecl. IV v.* 43, *Lib. III Æneid. v.* 537, & *Lib. VIII v.* 398; *Macrobium Saturn. Lib. III cap.* 7 *pag.* 313, ed. *Steph.* de *Indigitamentis.* Vide *Lindenbrogium* ad *Cenſorin. cap.* 3 *pag.* 14. Cantabrigienſis Cenſorini editor in ſpicilegio addidit: *qualia ſunt, qui vulgo ſub Orphei nomine leguntur hymni.* Confer quoque *Oiſelium* ad *Gell. Noct. Att. Lib. XIII cap.* 22 *pag.* 611 ed. *Gron. Rituales Servio* ad *Ecl. VII v.* 31, & *Æn. IX v.* 408 dicuntur *libri Sacrorum. Hetruſcos libros* de fulguratura *Servius Lib. I Æn. v.* 42 laudat. *Libros Sibyllinos* eosdem eſſe putaverim, qui *fatales*, propter *Livii Lib. XXII cap.* 9, & *Arnobii* locum *Lib. VII adverſus gentes cap.* 40 & 41, ubi *libri fatales* & *fatalia carmina* eodem loco & numero habentur. De *libris Sibyllinis* vide loca Auctorum, collecta a *Briſſonio* de *Form. Rom. ſolenn. Lib. II pag.* 204 *ſeq.*, ed. Franc. 1592, 4. Addo *libros Saliorum*, e quibus pauca de ſacris Agonalibus recitat *Varro* de *Ling. Lat. Lib. V cap.* 3 *pag.* 53 ed. *Gryph.* Equidem non dubito, fore pleroſque, qui totum hoc ſacrorum librorum genus, leve, nugax, & ad rerum memoriam prorſus incongruum, iudicent. Qua in re ſi quis

mecum contendat, non acriter pugnabo. Verum aliqua tamen cautio adhibenda eſt, ne noſtri more ſeculi ex veterum librorum titulis protinus rem æſtimemus. Cum enim tanta olim inter ſacrorum, & publicæ rei adminiſtrationem propinquitas fuerit, ut ſine captis rite auſpiciis, vel inſpectis animalium extis, vel aliis quibuscunque cærimoniis nihil memoratu dignum geri poſſet; non inepte creditur, multarum ſimul maximarumque rerum argumenta, verbi cauſa, nomina magiſtratuum, victorias, triumphos, dies feſtos, quam ob cauſam illi procurabantur, alia id genus plura illis commentariis exſcripta exſignataque fuiſſe, quæ Annalium fidem exploratam reddere poterant. Perpetua igitur lex eſto, in hiſtoria, præſertim vetuſtiſſima, nihil contemni oportere. Hinc non poſſum non eorum reprehendere iudicium, qui, cum hiſtoriam requirunt, nihil eius generis libris tribuere ſolent. Tales enim commentarii, quantulicunque nobis hodie videntur, magnam olim ad antiquitatis cognitionem vim habere, Scriptoribusque ſubſidio eſſe, poterant. Omittere nefas puto VI. *Libros linteos*, de quibus lege *Demſterum* ad *Roſin. Antiqu. Lib. III cap.* 24, *Pitiſcum* in *Lexico Antiqu. Tom. II pag.* 459, *Dodwellum* in *App. Præl. Camd.* §. 4 & 5 *pag.* 654 *ſeq. Harduinum* ad *Plin. Hiſt. Nat. Lib. XIII ſect.* 21 *pag.* 689, *Mabillonium* de *Re diplomatica Lib. I cap.* 8 *pag.* 39, & *Chriſt. Gottl. Schwartzium* in *Diſſ. I de Orn. libr.* §. 2. Cuius autem generis hi libri fuerint, item, utrum

arche-

archetypi ſint, ut ego quidem arbitror, an exemplaria, inter eruditos nondum convenit. *Dodwellus* certe cum *Annalibus Pontificum* maximis male confundit, quos diſerte *Livius Lib. IV cap.* 7 & 20 ab his ſeiunxiſſe videtur. Erant autem procul dubio libri reconditiores & ſanctiores, quod ad clupeorum linteorum, in templis proſtantium, inſcriptorumque, ſimilitudinem lintea tela, ſeu mappa, inducti erant. De uſu lini ſacro vide Auctores, in *Fabri* Lexico laudatos. Linteis quoque voluminibus publica monumenta tradita fuiſſe, lex *Codicis Theodoſ.* a *Salmaſio* ad *Vopiſcum cap. 8 pag.* 439 memorata, (conf. *cap. 1 Vopiſci pag.* 417,) ſatis demonſtrat. Idque monumenti eſt, publicos fuiſſe, quod in æde Monetæ, tanquam in ſacroſancto & publico monimentorum receptaculo, repoſiti, aſſervabantur. Mirari nos non ſubit, quare *Dionyſii* ævo hi libri ſuperſtites fuerint, (quod hæc verba declarant *Lib. XI pag. 736:* πιςεύοντες δὲ ταῖς ἐκ τῶν ἱερῶν τε καὶ ἀποθέτων βίβλων μὲν μαρτυρίαις. Vide ad hunc locum *Sylburgium,*) quoniam arx Capitolina, in qua ædes Monetæ ſita erat, (vid. *Liv. Lib. VI cap. 20 : cum domus eius fuiſſet, ubi nunc ædes atque officina Monetæ eſt.*) damnum ex cæde, rapinis, & incenſione, Gallorum nullum accepit. Ceterum probo Cenſoris animadverſionem *pag.* 74, qua, diverſos videri, *libros linteos* a *libris magiſtratuum*, nobis perſuadet. Veriſimilem reddit hanc opinionem locus *Livii Lib. IV cap.* 7, ubi facundiſſimus Auctor *neque in annalibus, neque in libris*

 magi-

magiſtratuum, Conſules eo anno inveniſſe contendit contra eorundem nomina in *linteis libris* ad Monetæ inventa ſcribit. Recte itidem locus *cap. 20* a Cl. *Beauforte* ſic conſtituitur: *quod tam veteres annales, quodque magiſtratuum libri, & quos linteos in æde repoſitos Monetæ Macer Licinius citat*, etſi Codices, manu exarati, apud *Drackenborchium* eius rei teſtimonium nullum præferant. Ratio enim poſtulat, & ſuperioris loci veritas. Horum quoque librorum meminit *Livius Lib. XXXIX cap. 52.* Sed, quanam in re talium librorum diſcrimen conſiſtat, nemo probabiliter definivit. Immo omnes, quantum ſcio, interpretes *libros linteos libris magiſtratuum* immiſcent. Pleraque hic obſcura ſunt. Coniecturæ igitur locus ſit. Suſpicor equidem, reliqua populi Romani monumenta VII. *Libris magiſtratuum* comprehendi poſſe, quæ ſunt *tabulæ cenſoriæ*, ſeu *libri cenſorii*, *commentarii conſulares*, & *Quindecimvirorum libri*. Librorum *cenſualium* origines & naturam bene tradidit *Pigbius Annal. Lib. I pag. 46*, item *Dodwell. App.* ad *Præl. pag. 657 ſeq.* quem vide. Vocantur autem *Cenſus*, (uti apud *Marcellum*, Ictum, *l. 10 ff. de Probat. & præſumt.*) *libri Cenſuales*, item *literæ* apud *Gellium* in *Noct. Att. Lib. IV cap. 20.* Non tamen opus eſt, ut cum Cl. *Beauforte* quadruplicem harum tabularum ordinem comminiſcamur. Plurima enim rerum capita iisdem tabulis ſimul deſcribi debebant, ut Cenſores non tantum civium nomina & formulas cenſendi, ſed cuiuscunque etiam opes & reditus bonorum, uno velut obtutu cognoſcere poſſent.

Etenim

Etenim cujus operæ fuiſſet, in tanta Actorum copia, quæ laudis aut culpæ annotamento digna eſſent, ſcire, niſi ſuis quæque loculis ſcribarum miniſterio digeſta fuiſſent. Nam, quod *Varro* de *Ling. Latin. cap. 9 pag. 61* ed. 1581 ex *Cenſoriis tabulis* ritum cenſuræ agendæ repetiit, id eo non ſpectat, ut hæc monumenta a *Cenſorum paſcuis* apud *Ciceronem de Leg. Agr. Or. I cap. 1*, & *Plinium* in *Hiſt. Nat. Lib. XVIII cap. 3*, vel *Cenſoriis tabulis*, quas idem *Cicero* in *Orat. 46*, aut *Suetonius* in *Nerone cap. 39*, commemorat, diſtinguenda eſſe putemus.

Habent hæc indicationum apud Auctores fragmenta tantam inter ſe cognationem, ut nulla ratio ſubſit, quare inficiemur, unum hoc tabularum genus talia complecti potuiſſe. Earum memoria incendio Gallico exſtincta non fuit. *Dionyſius* enim, quem ſubſcriptorem approbatoremque huius ſententiæ novi, e *tabulis Cenſoriis* numerum civium Romanorum, quorum fortunæ ſub *Tullio* Rege cenſæ erant, didicit *Lib. IV pag. 225*, ὡς ἐν τοῖς τιμητικοῖς φέρεται γράμμασιν. De *Polybio Io. Alb. Fabricius Bibl. Græc. Lib. III pag. 754* hæc ſcribit: *Libros Cenſuales, & alia eiuſmodi monumenta, Romæ commendatione Scipionis e Capitolina arce utenda accepit Polybius, de pluribus rebus ceterum ex Lælii ore & memoriis factus eſt certior.* Verum, unde talia hauſerit vir ſummus, neſcio. In *Polybio* enim nuſquam *libros Cenſuales* citatos reperi, niſi forte *Athenæus* & *Suidas* huius rei teſtimonium perhibuerint, quod me profecto

 latet.

latet. Forte errorem peperit locus in *Eclogis Polybii de virtutibus & vitiis*, exſtans *pag.* 1455 *Tom. II* ed. *Gron.* διότι μὲν ὧν ἡ καταρχὴ τῆς συςάσεως ἐγεννήθη τοῖς προειρημένοις ἔκ τινος χρήσεως βιβλίων καὶ τῆς περὶ τάτων λαλιᾶς, δεδηλώκαμεν. *Commentariorum conſularium* mentionem iniicit πολυγραφώτατος *Varro* de *Ling. Lat. Lib. V cap. 9 pag.* 70 ed. *Gr.* in quibus ſcriptum invenit, quomodo, qui exercitum imperaturus erat, omnes ad ſe Quirites per accenſum vocare iuſſerit. E *Quindecimvirorum libris Cenſorinus* de *die natali cap.* 17 *pag.* 81 ed. *Lindenbr.* contra *Valerium Antiatem* demonſtravit, non A. 245, ſed 248, ab U. C. primum ludos ſeculares, exactis Regibus, inſtitutos fuiſſe. Diu ergo hi *Commentarii* ante captam a Gallis urbem confici cœperunt, ipſis certe *Quindecimviris* antiquiores fuerunt. Idem enim *Decemvirorum* munus antea curabant *Decemviri* & *Duumviri*, quod accurate expoſuit *Dodwellus* in *Append.* ad *Præl. Camd.* §. 7 *pag.* 657, ut proinde dubium nullum ſit, quin, qui *Sullæ* temporibus *Decemvirorum libri*, iidem antiquitus *Decemvirorum*, vel *Duumvirorum*, *Commentarii* appellarentur. Veniamus nunc VIII ad *Fecialium* monumenta, quorum recepta fides non modo vetuſtiſſimos Romæ incolas a barbarie vindicat, ſed hiſtoriæ quoque veritatem defendit. Nullæ antiquiores Romæ exſtiterunt pactiones his, quarum *Horatius Epiſt.* 1 *Lib. II* v. 24 meminit, inquiens:

. . . . . fœdera Regum
Vel Gabiis, vel cum rigidis æquata Sabinis.

Vide ad hunc locum *Eduard. a Zurck pag. 534.* Ad hanc claſſem pertinent *vetuſtiſſima fœdera* apud *Quintilianum Lib. VIII cap. 2*, eoque ſpectat *Ciceronis* dictum pro *Cornelio Balbo cap. 31*: *Illud non ſine ulla dubitatione maxime noſtrum fundavit imperium, & populi Romani nomen auxit, quod princeps ille creator huius urbis Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hoſtibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere.* Confer *Dionyſium Lib. II pag. m.* 111. Adi quoque *Pſeudo-Feſtum* in *Clupeum pag. 84* ed. *Dac.*, ubi pro *Gabiorum* legunt alii *Sabinorum*. Vide *Gothofredi Not. pag.* 1717. Malim ego *Gabiorum*, propter *Dionyſii Halic.* verba *Lib. IV pag. 257*: Τέτων ἐςὶ τῶν ὁρκίων μνημεῖον ἐν Ῥώμῃ κείμενον ἐν ἱερῷ Διὸς πιςίυ, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκ]ον καλῦσιν, ἀσπὶς ξυλίνη βύρσῃ βοείᾳ - - γράμμασιν ἀρχαικοῖς ἐπιγεγραμμένη. Conf. *Petr. Crinit. de honeſta diſciplina Lib. XVI cap. 3 pag. m. 240.* Apud eundem Scriptorem plura Regum fœdera prodita legimus, quæ columnis æneis inſculpta templis mandabantur. *Romuli* cum populo *Veientano fœdus* memorat *Dionyſius Lib. II pag. 113 ſeq.* ed. *Hudſ.* ὑπομνημάτων δὲ τῶν ὀυειεν]ανῶν ἄπαυ]α ταῦτα, σπονδὰς ποιησάμενος πρὸς αὐτὺς ἐις ἑκατὸν ἔτη, ςήλαις ἐνεχάραξε τὰς ὁμολογίας. *Livius* tantum ſcribit *Lib. I cap. 15*: *in centum annos inducia data.* Eodem imperante *Romulo* fœdus, teſte *Livio Lib. I cap. 14*, *inter Romam Laviniumque renovatum eſt.* *Tulli Hoſtilii* fœdus cum Alba-

 nie

nis *Livius Lib. I cap. 24* deſcribit. Sed memoria labitur, dum, *nec ullius*, inquit, *vetuſtior fœderis memoria eſt.* Superfuiſſe *Livii* ætate fœderis icti formulas, ex eo colligitur, quod, *multiſque id verbis*, ait, *quæ longo effata carmine non operæ eſt referre, peragit.* Eiusdem *Tulli* cum *Sabinis* fœdus *Dionyſius* ſcriptor ἀξιόλογος ita refert *Lib. III pag. 167* ed. *Hudſ.* ἐπὶ τούτοις καταλυσάμενοι τὸν πόλεμον οἱ Σαβῖνοι καὶ τῶν ὁμολογιῶν στήλας ἀντιγράφους θέντες ἐν τοῖς ἱεροῖς. *Servii* cum *Latinis* fœdus columnæ inſculptum *Dionyſii* temporibus ſuperſtes fuit. Ita enim ille *Lib. IV pag. 221, 222,* ed. Oxon. στήλην κατασκευάσας χαλκῆν ἔγραψεν ἐν ταύτῃ τά τε δόξαντα τοῖς συνέδροις καὶ τὰς μετασχούσας τῆς συνόδου πόλεις. Αὕτη διέμεινεν ἡ στήλη μέχρι τῆς ἐμῆς ἡλικίας ἐν τῷ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερῷ κειμένη, γραμμάτων ἔχουσα χαρακτῆρας ἑλληνικῶν, οἷς τὸ παλαιὸν Ἑλλὰς ἐχρᾶτο. *Tarquinii Superbi* cum *Latinis* fœdus apud eundem *Dionyſium Lib. IV pag. 249* ed. *Sylb.* reperitur. Conf. *Livius Lib. I cap. 52.* Eundem, *Gabiis receptis, pacem* cum *Æquorum gente feciſſe, fœdusque cum Tuſcis renovaſſe, Livius* memoriæ prodit *Lib. I cap. 55.* Expulſis urbe Regibus icta Romanorum cum Carthaginienſibus fœdera ex ædilium ærario *Polybius Lib III cap. 22 pag. 245. ſeq.* ed. *Gron.* promulgavit; τούτων δὴ τοιούτων ὑπαρχόντων καὶ τηρουμένων τῶν συνθηκῶν ἔτι νῦν ἐν χαλκώμασι παρὰ τὸν Δία τὸν καπιτωλῖνον, ἐν τῷ τῶν ἀγορανόμων ταμιείῳ. Fœdus cum *Latinis*, columna ænea inſculptum, adhuc *Livii* temporibus monumento erat, *Po-*

ſtumum

ſtumium Cominium, *Sp. Caſſii* collegam, bellum cum *Volſcis* geſſiſſe *Lib. II cap. 33*, quod etiam *Cicero* ſua fide comprobat in *Orat. pro L. Corn. Balb*, *cap. 23*, ſic locutus: *Cum Latinis omnibus fœdus ictum, Sp. Caſſio, Poſtumio Cominio Coſſ. quis ignorat? quod quidem nuper in columna ænea meminimus poſt roſtra inciſum & perſcriptum fuiſſe.* Vide quoque *Feſtum* in *Nancitor. pag. 261*, ed. *Dac.*, & *Dionyſium Lib. VI pag. 415* ed. *Sylb.* Quid de *fœdere Ardeatino*, cuius ex *Licinii Macri* annali meminit *Livius Lib. IV cap. 7*, de renovato cum *Laurentibus* fœdere, quod, ut monumento eſſet, in ænea tabula ad ædem Caſtoris Romæ fixum fuit, (vide *Livium Lib. VIII cap. 11*,) de *Caudino fœdere* per ſponſionem, ubi notanter *Livius* addit *Lib. IX cap. 5*: *nominaque omnium, qui ſpoponderint, exſtant*; & aliis huius generis pluribus fœderum ſanctionibus publicis dicam? Satis iam perſpicuum eſt, nullam gentem in cuſtodiendis propagandisque ad poſteros rerum monimentis diligentiorem fuiſſe, quam Romanam. More Græco antiquitus fœdera templis recondi ſolebant, quod *Dodwellus* in *App.* ad *Præl. Camd. pag. 655* demonſtravit. Propterea non incongruum erit ſtatuere, partem tabularum, in quibus fœderum leges perſcriptæ erant, in æde *Iovis* partem in æde *Saturni* fuiſſe repoſitam. Ædi enim *Saturni* æque competebant τὰ χρήματα, quam τὰ συμβόλαια hoc eſt, pacta vel contractus, auctore *Plutarcho* in *quæſt. Rom. pag. 275 Tom. II*: Διὰ τί τῷ τοῦ Κρόνου ναῷ χρῶνται ταμιείῳ τῶν δημοσίων χρημάτων.

μάτων· ἅμα δὲ καὶ φυλακτηρίων τῶν συμβόλων. Ceterum de fœderibus priſcis vide *Briſſonium de formulis Lib. IV pag. 356* ed. Franc. Quoniam nos ad commemorationem omnium monumentorum veteris ævi ordo deduxit, IX. de *Legibus* quoque *Regiis* & *Conſularibus* pauca dicenda ſunt, & quoniam priſcæ Romanorum leges non modo ad cognoſcendum non illiberales, ſed inprimis ad hiſtoriæ ſcientiam valde neceſſariæ, ſunt, non immerito putamus, Scriptores tantopere harum diligenti obſervationi ſtuduiſſe, ut vias rerum & rationes diſciplinæ veteris penitus perſpicerent. Ex lege ſaltem quadam *Livius* falſum imaginis titulum refellebat *Lib. IV cap. 16.* Fragmenta *legum Romuli, & Tatii*, habet *Feſtus* in *Plorare pag. 352* ed. *Dac.*, *Numæ* idem in *Occiſum pag. 300*, & *Reus pag. 447*, *Paulus* in *Parici quæſtores pag. 324*, & *Pellices*, item *Gellius* in *Noct. Att. Lib. IV cap. 3.* De lege pervetuſta, in memoriam fratrum trigeminorum lata, *Dionyſius* ita *Lib. III pag. 160*: *ἔςι δὲ καὶ νόμος καθ' αὐτοῖς δι' ἐκεῖνο κυρωθεὶς τὸ πάθος, ᾧ καὶ εἰς ἐμὲ χρῶνται, τιμὴν καὶ δόξαν ἀθάνατον τοῖς ἀνδράσιν ἐκείνοις περιτιθείς.* *Servii Tullii* quædam legum veſtigia *Feſtus* in *Plorare* ſervat. Communis doctorum opinio eſt, leges Regias olim collegiſſe *Papirium*, ſive *Papiſium*, quod nemo veterum teſtatur præter *Pomponium* in *Enchirid L. 2 ff. de Orig. Iur.* incertum veri Auctorem. Forte error ex eo manavit, quod *Dionyſius Lib. III pag. 178* *C. Papirium* Pontificem M. tabulas ſacrorum rituum *Numæ* poſt Reges exactos in publicum

rurſus

rurſus uſum revocaſſe ſcribit. *Sexti* prænomen plane a vero abludit, ex *M. Papirio*, (cuius *Dionyſius* infra meminit *Lib. V pag. 278*,) culpa librarii natum, quod tanto propius ad fidem eſt, quoniam *Cujacius* notam numeri *VI* ante nomen *Papirii* in *Codicibus* quibusdam MSS. olim reperit, quæ cum τῷ *M* facile confundi poterat.

Legum tutelam Pontifici M. *Numa* tribuit. Vide *Livium Lib. I cap. 20* & *32*, & *Dionyſium Lib. II pag. 132. ſeq.* Inde mirum non eſt, cur diuturnitati legum vetuſtarum non intercesſerit occaſus. Mos fuit apud Romanos, ut omnem *Legum, Senatusconſultorum*que, ordinem *æneis tabulis* ad æternitatis cuſtodiam inciſione mandarent. Sic antiquiſſima lex inciſa erat in columna ærea, a *L. Pinario* & *Furio Coſſ.* (A.U.C. 281) lata, (vide *Macrobii Saturn. Lib. I cap. 13*) *cui mentio* (pro quo *Pighius Annal. pag. 115 Tom. I* mavult, *cui menſis*,) *interkalaris* adſcripta fuit, quam ipſe *Varro* inſpexiſſe videtur. Similiter de Aventino publicando ſancita lex, *Livio* ſuffragante *Lib. II cap. 31* adhuc *Dionyſii* temporibus exſtitit *Lib. X, pag. 659*: ὁ νόμος ἐκυρώθη ὅς ἐςιν ἐν ςήλῃ χαλκῇ γεγραμμένος, ἣν ἀνέθεσαν ἐν τῷ Ἀυεντίνῳ κομίσαντες εἰς τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερόν. Cuius *lex vetuſta* magiſtratus fuerit *priſcis literis, verbisque, ſcripta*, teſte *Livio Lib. VII cap. 3*, incompertum eſt. De Lege XII Tabularum *Liv. Lib. III cap. 57*, & *Dionyſius Lib. X pag. 681*: ἐπικυρώσαντος δὲ καὶ τοῦ δήμου τοὺς νόμους, ςήλαις χαλκαῖς ἐγχαράξαντες αὐτοὺς ἐφεξῆς ἔθεσαν ἐν ἀγορᾷ, τὸν ἐπιφανέςατον ἐκλεξάμενοι τόπον. Adde *Diodorum Siculum Bibl. Hiſt. Lib. XII pag. 87 Tom. II* ed. *Rhod.* item

Corn.

Corn. van Bynckershoeck in *Prætermiſſis ad L. 2 de Orig. Iur. Opuſcul.* eius *pag.* 23, 24, ed. Lugd. Bat. 1719, 4. Eius pars ſunt *leges ædificiorum* apud *Varronem de Ling. Lat. Lib. IV. cap. 7 ed. Gryph. pag. 16*, & *lex prædiorum urbanorum pag.* 14. Vocantur hæ leges nude *duodecim tabulæ*, (vide *Varron. de Ling. Lat. Lib. IV cap. 31*, & *Lib. V cap. 2*,) Græce: Ῥωμαικοὶ νόμοι ἐν ταῖς δώδεκα δέλτοις ἀναγεγραμμένοι, *Dionyſius Lib. XI. pag.* 725. Quot ſapientiæ prudentiæque opes talia legum monumenta poſteritati commendarint, quantumve olim ad recolendam rerum memoriam Romanis profuerint, ſatis inſignite *Cicero Lib. I de Orat. cap. 43*, docet, quem locum non ſolum, quod ſua natura præſtabilis eſt, ſed etiam quod cauſæ noſtræ rationes maxime adiuvat, magni ſæpe facio. Præclare *Macrobius Saturn. Lib. II cap. 10*, *Literarum*, inquit, *uſu memoriæ fulcitur æternitas.* Eodem vetuſtiſſimos Romæ incolas deſtitutos non fuiſſe, ex eo apparet, quod ſine invento multarum rerum cultu & aſſidua pulcri obſervatione tanta civitas ne fingi quidem, nedum conſtitui, poteſt. Etenim tam *agreſte Latium* non fuit, ut rudes primum homines & incuria ſilveſtri non multum a ferarum aſperitate diſſimiles opinemur. Qualem vulgi ſententiam X. veteres *Regum libri*, a *Cicerone pro Rabirio cap. 5 Regum commentarii* uno nomine dicti, facile arguunt. Fuerunt quippe hi *Commentarii*, interprete *Hotomanno* ad hunc locum, *tabulæ, in quibus acta Regum perſcripta erant, quæ in tabulario publico aſſervabantur*, & *Cicero-*

nis

tis ætate exſtabant, uti *Turnebus* non iniuria hariolabatur. Memoratu utique dignum eſt, quod de *Numæ libris Plinius* in literas retulit *Lib.* XIII *cap.* 13. *Cn.* enim *Terentius Scriba*, agrum ſuum in Ianiculo repaſtinans, offendit arcam, in qua libri impoſiti fuerunt magno etiamnum miraculo, quod aliis rebus per tot annorum tabem abſumtis infoſſi duraverunt, ſed *Caſſius Hemina* ita *rationem reddebat, libros cedratos fuiſſe, propterea arbitrarier, tineas non tetigiſſe*. In numero librorum variant Auctores. Ego *Piſoni* ut credam, inclinat animus, *libros ſeptem iuris Pontificii, totidemque Pythagoricos* fuiſſe. Vide *Livium Lib. XL cap.* 29, & *Popmam* ad *Fragmenta Hiſtoricorum* ed. *Salluſtii Haverkampiani pag.* 341 *Vol. II*, quanquam *Plutarchus* in *Numa pag.* 74 ed. *Ruald. Valerium Antiatem* ſequitur, οἱ δὲ περὶ Ἀντίαν, inquiens, ἱςορᾶσι δώδεκα μὲν ἔιναι βίϐλυς ἱεροφαντικὰς, δώδεκα δὲ ἄλλας ἑλληνικὰς φιλοσόφυς ἐις τὸν σορὸν συντεθείσας. Non mirum, plurimos Auctores eiusdem Regis libros *de Pontificalibus* laudaſſe, verbi cauſa *Fulgentium* in *Expoſitione ſermonum antiqu.* ſub voce *Tutuli pag.* 774 ed. Mythogr. *Stavern.* item *Arnobium adverſus gentes Lib. II pag.* 95 ed. Lugd. Bat. 1651, 4, ita ſcribentem; *Non doctorum in literis continetur Apollinis nomen, Pompiliana Indigitamenta neſcire?* Is enim Rex fuit, qui Pontifici M. *ſacra omnia exſcripta exſignataque attribuit*, *Liv. Lib. I cap.* 20; *Numæ commentarios* evolvit *Tullus Hoſtilius*, *Liv. Lib. I cap.* 31; ſed *Ancus Marcius* omnia *Numæ* inſti-

tuta

tuta *ex commentariis Regis Pontificem maximum, in album relata, proponere in publico iuſſit. Livius Lib. I cap. 32:* ἀνέγραψεν ἐις δέλτυς. *Dionyſ. Lib. III pag. 178.* Ex his commentariis deſcripta fuit *ſpoliorum opimorum* ratio apud *Plutarchum* in *Marcello pag. 302,* ed. *Io. Ruald.* Pariſ. 1624, fol. ubi hæc legimus: καίτοι Φασὶν ἐν τοῖς ὑπομνήμασι Νυμᾶν Πομπίλιον καὶ πρώτων ὀπιμίων, καὶ δευτέρων, καὶ τρίτων μνημονεύειν. *Servium Tullium* quoque *commentarios* reliquiſſe, ex *Livio Lib. I cap. 60* apparet. *Tarquinii Priſci* libros citat *Macrobius Saturnal. Lib. III cap. 7, Traditur autem,* inquiens, *in libro Hetruſcorum, ſi hoc animal inſolito colore fuerit indutum, portendi Imperatori rerum omnium felicitatem. Eſt ſuper hoc liber Tarquinii tranſcriptus ex oſtentario Tuſco, ibi reperitur* &c. & ibidem *cap. 20: Tarquinius autem Priſcus in oſtentario arborario ſic ait: Arbores, quæ inferum Deorum,* &c. Alius generis commentarium indicat *Feſtus* in *Ratitum quadrantem pag. 421* ed. *Dac.* Ex Regum commentariis legem horrendi carminis, & alias fœderum formulas, verbis ſolennibus conceptas, longo effatas carmine, haud dubie repetiit *Livius Lib. I cap. 26* & 24, item Tribunus plebis apud *Ciceronem* pro *Rabirio cap. 4,* cuius inclementiam *Tullius* his verbis notat: *Namque hæc tua, quæ te hominem clementem, popularemque, delectant, i, lictor, colliga manus; quæ non modo huius libertatis manſuetudinisque non ſunt, ſed ne Romuli quidem, aut Numæ Pompilii: ſed Tarquinii, ſuperbiſſimi atque crudeliſſimi Regis, iſta ſunt*

cruciatus

cruciatus carmina: quæ tu, homo lenis ac popularis libentiſſime commemoras: caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito. Vetuſtatis memoriæ nonnihil quoque luminis afferre potuerunt XI) *Cantica vetuſta*, quæ *Horatius* loco dicto *annoſa volumina vatum* elegantiſſime appellat, cuius generis fuerunt *Saturnina*, *Marciana*, *Saliaria*, & alia id genus plura. Graviſſimus Auctor, *Cato*, in *Originibus* dixit apud *Ciceronem* in *Tuſcul. Diſp. Lib. IV cap. 2*; *morem apud maiores hunc epularum fuiſſe, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes; ex quo perſpicuum eſt, & cantus tum fuiſſe reſcriptos vocum ſonis & carmina; quanquam id quidem etiam duodecim tabulæ declarant, condi iam tum ſolitum eſſe carmen &c. . . . Nec vero illud non eruditorum temporum argumentum eſt, quod & Deorum pulvinaribus & epulis magiſtratuum fides præcinunt.* Conf. *Ciceronem* in *Bruto cap. 19*, *Quintil. Lib. I cap. 10*, & *Daviſium* ad *Lib. I Tuſc. Diſp. Lib. I cap. 2 pag. 3* ed. Cantabr. 1730, 8. *Faunum & Faunam in verſibus, quos vocant Saturnios*, exſtare, ſcribit *Varro Ling. Lat. Lib. VI cap. 3 pag. 51* ed. *Gothofr.* quos etiam *pag. 52 ibid.* ſub nomine *Saturnii carminis* citat. *Scaliger* in *Coniectan.* ad l. c. *Varronis* ita interpretatur: *Vetuſtiſſimum id genus carminum fuit apud Latinos, ſicuti Saturnus vetuſtiſſimus Deus. Unde veriſimile, Faunos Latinorum (qui erant ut magi Perſarum & Bardi Gallorum) hoc genere carminis fari oracula ſua ſolitos.* Nec antiquitus tantum verſibus *Saturninis* Romani utebantur,

ſed recentiori quoque ætate in tabulis, *quas triumphaturi duces in Capitolio figebant, victoriæ ſuæ titulum iisdem verſibus proſequebantur. Talia* reperit *Attilius Fortunatianus, Grammaticus, exempla ex Regilli Tabula.* Vide *Ryequium* in *Commentar. de Capitolio Romano pag. 295 ſeq.* & *Columnam ad Ennium pag. m. 8* ed. *Heſſel.* Plures vide Auctores, à *Pitiſco* laudatos in *Saturnius, Tom. III Lex. Antiquit. pag. 340. Numa* Rex, auctore *Livio Lib. I cap. 20, Salios per urbem ire canentes carmina cum tripudiis ſolennique ſaltatu juſſit.* Conf. *Dionyſ. Lib. II pag. 129*, quæ etſi *vix ſacerdotibus ſuis ſatis intellecta* fuiſſe, teſtetur *Fabius Inſtit. orat. Lib. I cap. 6 pag. 40* ed. *Geſn.*, nec *C. Ælium Stilonem* hominem inprimis in literis Latinis exercitatum uſquequaque *Varroni* ſatisfeciſſe accepimus, qui de *Ling. Lat. Lib. VI cap. 1 pag. 46* ed. *Gothofr.* queritur, & *exili litera expeditam interpretationem, & præterea obſcura multa*; nihilo minus tamen Latine Græceque doctis hominibus pleraque fuiſſe nota exiſtimo. Imperitos enim hic non moramur. Quis enim, verbi cauſa, ut hoc tantum exemplo utamur, *Cantica Lutheri*, aliorumque exoletorum Auctorum, obſcura dicere auſit, quoniam ille cum *Evandri* matre ſæpiſſime loqui videtur, vel, quod non raro accidit, uti ſemidoctorum hominum vulgus vim poteſtatemque verborum Theodiſcorum non ſatis intelligere poteſt. Id enim non culpa temporum & ſcriptorum fit, ſed eorum, qui talia legunt. Quod monere hoc loco, impor-

Importunum non fuit. Ceterum de *Saliari carmine*, vide *Columnam ad Ennii Fragmenta pag.* 40, 41, ed. *Heſſel.*, inprimis vero *Tob. Gutberlethi de Saliis* librum ſingularem in *Opuſculis pag.* 113 *cap.* 29 *ſeq.*, *Scaligerum* ad vocem *Axamenta*, *Pauli Diaconi* in *Feſto Dac. pag.* 46, *Briſſonium de Formulis Lib. I pag.* 127 *ſeq.* & *Piriſci Lex. Antiq. Tom. III pag.* 324 in voce *Salii. Seſopia in Augurali & Saliari carmine* appellari, *quæ alias eſopia pro ſedilibus*, auctor eſt *Feſtus* in *Seſopia pag.* 502 ed. *Dac.* De *Marciorum* carminibus *Symmachus Lib. IV Epiſt.* 34 *pag.* 165 ed. *Parei*, & *Livius* inprimis *Lib. XXV cap.* 12, qui illorum nobis fragmentum dedit. *Cicero de Divin. Lib. I cap.* 50 *pag.* 134 ed. *Dav.* *multa*, inquit, *a vaticinantibus ſæpe prædicta ſunt, neque ſolum verbis, ſed etiam*

Verſibu', quos olim Fauni vateſque canebant.

Similiter Marcius & Publicius vates cecinisse dicuntur, ad quem locum vide ſis *Feſtum* in *Negumate pag.* 274 ed. *Dac.* De aliorum verſibus, qui rem luculente quidem, etiamſi minus, quam *Cicero*, polite, ſcripſerunt, vide *Brutum Cicer. cap.* 19. Supra iam demonſtravimus, ineptam eſſe illorum opinionem, qui in argumento hiſtorico Poetarum teſtimonia repudiant, commune illud tritumque ſermone proverbium, *Poetæ fingunt*, ſemper in ore habentes. Quaſi vero ipſa Poeſeos natura & Poetarum officium nihil niſi ſomnia poſtularet *.

Xx 2 Atqui

* Quanta Poetis ſæpiſſime hoc dicto iniuria fiat, exemplo

Atqui vetuſtiſſimis, inquit *Perizonius* in *Animad. hiſt. cap. 6 pag. 202, ſeq. quibusque populis in uſu fuit, res a ſe vel maioribus geſtas carminibus & canticis mandare.* Conf. *Balduini Lib. I de Hiſtoria* in *Pen. Art. hiſtor. pag. 648 ſeq.* Hinc etiam hymnos patrios in rei vetuſtæ teſtimonium advocat *Dionyſius Lib. I pag. 66:* ὡς ἐν τοῖς πατρίοις ὕμνοις ὑπὸ Ῥωμαίων ἔτι καὶ νῦν ᾄδεται: & *Plutarchus* in *Numa pag. 69* ed. *Ruald.* nonnullos ſtatuere ſcribit celebrari Saliorum carmine Οὐετέριμ μεμορίαμ, ὅπερ ἐστὶ παλαιὰν μνήμην. Multo magis hos poematum Criticaſtros refellunt Lacedæmoniorum & Meſſeniorum legationes de iure templi Dianæ Limenetidis, a *Tacito Annal. Lib. IV cap. 43* deſcriptæ. *Lacedæmonii* cauſam ſuam firmabant *annalium memoria, vatumque carminibus:* contra *Meſſenii monumenta eius rei ſculpta ſaxis & ære priſco* protulere, quorum cauſa etſi ius ſecundum hos datum eſſet, confitentur tamen *Meſſenii, ſi vatum annaliumque ad teſtimonia vocentur, plures ſibi ac locupletiores* futuros eſſe. Quod argumento eſt, veterum hymnos non tantum inventos & propoſitos fuiſſe, ut delectarent animos,

exemplo *Homeri*, & aliorum vatum Græcorum ingenioſe docteque expoſuit *Carolus Guilielmus Erneſtus à Münchhauſen*, raræ indolis & generoſi ſpiritus, at maturo nimis eheu! fato occumbens, adoleſcens, in *Diſſertatione præliminari ad Theodori Ryckii Diſſert. de primis Italiæ colonis & Æneæ adventu*, §. 3, quam diſputationem bonæ frugis pleniſſimam ut propediem iuris publici faciat *Lud. Mart. Kahlius*, V. C. etiam atque etiam rogamus.

mos, aut permoverent, ſed ut rerum quoque memoriam cuſtodirent. Flectendus hinc ſtilus eſt. Alia nos avocant monumenta. Notum eſt, in templis velut magnificis, auguſtisque literarum ſacrariis, multimodam ſignorum ſuppellectilem antiquitus ſedem ſuam cepiſſe, ex quo non incerta tantum aut probabili coniectura colligimus, ſed certa ratione cognoſcimus, planeque, ut ea, quæ manibus tenentur, videmus, pulcherrima hæc XII Ἀναθήματα rerum illis temporibus geſtarum memoriam poſteritati commendare potuiſſe. Sunt autem eius generis 1) *ſacra donaria cum titulis*, (vide *Rycquium de Capitolio Romano cap. 21 pag. m. 214 ſeq.* ed. 1698, 8; &, qui hoc argumentum ex inſtituto explicuit, *Tomaſinum de Donariis*;) 2) *Aurum*, vid. *Rycqu. pag. 219-221, 231, 312-314*; & *Pitiſci Lex. Antiqu.* ſub voce *Aurum ſacratum Tom. I pag. 225* & *224* ſub *Aurum coronarium*; 3) *Coronæ aureæ*, (vide *Rycqu. cap. 31 pag. 312, 313*; 4) *Crateræ aureæ*, quarum exemplum vide apud *Livium Lib. V cap. 23* & *25*; cuius *cratera* baſin adhuc *Appianus Alexandrinus* vidit, κρατήρ τε, inquiens, ἀπὸ τῶν δὲ χρημάτων ἐν Δελφοῖς ἔκειται χρύσεως ἐπὶ χαλκῆς βάσεως ἐν τῷ Ῥωμαίων καὶ Μασσαλιητῶν θησαυρῷ μέχρι τὸν μὲν χρυσὸν Ὀνόμαρχος ἐν τῷ Φωκικῷ πολέμῳ κατεχώνευσε, κεῖται δ᾽ ἡ βάσις, &c. Vide *Excerpt. Valeſ. pag. 546* ed. Pariſ. 1634, 4, & ad vocem θησαυρῷ notam *Valeſii pag. 77 ſeq.* De *pocillo mulſi* vide *Livium Lib. X cap. 42*, & *Briſſonium de Formulis Lib. I pag. m. 99*. 6) *Canthari* &

 vaſa

vaſa cum *titulis* (vide *Rycqu. l. d. cap.* 22 *pag.* 231); 7) *vaſa argentea* (vide *Livium Lib.* X *cap.* 23: *Ex eo, quod in publicum redactum eſt, ænea in Capitolio limina, & trium menſarum argentea vaſa in cella Iovis, Iovemque in culmine cum quadrigis & ad ficum Ruminalem ſimulacra infantium conditorum urbis ſub uberibus lupæ poſuerunt* (ædiles). Conf. *Rycquium l. d. cap.* 17 *pag.* 169.); 8) *Ænei orbes* (vide *Livium Lib.* VIII *cap.* 20: *Ex eo ænei orbes facti, poſiti in Sacello Sanci verſus ædem Quirini*); 9) *Cælatura*, opera, ingenioſiſſime elaborata, & longe utiliſſimis jucundiſſimisque hiſtoriæ argumentis inſtructa (vide *Rycquium l. c. cap.* 15 *pag.* 160); 10) *Deorum ſigna* cum *titulis* (vide *Briſſon. de Formul. Lib.* I *pag. m.* 116 *ed. Franc.*); 11) *Tabulæ votivæ*, ſive [illegible], imaginibus Deorum non raro appenſæ, & nomine magiſtratus, loco, tempore, occaſione, voti plerumque notatæ; (vide *Briſſon. l. d. Lib.* I *pag.* 104-106 *ſeq.* item *Pitiſci Lex. Antiqu. Tom.* III *pag.* 740, ſub *Votiva*); 12.) *Picturæ*, quibus ſubſcriptos fuiſſe titulos ſive indices honorum, aut aliarum rerum geſtarum, non immerito ſuſpicamur. Vide *Briſſonium l. d. pag.* 107, ubi tamen vir doctiſſimus loca *Iuvenalis & Prudentii* falſo interpretatus eſt. *Genua incerare* nihil aliud ſignificat, quam tabellam pictam genubus Deorum dedicare. Cera enim colores temperabant, ac pingebant veteres, & ipſæ tabulæ pictæ cerarum nomine veniunt, *Statius Sylvar. Lib.* I *Equ. Domit. v.* 102:

- - *Apelleæ cuperent te ſcribere ceræ,*

&

& *Plinius Hiſt. Nat. Lib. XXI cap. 14, variosque,* inquiens, *in colores pigmentis traditur* (cera) *ad reddendas ſimilitudines, & innumeros mortalium uſus*, &c. item *Lib. XXXV cap. 11: ceris pingere, ac picturam inurere, quis primus excogitaverit, non conſtat.* Apud Romanos, teſte *Plinio Lib. XXXV cap. 4, honos mature huic arti contigit.* Laudes & commoda picturæ vide in Auctoribus, quos *Pitiſcus* in *Lex. Antiqu. Tom. III pag. 79* in voce *Pictura* exhibet. 13) *Tabulæ triumphales* cum *indice rerum geſtarum*, de quibus vide *Rycquium l. d. cap. 29 pag. 295*, & *Briſſon. de Formulis Lib. IV pag. 353*; addo locum *Aſconii Pediani* ad *Ciceron. Verrinam I cap. 21 pag. 462 Grav. Tom. I Part. I, Hæc fuit*, inquientis, *veterum diligentia, ut, quod quisque de ſubiugata provincia per triumphum apportaſſet, perſcriptum in tabulis, in ærario reponendis, conſervaretur.* 14) *Signa militaria.* (vide *Polyb. Hiſt. Lib. II cap. 31 pag. 165* ed. *Gronov.* & *Rycqu. c. l. cap. 28 pag. 284.*); 15) *Arma*, (vide *Rycqu. c. l. cap. 28 pag. 286 ſeq.*) 16) *Clupei*, (vid. *eund. ibid. cap. 15 pag. 157 ſeq.* item *Pitiſci Lex. Tom. I pag. 475* in *Clypeus.*); 17) *Spolia hoſtium*, (vid. *Briſſon. de Formul. Lib. IV pag. 353 ſeq.* Addo locum *Livii Lib. X cap. 2: roſtra navium ſpoliaque Laconum in æde Iunonis veteri fixa, multi ſuperſunt, qui viderunt*, & *Lib. X cap. 46*, vide quoque *Dionyſium Lib. II pag. 101*, & *Pitiſci Lex. Antiqu. Tom. III pag. 473* in *Spolia.*); 18) *Spolia opima* (vid. *Rycqu. l. d. cap. 39 pag. 363*, & claſſicum *Livii* locum *Lib. IV cap. 20.*); 19) *Tropæa*, ſeu ſpolia fixa in

pitibus, (*Briſſon. de formulis pag.* 353.) de quorum *Inſcriptionibus* vide *Pitiſc. Lex. Antiqu. Tom. III pag.* 652. 19) *Veſtes*, cuius generis fuit *thorax linteus* (*Liv. Lib. IV cap.* 20). De eius titulo conſule interpretes ad h. l. in ed. *Drackenb. Tom. I pag.* 938. Conf. quoque eundem Virum Cel. ad *Sil. Italic. III*, 24, *IV*, 293, & *IX*, 588. 20) Alia *munera, ex manubiis Diis oblata*, qualia ſunt *quadriga* Romuli, victoris de Camerinis. (Vid. *Dionyſium Lib. II pag.* 116: ἐκ ταύτης τῆς ϛρατιᾶς δεύτερον θρίαμβον κατήγαγε, καὶ ἀπὸ τῶν λαφύρων τέθριππον χάλκεον ἀνέθηκε τῷ Ἡφαίϛῳ, καὶ παρ' αὐτῷ τὴν ἰδίαν ἔϛησεν εἰκόνα, ἐπιγράψας ἑλληνικοῖς γράμμασι τὰς ἑαυτοῦ πράξεις: item *Plutarchum* in *Romulo pag.* 33.) 21) Non incongruum videtur, memorabila παλαιῶν ἐπιμελείας τεκμήρια, uti *Plutarchus* in *Quaeſt. Rom.* loquitur, hoc loco ſubiungere, quae *Plinius Hiſt. Nat. Lib. VIII cap.* 48 his verbis deſcribit: *Lanam cum colo*, inquiens, *& fuſo Tanaquilis, quae eadem Caia Caecilia vocata eſt, in templo Sangi duraſſe prodente ſe, auctor eſt Varro: factamque ab ea togam regiam undulatam in aede Fortunae, qua Servius Tullius fuerat uſus*; & paucis interiectis: *Servii Tullii praetexta, quibus ſignum Fortunae, ab eo dicatae, coopertum erat, duravere ad Seiani exitum.*

Succedant iam XIII) *opera publica*, quae ſunt *aedes publicae, templa*, & *ſacella*, uti 1) *templum Iovis Feretrii*, quod primum omnium Romae ſacratum eſt, teſte *Livio Lib. I cap.* 10, de quo *Dionyſius* ſcribit *Lib. II pag.* 102: ἔτι γὰρ αὐτοῦ σώζεται

σώζει ἀρχαῖον ἴχνος. Hanc vetuſtate dilapſam ædem refecit *Auguſtus Cæſar*, *Liv. Lib. IV cap. 20*: 2) ἱερὸν πίϛεως δημοσίας, *Dionyſ. Lib. II pag. 134*, 3) Ναοὶ δύο τύχης *Servii Tullii*, ibid. *Lib IV pag. 232*; 4) ἱερὸν κοινὸν Ῥωμαίων καὶ Λατίνων, ibid. *Lib. IV pag. 250*; 5) ἱερὸν Διὸς πιϛίȣ ibid. *pag. 257*, & *Lib. IX pag. 617*. 6) *Iovis templum* in monte Tarpeio, quo regni ſui nominisque monumentum reliquit *Tarquinius Superbus*, auctore *Livio Lib. I cap. 55*, & *Dionyſio Lib. IV pag. 259* 7) *Ædes Caſtori vota, & dedicata*; vide *Livium Lib. II cap. 20* & *42*, & *Dionyſium Lib. VI pag. 351*. 8) *Templum fortunæ muliebris*. *Livius*, *monumento quoque*, inquit *cap. 40*, *quod eſſet templum Fortunæ muliebri ædificatum, dedicatumque eſt*. Vide quoque *Dionyſium Lib. VIII pag. 525*. 9) *Ædes Cereris* & *Liberi Liberæque*, *Dionyſ. Lib. VI pag. 414 ſeq.* & *Livius Lib. III cap. 55*. 10) *Ædes Matutæ* matris, idem *Lib. V cap. 20*. 11) *Ædes Martis*, idem *Lib. VI cap. 5*. 12) *Ædes Iunonis Monetæ*, idem *Lib. VII cap. 28*. 13) *Ædes Iunonis Soſpitæ*, idem *Lib. VIII cap. 14*. 14) *Sacellum Semonis Sancti*, idem *Lib. VIII cap. 20*. 15) *Ædes Salutis*, idem *Lib. X cap. 1*. 16) *Sacellum pudicitiæ patriciæ*, idem *Lib. X cap. 23*. 17) *Veneris* & *Victoriæ ædes*, ex mulctatitio ære factæ, idem *Lib. eod. cap. 31, 33*. 18) *Templum Iovis Statoris*, idem. *Lib. eod. cap. 38*, & *Lib. I cap. 12*. 19) *Ædes Fortis fortunæ*, de manubiis facta prope ædem, eidem Deæ a *Servio Tullio* Rege dedicatam, *ibid. cap. 46*. 20) *Capitolium*, ſaxo quadrato ſubſtructum A. U. C. 366, *opus vel in hac magnificentia urbis conſpiciendum*, uti *Livius* ſcribit *Lib. VI cap. 4*. Plura vide templorum

nomina, a *Pitiſco* in *Lex. Antiqu.* ſub voce *Ædes Tom. I pag. 34*, & *Templum Tom. III pag. 548 ſeq.* digeſta, 21) Βωμοὶ, hoc eſt, ſacella, ſive ædiculæ, (vide *Rycqu. l. c. cap. 14 pag. 139*, Τέρμονος καὶ τῆς Νεότητος, *Dionyſ. Lib. III pag. 202*); 22) De *Caſa Romuli*, multis temporibus ſuperſtite, *Vitruvius Lib. II cap. 1 pag. 19* ed. *Io. de Laet*, *item in Capitolio*, inquit, *commonefacere poteſt, & ſignificare mores vetuſtatis Romuli caſa, in arce ſacrorum ſtramentis tecta*, (vide alios Auctores, a *Rycquio l. c. cap. 44 pag. 421*, & *Pitiſco* in *Lex. Ant.* ſub *Caſa Tom. I pag. 370*, memoratos, item *Franciſc. Blanchinium* in *Hiſtoria univerſali, antiquis monumentis illuſtrata, Dec. I cap. 10 pag. 164*. Verum hæc domuncularum priſcarum tenuitas in opprobrium ætatis illius verti non debet. Nam in his non tam venuſtas, quam neceſſitas, fabricata eſt, nec prius libido pereundi per luxum, perdendique omnia, Romam urbem invexit, quam cum vulgo plurimi auderent maiora, & boni mores turba peccantium vincerentur. Interim operibus publicis doctarum manuum ingenia non defuerunt, cuius rei claſſici teſtes ſunt, *templum Iovis Capitolini, Quiritium foſſa, haud parvum munimentum a planioribus aditu locis* Anci Regis opus, *Liv. Lib. I cap. 33*. *Numa* palatium, de quo vid. Interpretes ad *Hor. Lib. I od. 2 v. 15*, & *Cloaca*, & alia id genus plura vetuſtatis monimenta, quæ doctiſſ. *Ficoronius* deſcripſit in libello, cui titulus: *La Memorie piu ſingolari di Roma e ſue vicinanze, notate in una lettera da Franceſco de Ficoroni, in Roma, 1730, 4*, item *Lipſium Lib. III de*

Magnitu-

Magnitudine Romæ cap. 12 pag. 446 Oper. eius fol. *Tom. III.* Etſi *Cornel. Nepos* apud *Plinium* in *Hiſt. Nat. Lib. VI Sect. 15 p. 7 Tom. II Hard. Scandula contectam fuiſſe Romam ad Pyrrhi uſque bellum annis CCCCLXX*, prodat. Eodem enim pacto male inde ruditas priſci ſeculi colligitur, ut ſi quis velit antiquos Athenarum incolas barbaros appellare, quod *Vitruvius* loco dicto ſcribit, *Athenis Areopagi antiquitatis exemplar ad hoc tempus luto tectum.* Quomodo 23) *Aræ* potuerint alicuius rei geſtæ memoriam poſteris prodere, ex iis cognoſcitur, quæ *Briſſonius de Formulis pag. m. 116*, & *Pitiſcus Lex. Antiqu.* ſub voce *Ara Accæ Laurentiæ*, item *Ara Aio Locutio Tom. I pag. 141*, *Ara Carmentæ*, & *Ara Conſi*, *ibid. pag. 143*, *Ara Diti & Proſerpinæ* ſtructa, *Ara Evandri*, *Ara Fortunæ muliebris*, *Ara Herculis & Muſarum*, item *Ara Honoris*, ib. *pag. 144*, *Ara Iovis Elicii*, *Ara Iovis inventoris*, ibid. *pag. 145*, *Ara Iovis Soteris*, *Ara Iunonis Sororiæ*, (vide locum *Dionyſii*, quem omiſit *Pitiſcus Lib. III Antiqu. pag. 159*: Κἀκεῖνοι βωμοὺς ἱδρύσαν δύο, τὸν μὲν, Ἥρας, ἣ λέλογχεν ἐπισκοπεῖν ἀδελφάς· τὸν δ' ἕτερον, ἐπιχωρίου Θεοῦ τινος ἢ δαίμονος, Ἰανοῦ λεγομένου κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν. *Pag. 160*: ἔνθα οἵ τε βωμοὶ μένουσιν οἱ τότε ἱδρυθέντες &c.) *Ara Martis*, *Ara maxima* ibid. *pag. 146*, *Ara Pudicitiæ plebeiæ*, *Ara Saturno* dicata, ibid. *pag. 148* diſputarunt. Addo *Sacra Argeorum*, vel *ſacraria*, quorum titulos *Varro* citat *de Ling. Lat. IV cap. 8*, item *aras*, quas *Romulus Iovi Statori*, *T. Tatius Opi*, *Floræve*,

Diiovi,

Diiovi, *Saturno*que, *Soli*, *Lunæ*, *Vulcano*, & *Summano*; itemque *Larundæ*, *Termino*, *Quirino*, *Vortumno*, *Laribus*, *Dianæ*, *Cluacinæ*que, (al. Lucinæque) vovit, teſte *Varrone* ib. *cap.* 10, & *Dionyſ. Halic. Lib.* II *pag.* 114; qui addit: ἐν ἀπάσαις τε ταῖς κυρίαις Ἥρα τραπέζας ἔθετο Κυριτίᾳ λεγομένῃ, ἃι καὶ εἰς τόδε χρόνου κεῖνται. Silentio præterire fas non eſt βωμοὺς ἐπὶ τοῖς ὅρκοις ἱδρυσαμένους κατὰ μέσην μάλιστα τὴν καλουμένην ἱερὰν ὁδὸν, *Dionyſ. Lib.* II *Antiqu. Rom. pag.* 111, item *Aras Iovi Terminali* a *Numa* poſitas, τοὺς λίθους ὁρίου Διὸς, vide ibid. *pag.* 133, & aram Διὸς Δειματίου, ſive *Fauni*, ib. *Lib.* VI *pag.* 411. Neminem mirari ſubeat, quare huc quoque *Sororium tigillum* referam, de quo *Liv. Lib.* I *cap.* 26, *Sororium*, inquit, *tigillum vocant, quod hodie quoque publice ſemper refectum manet.* *Dionyſius* enim *Lib.* III *pag.* 160 opportune ſcribit: ἔνθα οἵ τε βωμοὶ μένουσιν οἱ τότε ἱδρυθέντες, καὶ ξύλον ὑπὲρ αὐτῶν τέταται δυσὶ τοῖς ἀντικρὺ ἀλλήλων τοίχοις ἐνηρμοσμένον &c. & *Feſtus* in *Sororium tigillum pag.* 518 ed. *Dac. conſecratisque*, inquit, *ibi aris Iunoni Sororiæ, & Iano Curiatio, liberatus omni noxia ſceleris eſt.* Quantum hiſtoriæ Romanorum antiquiſſimæ profuerint 24) *Sepulcra* & *Sarcophagi*, titulis plerumque ſignati, & religioſe ſervati, ex *Dionyſio*, (qui propter ſepulcri honorem, quem tulit virgo Tarpeia, *Piſonis* ſententiam amplectitur *Lib.* II *pag.* 107,) aliisque Auctorum locis, patet, quæ *Pitiſcus* in *Lexico Antiqu.* in *Sepulcrum Accæ Laurentiæ Tom.* III *pag.* 409.

Sepul-

Sepulcrum Aventini ibid. *pag. 410*, *Sepulcrum Horatiæ*, *Sepulcrum Numæ* ib. *pag. 411*, (de quo ſignificanter *Dionyſius Lib. II pag. 136*: κεῖται δ' ἐν Ἰανικέλῳ πέραν τῦ Τιβέριος ποταμῦ.) *Sepulcrum Porſenæ*, *Romuli*, & *Tatii*, ibid. *pag. 412*, collegit. De ſepulcro veterum *Furiorum* vide *Athan. Kircheri vetus & nov. Lat. Part. II cap. 3 pag. 64 ſeq.* Sepulcra *Horatiorum* & *Curiatiorum*, inquit *Livius Lib. I cap. 25*, *exſtant*, *quo quisque loco cecidit*, *duo Romana uno loco propius Albam*, *tria Albana Romam verſus*; *ſed diſtantia locis*, *ut & pugnatum eſt*.

Ad opera publica velut teſtes rerum geſtarum omni exceptione maiores pertinent quoque *Signa* ex omni ære & materia. Quare procedere in medium iubemus *Coloſſos*, *Columnas*, & *Statuas*, aliasque id genus rerum notas publicas, ut omnes non iam veſtigia veri, quod memoriæ priſcæ Romanorum ineſſe ab initio haud iniuria contendimus, ſed ipſa cubilia veri, videre poſſint. *Plinius* refert in *Hiſt. Nat. Lib. XXXIV cap. 7*, *Sp. Carvilium* (qui Conſul fuit A. U. C. 459) *feciſſe Iovem*, qui Coloſſus in Capitolio erat, *victis Samnitibus*, *ſacrata lege pugnantibus*, *e pectoralibus eorum*, *ocreisque & galeis*. Amplitudo tanta fuit, ut conſpiceretur a *Latiario Iove*; vide *Pitiſc. Lex. Antiqu.* in *Coloſſus Iovis*, *Tom. I pag. 510*. *Columnarum* celebratio antiquior fuit, teſte eodem *Plinio Hiſt. Nat. Lib. XXXIV cap. 5*, *ſicut C. Manio*, *qui devicerat priſcos Latinos*, *quibus ex fœdere tertias prædæ populus Romanus præſtabat*, *eodemque in Conſulatu*

latu in ſuggeſtu roſtra devictis Antiatibus fixerat anno urbis 416, item Caio Duellio, qui primus navalem triumphum egit de Pœnis, quæ eſt etiamnunc in foro. Vide *Harduinum* ad h. l. *Rycquium* l. c. *cap. 33 pag. 322*, & *Pitiſc. Lex. Antiqu.* ſub voce *Columna Mania* & *Columna Roſtrata, Tom. I pag. 514, 515*, item *Florum Grævii pag. 155*, laudatosque ibidem Auctores *tituli vetuſtiſſimi pag. 156.* Antiquiſſima tamen omnium columnarum fuit hæc, quæ, in memoriam tergeminæ *Horatii* victoriæ erecta, *Livii* adhuc ævo exſtitit *Lib. I cap. 26*, & *Dionyſ. Lib III Ant. pag. 160*, ἡ γωνιαία ςυλίς. *Statuarum* duplex genus fuit. Aliæ ſunt *divinæ*, aliæ *humanæ*. Ita *Cicero Cat. III, 8: Cum & ſimulacra Deorum immortalium depulſa ſunt, & ſtatuæ veterum hominum deiecta*, &c. De utroque genere eleganter *Rycquius l. c. cap. 24, & 26, pag. 242, 266.* De *ſimulacris Deorum* adi *Pitiſci Lex. Antiqu. Tom. III pag. 446* ſub voce *Simulacrum Iunonis Monetæ.* Addo *ſimulacra Iovis cum quadrigis, & infantium, conditorum*, uberibus lupinis inhiantium, ad ficum Ruminalem poſita, quorum *Livius Lib. X cap. 23* meminit, item *Herculis magnum ſimulacrum, in Capitolio poſitum dedicatumque*, eodem auctore *Livio Lib. IX cap. 44.* Fiebant antiquitus vel e ligno, vel argilla; vide *Plinii* loca apud *Pitiſc. Lex. Ant.* in *Simulacrum pag. 445 Tom. III. Romulus, Dionyſio* narratore *Lib. II pag. 90:* ἱερὰ μὲν καὶ τεμένη, καὶ βωμὰς, καὶ ξοάνων ἱδρύσεις μορφάς τε αὐτῶν καὶ σύμβολα καὶ δυνάμεις καὶ δωρεὰς, οἷς τὸ γένος ἡμῶν εὐηργέτησαν.

rav. Etiamſi vero fictiles Deorum hominumque effigies tum eſſent laudatiſſimæ, *non poenituit tamen Romanos illorum, qui tales coluere*: (quod plaſtæ tunc Græcis artibus & politulo ingenio opera ſua elaboraverant.) *Aurum enim & argentum ne Diis quidem conficiebant*. Et, quod mirum videri poſſit, duravere adhuc *Plinii* ævo (vid. *Lib. XXXV cap.* 12,) *plerisque in locis talia ſimulacra. Faſtigia quidem templorum etiam in urbe crebra & municipiis mira cælatura, & arte, avique firmitate certiora auro, certe innocentiora*. Quam obſeſſum undiquaque Capitolium & inſtructum *ſignis* fuerit, locus *Suetonii* in *Caligula cap.* 34 oſtendit. *Statuas* enim *virorum illuſtrium ab Auguſto ex Capitolina area propter anguſtias in Martium campum collatas, ita ſubvertit Caligula Imperator, atque disjecit, ut reſtitui ſalvis titulis non valuerint*. Item *Octavianus Cæſar Auguſtus*, auctore *Suetonio* in *Auguſt. cap.* 31: *Proximum a Diis immortalibus honorem memoriæ ducum præſtitit, qui imperium populi Rom. ex minimo maximum reddidiſſent.* (Quo quidem honore, quantum ego interpretor, non modo Regum priſcorum, ſed etiam Conſulum, illuſtribus bellis & victoriis perpetuitatem merentium, memoriæ exemploque proſpectum eſt.) *Itaque & opera cuiuſque manentibus titulis reſtituit, & ſtatuas omnium triumphali effigie in utraque Fori ſui porticu dedicavit.* Omnium antiquiſſimæ *Regum ſtatuæ* fuerunt, de quibus egregie *Plinius Lib. XXXIV cap.* 5, *Primas*, inquit, *putarem has*, (ſc. Si-

byllinas) & *Accii Navii poſitas ætate Tarquinii Priſci, niſi regum antecedentium eſſent in Capitolio.* Conf. hic *Scholion, Auſon. Popma* ad *Fragment. Vet. Hiſt. pag.* 151 *Amſtel.* 1620, 8. Ex his *Romuli* fuit ſine tunica *cap.* 6 *Plin. H. N.* nec mirum. Veteres enim Romani, ut *Cethegi* & *Catones*, erant ſecundum *Lucanum Pharſal. Lib. II v.* 385:

Hirtam membra ſuper Romani more Quiritis
Induxiſſe togam contenti.

Hinc certe *Aſconius Pedianus* ad *Orat. Cic.* pro *Scauro pag.* 2774. ed. *Verb.* animadvertit de Catone, *idque repererat*, inquiens, *ex vetere conſuetudine, ſecundum quam & Romuli & Tatii ſtatuæ in Capitolio & in Roſtris Camilli fuerunt, togatæ ſine tunicis.* Ex *Romuli* imaginibus ſua ætate ſuperſtitibus *Plutarchus* in *Romulo pag.* 27 ed. *Ruald.* τῶ δὲ Ῥωμύλυ, aiens, τὰς εἰκόνας ὁρᾷν ἔςιν ἐν Ῥώμῃ τὰς τροπαιοφόρυς πεζὰς ἁπάσας, contra *Dionyſium* probavit, non curru vectum triumphantem Romulum, ſed pedibus urbem introiviſſe. Pervetuſtam *Atti Navii* ſtatuam fuiſſe perhibet *Plinius* * *l. d.* ante curiam, *cujus baſis conflagravit curia incenſa Publii Clodii funere.* Conf. *Pitiſcus in Lex. Antiqu. Tom. III pag.* 494.

Præclara res, addit *Plinius*, *niſi frivolis ca-*

* Nihilo minus tamen *Ioh. Clericus* potuit ad *Livium Lib. I cap.* 36 ſuo more commentari: *Statuam Accio poſitam non negarim, ſed ab æqualibus in memoriam miraculi ſibi comperti non credo. Poſtea a credulis aut fraudulentis hominibus factum hoc fuerit.* Quid eſt calumniari Auctores, ſi hoc non eſt?

piſſet initiis. Verum, ut egregie conIecit *Perizonius Diſſ. VII pag.* 711, *litium re vera aliquid intercesſiſſe videtur, ſed quod dein in fabulam* verſum eſt. Augurem quippe, ut puto, Tarquinius iuſſit divinare, quæ mente conceperit. Mentem vero alterius hominis vultu taciturnitateque celatam & incluſam in veritatis lucem proferre, arduum eſſe, quis neget? ſed augur forte haud cunctanter citra ſpem repererat, quod rex animo agitavit, ſive quod ita perſpicax fuit, ſive quod caſus obtulit. Inde miraculi occaſio ſumta, inde forte proverbium enatum eſt, *cotem novacula diſcindere*, quod idem eſt ac rerum inextricabilium nodos & ænigmata ſolvere. Ceterum totam hanc narrationis vim, qualis ſit, indagare hoc loco non attinet. Ad reprehendendam eam damnandamque proclives ſunto, qui incomperta ſæpicule pro incredibilibus vulgo habent. *Tarquinium* & reges alios ſua ſibi poſuiſſe ſigna, auctor eſt *Plinius l. d. Tanaquilis* ſtatuam *in æde Sancti, qui Deus Fidius vocatur*, commemorant *Feſtus* in *Prædia pag.* 363 ed. *Dac.* & *Plutarch.* in *Quæſt. Rom. pag.* 27, *Tom. II Oper.* ed. *Ruald.*: ἡ διὰ Γάιαν Κεκιλίαν καλὴν καὶ ἀγαθὴν γυναῖκα τοῦ Ταρκυνίου παίδων ἑνὶ συνοικήσασαν, ἧς ἐν τῷ τοῦ Σάγκτου ἱερῷ χαλκοῦς ἀνδριὰς ἑστήκεν; ἔκειτο δὲ πάλαι καὶ σανδάλια καὶ ἄτρακτοι τὸ μὲν, οἰκουρίας αὐτῆς, τὸ δὲ ἐνεργείας σύμβολον &c. *Statuam Servii Tullii* vidit ſuo tempore *Dionyſius* in templo Fortunæ *Lib. IV pag.* 244, Ἡ δὲ εἰκὼν, inquiens, ὅια πρότερον ἦν, ἀρχαικὴ τὴν κατασκευήν. Διαμένει γὰρ ἔτι

σεβασμῦ τυγχάνυσα ἀπὸ Ῥωμαίων. De *L. Jun. Bruti* effigie vide, ſis, *Plutarchum* in *Bruto pag.* 984: ὃν ἀνέςεισαν ἐν Καπιτολίῳ χαλκῦν οἱ πάλαι Ῥωμαῖοι μέσον τῶν βασιλέων ἐσπασμένον ξίφος. *Plinium* in *H. N. l. d.* alterum *Plinium* in *Panegyr. cap.* 55, & *Pitiſcum* in *Lex. Ant. Tom. III pag.* 496. *Lucretiæ* quoque antiqui Romani ſtatuam decrevere, quod literis conſignavit *Plinius d. l. Horatii Coclitis* ſtatuam, quam *Livius Lib. II cap.* 10, & *Gellius Noct. Att. Lib. IV cap.* 5, in Comitio ponunt, primam publice dicatam fuiſſe olim, cenſet *Plinius l. d.* Notatu dignum eſt, quod idem ſcribit *cap.* 5: *quæ durat hodieque.* Conf. *Pitiſcum Tom. III pag.* 494. *Mucio Scævolæ* ſtatua quoque honoris gratia conſtituta olim fuit, teſte *S. Aurel. Victore cap.* 12 *pag.* 98 ed. *Arntz. Romani novam*, inquit *Livius Lib. II cap.* 13, *in femina virtutem novo genere honoris, ſtatua equeſtri donavere. In ſumma ſacra via fuit poſita virgo inſidens equo.* Hoc ipſum *Clœliæ* ſignum, quod *Dionyſius* ſe Romæ inveniſſe negat *Lib. V pag.* 303, 304, Ταύτην, inquiens, ἡμεῖς μὲν ὐκ ἔτι κειμένην εὕρομεν. ἐλέγετο δὲ ὅτι ἐμπρήσεως περὶ τὰς πλησίον οἰκίας γενομένης ἠφανίσθη. *Plinius l. d.* tanquam viſum a ſe ſpectatumque deſcribit, *Clœliæ*, aiens, *etiam ſtatua eſt equeſtris, ceu parum eſſet, toga eam cingi. Annius Fecialis* quidam apud *Plinium l. d.* hanc equeſtrem *Valeriæ Poplicolæ*, Coſ. filiæ, fuiſſe prodidit, cuius auctoritas qualis in his rebus eſſe debeat, in tanta eius nominis obſcuritate argutari non liceat. Interim vd. *Plutarchum* in *Poplicola pag.* 107. Inveni-

tur

tur quoque ſtatua decreta *Taraciæ Caiæ*, ſive *Suffetiæ*, Virgini veſtali. Vid. *Plinium l. d.* & *Pitiſcum Tom. III pag. 493.* Non minus honoris tributum eſt *Porſenæ*, utpote cui Senatus ſtatuam poni iuſſit. Auctor huius rei *Plutarchus* eſt in *Poplicola pag. 107:* εἱστήκει δὲ χαλκοῦς ἀνδριὰς αὐτοῦ παρὰ τὸ βουλευτήριον, ἁπλοῦς καὶ ἀρχαϊκὸς τῇ ἐργασίᾳ. Male ibi τὸ ἁπλοῦς verſum eſt *rudis*, cuius vice *ſimplex*, ſeu *naturalis* & *elegans*, vel *nuda*, ſcribendum eſſe puto. Apud ædem telluris ſignum ſibi ſtatuerat *Sp. Caſſius*, qui regnum affectarat, ex cuius etiam peculio factum Cereri ex ære ſimulacrum eſt. Vid. *Plinium Lib. XXXIV cap.* 4 & *6*, item *Pitiſcum l. d.* Fuit & *Hermodori Epheſii in comitio, legum, quas decem viri ſcribebant, interpretis, publice dicata*, *Plinio* teſte *l. d. cap. 5.* Adde *Pitiſcum l. d. pag. 494 Tom. III. L. Minutio* (in prænomine *Minutii* variant Auctores, ſed *Livium* tum *Pighio* ſequor; *Plinii* exempla *P.* referunt:) *præfecto annonæ extra portam Trigeminam unciaria ſtipe collatam* eſſe, *Plinius*, toties a nobis laudatus, *l. d.* it. *Lib. XVIII H. N. cap. 3*, literis conſignavit. Vid. *Pitiſcum l. d. pag. 497 Tom. III.* Quid ſibi *bos auratus* velit, quo *L. Minucium* extra portam trigeminam donatum eſſe, *Livius Lib. IV cap. 16* teſtatur, inter interpretes nondum convenit. Vid. *Cel. Drackenborchium* ad *h. l. pag. 919 Tom. I.* Equidem pro *aurato* legere mallem *bove arato*, quia ſtatua aurata nec in urbe, nec in ulla Italiæ parte, ante A. U. C. 562 viſa eſt, ſi omnem hac lectione difficultatem tolli poſſe intelligerem. Inter antiquiſſimos

quoque fuerunt ſtatuæ *Tullii Cælii*, *Lucii Roſcii*, *Spur. Nautii*, *C. Fulcinii*, a Fidenatibus in legatione interfectorum. Vid. *Liv. Lib. IV cap. 17*, & *Plinium d l. cap. 6. Quorum ſtatuae*, inquit *Cicero Phil. IX cap. 2 pag. 787*, ed. *Græv. Tom. III P. 2*, *ſteterunt uſque ad meam memoriam in Roſtris: iuſtus honos. Iis enim maiores noſtri, qui ob rem publicam mortem obierant, pro brevi vita diuturnam memoriam reddiderunt*. De *L. Fur. Camilli*, & *C. Menii*, Coſſ. ſtatuis publice decretis hæc in Annalem ſuum retulit *Livius Lib. VIII cap. 13: Additus triumpho honos, ut ſtatuae equeſtres eis, rara illa aetate res, in foro ponerentur* Vid. *Plinium d. l. cap. 6*, & *Pitiſcum l. c. pag. 494. Ante aedem Caſtorum* fuit *Q. Marcii Tremuli* Coſ. *equeſtris togata*, qui Samnites bis devicerat, auctore *Plinio l. d.* cui ſuffragatur *Livius*, *ſtatuaque*, inquiens *Lib. IX cap. 43*, *equeſtris in foro decreta eſt, quae ante templum Caſtoris poſita eſt.*

Verum ſigna hæc omnia, præter vultus & formarum ſpecies, nihil ad poſteros propagaſſent, niſi ſingularum imaginum baſes, cuiusvis honores publice decretos, cauſas, & nomina eorum, qui honore rerumque geſtarum amplitudine ceteris populi Romani præſtiterunt, verſibus breviter declaraſſent. Nam, etſi non negem, ex his quandoque ſimulacris effigies clariſſimorum in re publica virorum inſtaurari potuiſſe, cuius rei innumera propemodum exempla *Nummi* veterum * ſubmi-

* E multis præſto eſt Numiſma antiquum *Horatii Coclitis*, quod *Carol. Patinus* cultiſſima Epiſtola A. 1678. 4. Patavii illuſtravit.

ſubminiſtrant; muta tamen hæc omnia monumenta fuiſſe putarim, niſi per marmora notis publicis inciſa, ut *Horatius* loquitur *Lib. IV Od.* 8 *v.* 13 *ſeq. ſpiritus & vita* redierit *bonis poſt mortem ducibus*, aut ni *longa atque inſignis honorum pagina*, (verbis utor *Iuvenal. Satir.* X, 57.) ante imaginem ſtans, omnes honorum gradus inſcalptos continuerit. Ex quo enim tempore ſtatuas & monumenta dicari placuit, *prorogare* quoque *memoriam hominum, & honores legendos ævo baſibus inſcribere*, cœptum eſt, *ne in ſepulcris* tantum legerentur (v. *Plin. H. N. Lib. XXXIV cap.* 4). Rectiſſime propterea idem *Lib. II cap.* 63, *terra*, inquit, *nullo magis ſacra merito, quam quo nos quoque ſacros facit; etiam monumenta ac titulos gerens, nomenque prorogans noſtrum, memoriam extendens contra brevitatem ævi.* Ingenioſe quoque D. *Chryſoſtomus* in *Homilia* ad *Pſalm. III* titulum ſtatuæ triumphalis vocat τρόπαιον, quo principes κήρυκα τῆς νίκης τὴν ὕλην ἐργάζονται. Vid. *pag.* 1 *Tom. V.* ed. *Monteſalcon. Op. Chryſ.* Elegans omnino fuit genus orationis XIV) *Epigramma*, ſive *Inſcriptio*, quod inventum eſt imaginum & monumentorum gratia, compendio indicans, qualis ſit, cui honoris cauſa aliquid tale obtigit. Hanc titulorum præſtantiam cum ceteris antiquorum monumentis contendere, laudibusque extollere, noſtrum iam non eſt. Vereor enim, ne idem mihi eveniat, quod veteri cuidam Sophiſtæ accidiſſe ferunt, qui, cum Herculem ſibi laudandum ſumeret, interrogatus ab *Antalcida* fuit, quis Herculem re-

prehendiſſet, ut opus eſſet laudatore. Orta tamen olim inter *Gudium* & *Spanhemium* salubris liticula fuit, utrum genus monumentorum alteri præſtaret, *nummi*, an *marmorum tituli*. *Gudius* literatos lapides, *Spanhemius* numos, prætulit. Quam ſuam ſententiam tametſi *Spanhemius* in aureo & immortali opere *de uſu & præſtantia numiſmatum* copioſius demonſtraverit, vehementer tamen *Gudio* aſſentior, cuius cauſam egregie, ut omnia ſolet, illuſtris *Maffeius* defendit in *Paragone delle Iſcrizioni con le Medaglie*. (Vid. *Traduttori Italiani*, in *Venezia*, A. 1720, 8, *pag.* 163 *ſeq.*) Nam, ut ceteras titulorum utilitates, voluptatesque, præteream, quibus ego incredibiliter delector, non intelligo ſane, quæ ſit rerum divinarum humanarumque ſcientia, cui Epigrammata lucem non afferant, aut quæ temporis memoria, cuius nuntii & teſtes eſſe non videantur. Proinde ſemper ita iudicavi, ſi omnes libri, rerumque geſtarum monumenta, interiiſſent, unicum tamen hiſtoriæ præſidium in lapidibus inſcriptis futurum fuiſſe. Quod ſi igitur marmora literis ornata tam egregium habent omnis ſtudii atque doctrinæ tanquam pabulum; mirari neminem ſubeat, quare ad Romanarum rerum veritatem cognoſcendam iis maximam quoque auctoritatem vimque tribuere nos oporteat. *Lapidum* quoque, *æris*, *ligni*que, ſcalptura tam antiqua propemodum apud Italos fuit, quam ipſe literarum & *Graphices* uſus. Inde factum, ut, quicquid domi foriſque præclare geſtum eſſet, vel *aris*, vel *templis*,

plis, vel *donariis*, vel *columnis*, vel *ſtatuis*, inſcriberetur. Quemadmodum vero *Thucydides* ex talibus monumentorum reliquiis multum profecit, cum *Libro VI* antiquitatem urbium ac populorum totius Siciliæ diligentiſſime & veriſſime explicaret; ita quoque haud incongruum eſt ſtatuere, literas Romanas *ædificiis*, *ſimulacris*, *lapidibus*, publice inciſas, ſcriptoribus ad recolendam priſtinorum temporum memoriam mirum quantum profuiſſe? Erat autem conficiendarum *Epigrapharum* conſuetudo ipſa urbe Roma antiquior, idque conſtat ex *Plinio* & *Dionyſio*. *Plinius* (*Lib. XVI cap. 44*) enim, *vetuſtior*, inquit, *autem urbe in Vaticano ilex, in qua titulus æreis litteris Etruſcis, religione arborem iam tunc dignam fuiſſe, ſignificat.* *Dionyſius* vero *Lib. I Antiq. pag. 55* tradit: ἐν δὲ τούτῳ (ſc. νεῷ) κεῖνται τῶν Τρωικῶν θεῶν εἰκόνες, ἅπασιν ὁρᾶν, ΔΕΝΑΣ ἐπιγραφὴν ἔχουσαι, δηλοῦσαν τοὺς Πενάτας. Δοκεῖ γάρ μοι, τοῦ Π μήπω γράμματος εὑρημένου, τῷ Δ δηλοῦν τὴν ἐκείνου δύναμιν τοὺς παλαιούς. Idem inter Æneæ adventus in Italiam ſigna refert (*Lib. I pag. 41*) Φιάλην χαλκῆν ἐν Ἥρας ἱερῷ γραφῇ δηλοῦσαν ἀρχαίᾳ τοῦ δωρησαμένου τὴν Θεὸν Αἰνείου τοὔνομα. *Tituli Dodonei*, ab eodem Auctore memorati *Lib. I pag. 16 & 41*, huc quidem non pertinent; diligentiam tamen *Dionyſii* luculenter probant, ex quo ſimul loco hiſtoriarum, in templis inſcriptarum, exempla apud Græcos peti poſſunt, quorum perveſtigatio tam laudabilis profecto foret, & frugifera bonis literis, quam *Henr. Dodwelli* la-

bor, cui probabilem de rerum geſtarum indicibus, apud orientis gentes in templis exponi ſolitis, diſputationem in acceptis referimus. (Vid. *A Diſcourſe concerning Sanchoniathon's Phœnician Hiſtory, London, 1691, 8, §. 11 pag. 21 ſ.*) Regum Romanorum hiſtoriam, quis neget, ex ſtatuis literatis diſci potuiſſe, utpote quæ in Capitolio ſtantes infra miniatas quasdam tabellas habebant, quibus indicabatur, quisnam Rex eſſet, quove patre natus, & quod bellum confecerit. De *Hoſto, Tullii Hoſtilii* regis avo, qui ſtipendia fecerat imperante *Romulo*, hoc relatum legimus apud *Dionyſium Lib. III pag. 136:* θάπτεται πρὸς τῶν βασιλέων ἐν τῷ κρατίστῳ τῆς ἀγορᾶς τόπῳ στήλης ἐπιγραφῇ τὴν ἀρετὴν μαρτυρούσης ἀξιωθείς. Memorabilia ſunt titulorum vetuſtiſſimorum fragmenta, quæ *Varro* ex *ſacris ſ. ſacrariis Argeorum* in *Lib. IV* de *L. L. cap. 8 pag. 17, 18, 19, ed. Vertr. Mauri* deſcripſit.

Præterea recte *Iuſtus Rycqius* in *Comment. de Capitol. Rom. cap. XI p. m. 102, illud non omittendum*, inquit, *videtur*, *qui templum dedicaſſet pro conſuetudine tributum, ut nomen eius templi faſtigio inſcriberetur. Annotavit Dionyſius diligenter (uti ſolet) de eodem Horatio.* (Vid. *Lib. V pag. 304.*) Addo locum *Dionyſii Lib. IX pag. 691* de *Poſtumio*, τότε τῇ βουλῇ δόξαν, ὁ Ποστούμιος ἔλαβεν αὐτοῦ τὴν ἐπιγραφήν. Conf. *Lib. VI pag. 341*, qui etiam mos inſcribendi temporibus Pompeii M. non exolevit. Scriptum enim reperimus apud *Gellium* in *Noct. Att. Lib. X cap 1*, quod exemplum huiusmodi eſt: *Quum Pompeius ædem*

Victo-

Victoriæ dedicaturus foret, quæri cœptum eſt, utrum Conſul tertio inſcribendum eſſet, an tertium. Horum ſine dubio titulorum iudicio moniti ſcriptores, & nomen magiſtratus, qui dedicarat templum, & diem conſecrationis dedicationisque, noverant. Quam ſententiam fere probabilem reddit accurata dierum eiuſmodi ſolennium conſignatio apud *Livium*, qui *Lib. II cap. 21, ædes Mercurii*, inquit, *dedicata eſt idibus Maiis*, & in eod. *Libro cap. 42 Caſtoris ædem eodem anno idibus Quinctilibus dedicatam eſſe* teſtatur. Reliqua loca lubens prætereo, in quibus dierum memoria frequens eſt ad eum modum. Conf. *Dionyſium Lib. VIII pag. 525*, & *Dodwellum de Cyclis Diſſ. X pag. 593 ſeq.* Neque *donaria* in delubris Deorum repoſita ſuis caruiſſe titulis, documento eſt cum *thorax linteus, Aul. Corn. Coſſi* nomine inſignitus, apud *Livium Lib. IV cap. 20*, (quæ ratio ſit thoracum linteorum, non ineleganter expoſuit *Sig. Iac. Apinus* in *Diſſ. de Loricis linteis veterum, Altorf. 1719, 4*,) tum pateræ aureæ tres, quas cum *titulo nominis Camilli ante Capitolium incenſum in Iovis cella conſtat ante pedes Iunonis poſitas eſſe*, auctore eod. *Livio Lib. VI cap. 4.* De legum SCtorumque memoria, columnis & ſtatuis aureis publice inſculpta, res adeo clara eſt, ut diſputatione non egeat. De Lege vetuſta priſcis literis verbiſque ſcripta vid. *Livium Lib. VII cap. 3*; de Lege XII Tabularum, ceteriſque SCtorum, auctoritatumque, monumentis, conſule Auctores, ſupra in medium prolatos. Signis & ſtatuis adeo familiares fuerunt & proprii titulorum honores, ut nullum ferme

Deorum hominumque ſimulacrum, Romæ vel extra urbem ſine ſubſcripto illis indice exſtitiſſe crederem. Occupavit quidem hunc locum *Barn. Briſſonius de Formulis Lib. VIII pag. 725*, ſed, quoniam in hac re demonſtranda recentioris tantum memoriæ exemplis uſus eſt, quorum auctoritas ſcilicet inſtituti noſtri rationes non multum iuvat, pervetuſta quædam rerum Romanarum monumenta ex ipſis Auctorum Latinorum annalibus decerpere placet. *Romæ ſimulacrum*, ait *Plinius Lib. XXXIV cap. 24*, *ex aere factum Cereri primum reperio ex peculio Sp. Caſſii, quem regnum affectantem pater ipſius interemerat.* Huic inſcriptum erat: EX. CASSIA FAMILIA DATVM (vid. *Livium Lib. II cap. 41*, & *Dionyſium Lib. VIII pag. 546*, eiusdem rei auctorem, ἐξ ὧν, inquientem, ἀπαρχὰς ἐν ἄλλοις τε ἱεροῖς ἀνέθηκε καὶ δὴ καὶ τῇ Δήμητρι τοὺς χαλκέους ἀνδριάντας ἐπιγραφαῖς δηλοῦντας ἀφ᾽ ὧν εἰσι χρημάτων ἀπαρχαί. De *T. Quintio* memoriæ prodidit *Livius Lib. VI cap. 29*, eum triumphantem ſignum Præneſte devectum Iovis Imperatoris in Capitolium tuliſſe, *quod dedicatum inter cellam Iovis, ac Minervæ, tabulaque ſub eo fixa monumentum rerum geſtarum, his ferme inciſa literis fuit*: IVPITER. ATQVE. DIVI. OMNES. HOC. DEDERVNT. VT. T. QVINTIVS. DICTATOR. OPPIDA. NOVEM. CAPERET, quod Epigramma ex *Feſto in Trientem pag. 576* ed. *Dac.* egregie reſtituit *Steph. Vinand. Pigbius*, vir harum literarum princeps, *Lib. III Annal.* ad A. U. C. *CCCLXV pag.*

240.

840. De *Appio Claudio* Coſ. hæc refert *Plinius Lib. XXXV Sect. 3 pag. 681* ed. *Hard. ſuorum*, inquiens, *vero Clypeos in ſacro vel publico dicare primus inſtituit (ut reperio) Appius Claudius, qui Conſul cum Servilio fuit anno urbis CCLIX. Poſuit enim in Bellonæ æde maiores ſuos, placuitque in excelſo ſpectari & titulos honorum legi. Decora res utique, ſi liberorum turba parvulis imaginibus ceu nidum aliquem ſobolis pariter oſtendat: quales clypeos nemo non gaudens favenſque adſpicit.* Quibus verbis declaratur, tales clypeos etiamnum *Plinii* temporibus exſtitiſſe. *Poſt eum M. Æmilius, Collega in Conſulatu Quinti Luctatii non in Baſilica modo Æmilia, verum & domi ſuæ, poſuit, id quoque Martio exemplo.* Senatum matronis, quæ cum *Veturia*, matre Coriolani, in caſtra *Marci Coriolani* iverant, ut, quam armis viri defendere urbem non poſſent, eam precibus lacrimiſque defenderent, propter navatam rei publicæ operam decreviſſe laudationem publico monumento inſcriptam, *Dionyſius* in literas retulit *Lib. VIII pag. 525*: τοῖς δὲ γυναιξὶν ἔπαινόν τε ἀποδεδόσθαι τῆς προθυμίας, πάλαι δημοσίᾳ γραφῇ μνήμην οἴσοντα ἐκ τῶν ἐπιγινομένων αἰώνιον. *Luc. Sicinium Dentatum*, qui tribunus plebis fuit *Sp. Tarpeio, A. Æternio* Coſſ. (ita mendoſe libri *Plinii H. N. Lib. VII cap. 28*, rectius leg. *A. Aterio*) fortitudine apud Romanos prævaluiſſe, *Solino* auctore, (vid. *Polyhiſt. cap. 6*,) *titulorum numerus* oſtendebat. De *M. Atilio Collatino*, qui Conſul fuit A. U. C. 495, (vid. ad hunc annum *Pighium Vol. II Annal. pag. 28*,) *Cicero* in

Cat.

Cat. Maj. de Seneƈt. cap. 17 hæc ſcribit: *quanta* (auƈtoritas) *in Atilio Calatino? in quem illud elogium unicum;*

Uno ore plurimæ conſentiunt gentes,
Primarium populi fuiſſe virum.

Notum eſt totum carmen, inciſum in ſepulcro. Vid. *Lambinum* ad *h. l.* Conf. *Cic. de fin. bon. & mal. Lib. II cap.* 35, item ibid. *Daviſium pag.* 189, 190. An tibi ergo fabellæ videbuntur res populi Romani, quarum pleraque argumenta in ipſis titulorum reliquiis auguſte ſanƈteque veneramur? Num cenſes, ſubtiliore ratione opus eſſe ad refellendas dubitationes tuas? Quæ enim eſt iſta calliditas, res vetuſtate robuſtas, calumniando velle pervertere? Non reperio cauſam. Latet fortaſſe rerum quarundam veritas obſcuritate longinquitateque temporum involuta. Condemnabimusne ſcriptores veteres ſtultitiæ, aut vanitatis, aut imprudentiæ, qui quingentorum ab Urbe condita annorum memoriam Annalibus comprehenſam continuerunt; aut ſeculorum reliquorum, quod de ipſis erat, iudicium pertimeſcemus? Age, ſint illi vani & fallaces, non modo maneat id, quod negari non poteſt, niſi omnem hiſtoriam pervertimus, propter ſigna quædam externa, quæ in rem apte duƈta non coniecturæ obſervationem, ſed locupletem vetuſtatis auƈtoritatem, declarabant, veracem ad poſteros traditam rerum famam fuiſſe. Probamus id duplici notarum publicarum genere XVI), *Ritibus* & rerum *Cognominibus.* Ad *Ritus* pertinent omnes *cærimoniæ ſacrorum, formulæ, annuæ*

ſolen-

ſolemnium dirum procurationes. Ad *rerum cognomina* ſuo iure referimus *locorum proverbiorumque* notationes. Utrumque genus aliquot exemplis illuſtrabimus. Quantum *ritus* & *cærimoniæ* ad recolendam omnis antiquitatis memoriam valuerint, ex illuſtri apud *Dionyſium* loco *Antiqu. Lib. VII pag. 474-479* cognoſci poteſt.

Præterea, cum in verbis conceptis ne hilum mutaretur, patet XVI), *formulas* non ſolum aliquam vetuſtatis imaginem retuliſſe, ſed in libris ſacerdotum quoque religioſiſſime cuſtoditas fuiſſe. Inde *Cato* & *Varro* in ſuos *de re ruſtica* commentarios ſolennia precantium verba tranſtulerunt. Exſtabant enim, auctore *Plinio Lib. XXVIII cap. 2, carmina contra grandines, contraque morborum genera, contraque ambuſta,* &c. Inde eſt egregia *deditionis Collatinæ* formula, quam *Livius Lib. I cap. 38* dedit. Ex his fontibus quoque *M. Valerii* patris patrati *Liv. Lib. I, 24,* it. *legis horrendæ carmina* ibid. *cap. 26, A. Cornelii Arvinæ* fecialis verba ibid. *Lib. IX cap. 10, Appii Claudii* precationes *Lib. X cap. 19,* & infinitæ aliæ verborum ſolennitates, manaverunt. Cuius coniecturæ rationes novi exempli inductio confirmat. *Livius* enim *Lib. VIII cap. 11, hæc,* inquit, (*etſi omnis divini humanique moris memoria abolevit, nova peregrinaque omnia priſcis ac patriis præferendo,*) *haud ab re duxi, verbis quoque ipſis, ut tradita, ut nuncupata ſunt, referre.* Nec id mirum. Durabat enim, *Plinio* teſte *Lib. XXVIII ſect. 3 Tom. II Hard. immenſo*

exempla

exemplo Deciorum, patris filiique, quo ſe devovere carmen. Quam religionem in ceteris quoque rerum eventorumque narrationibus *Livium* tenuiſſe, haud temere creditur. Egregius eſt præterea de comprecationum formulis locus apud *Gellium Noct. Att. Lib. XIII cap.* 21, & *Lib. I cap.* 12. Apposite *Dionyſius* de *diebus feſtis*, Φυλάττουσι, inquit, τοῦ χρόνου μνημεῖα, *Lib. II pag.* 134, quorum indiciis ſæpiſſime, tanquam clariſſimis luminibus, rerum vetuſtarum tenebras ipſe diſpulit. Nihil denique poterat eſſe perturbatum & confuſum in antiquitatis memoria, ubi publicæ XVII) *locorum, proverbiorum*que, notationes auctorem rei geſtæ, cauſasque, approbabant, quoniam tanta vis admonitionis ineſt in locis, ut non ſine cauſa ex his memoriæ ducta ſit diſciplina, nec raro uſu venire ſolet, ut proverbii admonitu iudicioque acrius, aliquanto & attentius de clarorum virorum rebus geſtis cogitemus. Sic monumentum pugnæ Sabinæ, *ubi primum ex profunda emerſus palude equus Curtium in vado ſtatuit, Curtium lacum Romani appellarunt, Liv. Lib. I cap.* 13. Conf. *Dionyſ. Lib. II pag.* 108. Ita *foſſa Cluilia ab nomine ducis per aliquot ſæcula appellata eſt, Liv. Lib. I cap.* 23. Conf. *Dionyſ. Lib. III pag.* 139. Similiter templum ordini ab ſe aucto curiam fecit Tullus Hoſtilius rex, quam *Hoſtiliam* uſque ad patrum ſuorum ætatem appellatam eſſe, confitetur *Livius Lib. I cap.* 30. Eodem pacto *fœdum inhumanumque* inde traditum ſcelus, *monumentoque locus* fuit: *Sceleratum*

tum vicum vocarunt, *quo amens . . . Tullia per patris corpus carpentum egiſſe fertur*, *Liv. Lib. I cap.* 48. Eodem *Livio* teſte *Lib. II cap.* 13, *Patres C. Mucio virtutis cauſa trans Tiberim agrum dono dedere, quæ poſtea ſunt Mucia prata appellata.* Conf. *Dionyſ. Lib. V pag.* 303. Domum *Sp. Malii*, ut monumento area eſſet oppreſſæ nefariæ ſpei, dirui extemplo iuſſit *T. Quintius Cincinnatus.* Id *Æquimelium* appellatum eſt ſecundum *Livium Lib. IV cap.* 16. Peſtilentia, quæ Gallorum militem aliquando peſſime urgebat, *buſtorum Gallicorum nomine inſignem locum* fecit, ſuffragante *Livio Lib. V cap.* 48. Naves Antiatium partim in navalia Romæ ſubductas, partim incenſas eſſe, prodidit *Livius Lib. VIII cap.* 14: *roſtriſque* tum *earum ſuggeſtum, in foro exſtructum, adornari placuit: Roſtraque id templum appellatum.* Hoc loco non omittendum cenſeo, quod *Livius Lib. VI cap.* 20 annalium monumentis conſignavit, *Adiectæ*, inquiens, *mortuo notæ ſunt: publica una, quod, cum domus eius fuiſſet, ubi nunc ædes atque officina Monetæ eſt, latum ad populum eſt, ne quis patricius in arce, aut Capitolio, habitaret. Gentilitia altera, quod gentis Manliæ decreto cautum eſt, ne quis deinde M. Manlius vocaretur.* Quantam in hiſtoria ad veri indagationem proverbii ratio vim habeat, unico & luculento *Livii* exemplo demonſtremus. Hic enim *Lib. IV cap.* 29, *Nec libet*, inquit, *credere: & licet, in variis opinionibus. Et argumento eſt, quod imperia Manliana, non Poſtumiana, appellata ſint:*

cum,

cum, qui prior auctor tam ſævi exempli foret, occupaturus inſignem titulum crudelitatis fuerit. Imperioſo quoque Manlio cognomen inditum: Poſtumius nulla triſti nota eſt inſignitus. Quam tamen ſententiam ſuam *Titus*, quod miror, *Perizonio*, in alia omnia abeunti, (vid. *Animadv. Hiſtor. cap. 8 pag. 350 - 355*) nondum perſuaſit. Gravior inter viros eruditos XVIII) de *viciniarum urbium annalibus* orta eſt controverſia? Sed vereor, ne in reprehenſionem incurrant ii, qui huius rei veritatem in dubium vocare auſint. Impugnarat vulgatem opinionem quondam *Cluverius*, cuius rationes *Ger. Ioh. Voſſius* in *Libr. de Hiſt. Lat. Lib. I cap. 1* levi bracchio, *Theod.* contra *Ryckius* in *Diſſert. de primis Italiæ colonis & Æneæ adventu pag. 437*; ſubtilius & γεωμετρικῶς refellit. Ab horum partibus ſteterunt olim Duumviri rei publicæ literariæ clariſſimi lectiſſimique, *Henr. Dodwellus* & *Iac. Perizonius*. Alter in Diſſertatione X *de Antiquis Romanor. Cyclis pag. 555* talibus verbis utitur, quæ in præſentem quoque locum traducta haud ægre ferent Lectores. *Erant*, inquit ille, *præterea Græcæ gentium Romæ finitimarum coloniæ, quarum Scriptores res etiam Romanas, quæ ſuis erant innexæ, poſſent fideliſſime conſervare. In magna nempe Græcia (qua vixit etiam Herodotus & Pythagorei) & in Sicilia. Erant gentium etiam barbararum Romæ propinquarum de rebus a ſe cum Romanis geſtis ſatis antiqua & fide digna monumenta. Præſertim vero Sabinorum & Etruſcorum. E Tuſcis hiſtoriis ſeptem ſæcula iam elapſa numerauit*

ravit Varro (ap. Cenſor. de die Natal. cap. 17) quorum anni omnes 781 eſſent. Hæ certe hiſtoriæ ipſa urbe antiquiores fuerint, oportet. Ex his poterant Græcorum barbarorumque Archivis res Romanæ multæ ſervari, ut ipſi rebus gerundis potius, quam ſcribendis, toti incubuiſſent. Ex his ergo urbium propinquarum Archivis admodum profecit Varro in ſuæ patriæ Epocha ſtatuenda. Ita Cenſorinus (cap. 21), quo loco agit de Chronologiæ Romanæ veteris incertitudine: ſed hoc (inquit) quodcunque caliginis, Varro diſcuſſit: & pro cetera ſua ſagacitate nunc diverſarum civitatium conferens tempora, nunc defectus, eorumque intervalla, retro dinumerans, eruit verum, lucemque oſtendit, per quam numerus certus non annorum modo, ſed & dierum, perſpici poſſit. Conf. eundem in Tab. XIII ad Diſſ. X pag. 876. Alter vero in Diſſert. VII pag. 695 ſeq. Diſſ. eius iunctim editarum Tom II cauſam ſuam ſic demonſtravit: Et ſane, ſicuti Cato Cenſorius apud Corn. Nepotem dicitur in ſecundo & tertio hiſtoriarum ſuarum libris tradidiſſe, unde quæque civitas orta ſit Italica, ob quam rem omnes origines videatur appellaſſe, ita probabile eſt, etiam Etruſcos, Veientes, Fidenates, tum Latinos, Sabinos, Volſcos, habuiſſe & ſuos qualeſcunque Annales, in quibus & Romanæ originis ac fortunæ crebra fieret mentio, & unde Romani ex parte ſaltem reſarcire potuerint, ſi quæ in Gallico ſuæ urbis incendio forſan interierant. Contra quæ omnino decreta Puilium (pag. 33 Mémoir. de Lit.) non argutari oportebat. Multa enim ibi ſunt

parum firma, plura inſcite expreſſa. Verum recte atque ordine, ut par erat, quod dixi, cauſam civitatum Italicarum aſſeruit olim *Ryquius*, vir omnis antiquitatis conſultiſſimus, cuius teſtimonium nominatim, adſperſis ſubinde noſtris qualibuſcunque animadverſionibus, hoc loco producere, quia multum ineſt auctoritatis, inutile & ſupervaneum eſſe, non exiſtimo. „*Deinde*, inquit, *cum tot fuerint in Italia reſpublicæ*„ (verbi cauſa, *Etruſci*, quorum antiquitates, a *Curtio Inghiramo* prope Volaterras inventae & editae magno nobis eſſe præſidio potuiſſent, niſi *Leo Allatius*, & alii, ne deciperemur his fraudibus, ſuo iudicio caviſſent; vid. *Fabric. Bibl. Lat. Tom. I pag. 877*, & *Tom. III pag. 885*, item *Bibl. Hiſt. Struvio Buder. Tom. II cap. 27 §. 22 pag. 1429*; porro *Sabini*, *Samnites*, penes quos aliquam literarum curam fuiſſe, *libri lintei* mentio apud *Livium Lib. X cap. 38* fidem facit; nec minus *Tarentini*, etſi, cenſore *Livio Lib. XXI cap. 9*, *hac quoque moribus ſuis corrupta* eorum *civitas* debuerit, *ut celebrata* eſſent *Annalibus ſcurrarum nomina*, *Tarentinorum principum ignorarentur*; immo civitates, veluti *Alba longa*, quanquam hic *Henr. Dodwellus l. d. pag. 677 ſeq. Sect. CX* diſſentiat, item *Antium*, cuius *Acta* citat *Sueton. Cal. cap. 8 Præneſte*, *Aricia*: de *Præneſte* vide, ſis, primo *Ciceronis* illuſtrem de *Div. Lib. II cap. 41 pag. 237* ed. *Daviſ.* locum, ubi *Numerium*, inquit, *Suffucium Præneſtinorum monumenta declarant*, *honeſtum hominem & nobilem*, &c. de *Aricia* & aliis oppidis *Ovidii* teſti-

moni-

monium, a *Pighio* in *Annal. pag.* 12 deſcriptum *Lib. VI Faſt. v.* 59 *ſeq.*

Inſpice, quos habeat nemoralis Aricia faſtos,
Et populus Laurens, Lanuviumque meum.
Eſt illic menſis Iunonius. Inſpice Tibur
Et Præneſtinæ moenia ſacra Deæ.

Audi quoque *Macrobium Lib. I cap.* 12 *Saturn. p. m.* 215 ed. *Pariſ.* 1585, 8, commemorantem Iunium menſem diu *apud Aricinos Præneſtinosque hac appellatione in faſtos* relatum eſſe: *Volſinii*, vid. *Liv. Lib. VII cap.* 3, cui profecto rerum geſtarum monumenta deeſſe non poterant, cum *Metrodorus* olim *Scepſius*, auctore *Plinio Lib. XXXIV cap.* 7, *propter duo millia ſtatuarum Volſinios expugnatos* Romanis obiecerit; *Larinum*, cuius tabulas publicas Cenſorias recenſet *Cic. pro Cluent. cap.* 14; *Heraclea*, cuius tabularium incenſum eſſe, refert *Cic. pro Arch. cap.* 4; *Tibur*, unde profecta [illegible] tabula Tiburtinæ cum Romanis confœderationis, in Herculis templo aſſervata, quam ex *Franciſci Martii Hiſtoria Tiburtina* repetiit *Ath. Kircherus* in *Veter. & Nov. Latio P. IV cap.* 16 *pag.* 137 *ſeq.*; *Tuſculum*, cuius ſacrorum, ſc. librorum, meminit *Varro Lib. V cap.* 3; *Anchiſe*, Græc. Ἀγχίση πόλις Ἰταλίας, ut annotat *Stephanus Byzantinus* περὶ πόλεων *pag.* 32 *Berckel.* Huic urbi cum *Sylburgio* ad *Dionyſ. pag.* 60 Anchiſenſium tabularum decus non inviderim. Recte propterea hic *Caſaubonus* in annotationibus ad *Dionyſium Hudſon. Tom. II pag.* 333, *Ad conſervandam*, inquit, *rerum geſtarum memoriam certum eſt ſolitos veteres*

earum narrationem lapidi inſculpere: cuius moris vel inſignis ille lapis, qui eſt Ancyrae in Aſia (ut lapides triumphales omittam, qui in Capitolio Romæ ſunt,) teſtis ſit. Videtur ergo Polybius nactus apud Anchiſenſes aliquod iſtiusmodi antiquitatis monumentum, ubi notatum erat conditæ Romæ tempus.) „*Antequam ſibi Roma ſingulas ſubiiceret, & in* „*his aliquot ſatis potentes, quis credat omnes An*„*nalibus deſtitutos? Immo, inſtructas fuiſſe multas,* „*patet ex Fragmentis, a Dionyſio ex Antiocho Sy*„*racuſano allatis,*„ (quæ exſtant *Lib. I pag.* 10; memoratu dignum eſt, quod ibi Antiochus de ſe fatetur, ſe res Italicas ſcripſiſſe ἐκ τῶν ἀρχαίων λόγων τὰ πιςότατα καὶ σαφέςατα) „*qui Ro*„*manis circum ipſam matrem ſuam adhuc lactan*„*tibus, ſive antequam urbs a bellis vaſtata eſſet,* „*de antiquis Italiæ colonis libros evulgavit: ex* „*hiſtoriis domeſticis Sabinorum, quas* item *Lib. II* „*pag.* 113 *alibi citat:*„ (*ex Etruſcorum annalibus*, ad quos provocat *Dionyſius Lib. III pag.* 176 *Hudſ.* ὡς ἐν ταῖς ἐπιχωρίαις γραφαῖς εὗρον. item exemplo *Zenodoti Trœzenii* conſtat, qui apud eundem *Dionyſium* συγγραφεὺς ὀμβρικῦ ἔθνυς audit *Lib. II pag.* 112,) „*item ex ſingularium ur*„*bium hiſtoriis, quæ ſubinde adducuntur, uti Cu*„*mana apud Feſtum in Roma; Patavina apud* „*originis gentis Romanæ auctorem, ſimilibusque* „*paſſim occurrentibus.*„ Hæc *Ryckius.*

Teſtium loco recitare *privata* Romanorum monumenta, imprudentiæ non eſt. Quanquam enim novi, apud cenſores rerum vetuſtarum levia & infirma videri, ſancta tamen atque gravia apud idoneos antiquitatis iudices eſſe du-

cuntur.

euntur. Quemadmodum vero Romani res publicas levioris momenti commendabant *actis diurnis*; ſic domeſticæ vitæ rationes *adverſariis*, *codicibus*, ſeu *tabulis accepti & expenſi*, declarabant. Inde *Acta diurna* Romanorum diſtribuere malo in *publica* & *privata*, quam eadem cum *Dodwello App.* ad *Lect. Camd.* §. 2, 3, *pag.* 652 confundere. Neque hic *Commentarios principales* ap. *Dodw. pag.* 654, item *diurnos Commentarios* apud *Sueton.* in *Aug. cap.* 64, (vid. *Caſaub.* ad h. l.) & *Commodi Ephemerides*, (vid. *Dodw.* ib. *pag.* 652) exemerim, quibus omnibus ineſſe debuit perſæpe nugarum domeſticarum deſcriptio, etſi a perſonis publicis, quales Imperatores erant, fieret. Quam autem vim, dignitatem, auctoritatem, diligentiamque, *Codices* habuerint, ex ſola Oratione *Cic.* pro *Roſcio Am. cap.* 2 *ſeq. a pag.* 229 *Græv. Tom. I P.* 1 apparet. *Aſconium* hic *Pedianum* anteſtatur *Dodwellus* l. d. moris olim fuiſſe, ut unuſquisque domeſticam rationem ſibi totius vitæ ſuæ per dies ſingulos ſcriberet, unde poſtmodum rectiſſime ad publicorum monumentorum curam, exploratamque veritatem, concludit. Male tamen non minus apud hunc, quam *Rualdum* in *Animadv. XXI* ad *Plutarch. pag.* 101 *ſeq.* locus ille deſignatur. Exſtat autem ad *Verr. Cic.* I *pag.* 465 *Græv. Tom. I P.* 1. Ceterum de tabulis accepti & expenſi vid. *Briſſon. de Formul. pag.* 540 ed. *Franc.* In illuſtrium præterea virorum atriis ſpectabantur *expreſſi cera vultus, ſingulisque diſponebantur*, ut *Plinius* tradit *Lib.* 35 *cap.* 2,

armariis, ut eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera, ſemperque defuncto aliquo, totus aderat familiæ eius, qui unquam fuerat, populus. Horum argumento, cum relatos in *numos* postea & procuſos fuiſſe opiner, huiuſmodi typi certiſſimam fidem merentur. Suadet enim ingenium talium *numorum*, & eorum temporum accuratio, quibus credibile eſt, antiquiſſimorum Romanorum tabulas pictas ſuperfuiſſe, in quibus erant Regum Conſulumque, vultus non ſolum pictorum artificio delectantes, ſed etiam cognitione formarum. De huius generis iconibus intelligendus eſt locus *Nepotis*, in *Vita Attici pag. 797, Epiſt. Cic.* ad. *Att.* ed. *Græv. Namque verſibus*, inquientis, *qui honore, rerumque geſtarum amplitudine ceteros Romani populi præſtiterunt, expoſuit: ita, ut ſub ſingulorum imaginibus facta magiſtratusque eorum non amplius quaternis, quiniſve verſibus deſcripſerit, quod vix credendum ſit, tantas res tam breviter potuiſſe declarari.* Conf. *Plinium* l. d. Præterea non *codicibus* modo *tablina*, ſed *commentariis* etiam, *monumentisque rerum in magiſtratu geſtarum*, implebantur teſte *Plinio* loco dicto unde *Feſti* locus, quem ſupra excitavimus, nova luce colluſtratur. Cum enim nonnulli exiſtimarent, *Feſtum* per *rationum ſuarum res deſcriptas* monumenta ἀρχέτυπα intellexiſſe, *tablini* inde vox pro *publico* quoque monumentorum receptaculo ſumi cœpta eſt, ex eo errore, quod ignorabant, hanc forte magiſtratuum, qui tabulas publicas tum cuſtodiebant, conſuetudinem

tudinem fuiſſe, ut, cum tabulas novo magiſtratui tradiderunt, domi exempla literarum ipſi habere non noluerint. Nec ea tantum parvi temporis memoriam, ſed perpetuæ exiſtimationis fidem & religionem amplectebantur, quoniam, ut de *Commentariis Cenſoriis* curioſe annotavit *Dionyſius Lib. I pag. 60* velut ſacra gentilitia (*ἱερὰ πατρῷα*) a parentibus ad filios hæreditatis iure tranſibant. Ad hoc genus monumentorum pertinent haud dubie *veteres Commentarii*, a *Cic. Brut. cap. 15*, item *Commentarii rerum urbanarum*, ſ. *ὑπομνήματα*, ab eod. in *Epiſt.* ad *Diverſ. Lib. VIII Ep. XI pag. 486 Græv. Tom. I* & *Lib. XV Epiſt.* ad *Att. 23*, laudati, nec minus *Commentarius de gente Porcia* apud *Gell. Noct. Att. Lib. XIII cap. 18.* Huc quoque refero *Commentarium vetus anquiſitionis*, cuius memoria exſtat apud *Varron. L. L. Lib. V pag. 70, 71*, ed. *Vetr. Maur.* Qualis ſit *Furii* cuiusdam *vetuſtiſſimus liber*, in quo *Sammonicus Serenus* carmina Deorum evocandorum reperiſſe ſe profeſſus eſt, teſte *Macrobio Saturn. Lib. II cap. 9*, adhuc ignoro. Multas veterum *orationes* ex iisdem familiarum armariis ad *Livii* tempora tranſmiſſas fuiſſe, a vero non abludit. *Noriſius* ſaltem ad *Cenotaph. Piſan. cap. 1* totum hoc orationis genus propter unum parachroniſmi errorem a *Livio* commiſſum *Lib. XXXIV cap. 5*, parum acute damnat. Id enim nobis perſuaſiſſet vir magnus, ſi ubique *Livius* indirecte dixiſſet: *in hanc ſententiam locutos eſſe rerum auctores, comperi.* Verum, quando ſermones magiſtratuum non raro inducit directis

ſormulis notatos: *His verbis uſum eſſe accepimus*; vel: *inquit*, vel: *orant*, vel: *edicunt*, *verba fecit*, *talem orationem habuit*, &c. taliſmodi profecto orationes commenta dici non poſſunt. Unde enim verbi cauſa *Menenium Agrippam*, facundum virum, intromiſſum in caſtra plebis *priſco illo dicendi & horrido modo nihil aliud, quam hoc, narraſſe* ſciviſſet *Livius Lib. II cap.* 32, niſi illius orationis aliquod exemplum in tablinis privatorum hominum exſtitiſſet? Neque de hoc dubitare ſinunt ea, quæ *Livius* ſcribit *Lib. III cap.* 47, *quem decreto*, inquiens, *ſermonem prætenderit* (Appius Claudius decemvir,) *forſan aliquem verum auctores antiqui tradiderint, quia nusquam ullum in tanta fœditate decreti veriſimilem invenio. Id quod conſtat, nudum videtur proponendum, decreſſe vindicias ſecundum ſervitutem.* Qui locus clariſſime oſtendit, *Livium* alias ſemper ad hiſtoriæ ſuæ ornatum dignitatemque orationes veras conquiſiviſſe, propterea ægre nunc fert, Appii cauſam huiusmodi præſidiis deſtitutam eſſe. De harum orationum vetuſtiſſimarum reliquiis difficile quidem eſt plus intelligere, quam quantum ex monumentis ſuſpicari licet; coniectura tamen & arguta *Ciceronis* in *Brut. cap.* 14 diſputatione ad credendum ducor, iam antiquiſſimis temporibus orationes proditas fuiſſe. Quanquam enim talia monumenta oſſium & nervorum tantum vicem ſuſtinebant, carne & cute nudatorum, formæ tamen decus & illam vivi corporis venuſtatem Scriptorum recentiorum inge-

ingenio & facundia induebant. Reſtat iam, ut breviſſimis quoque de *Laudationibus funebribus* coronidis loco diſſeramus. Indolem earum & naturam egregie *Iac. Gutherius de Iure Man. Lib. I cap. 25*, & nuperus *Lyſiæ* interpres luculentus, *Ioh. Taylor*, in *Lect. Lyſiacis* ad Λυσίȣ τὰ περιγενόμενα, *Londini 1739, 4, cap 3 a pag. 682*; explicarunt. Novi equidem, ἐγκωμιαςικὰ ab his, quæ ſunt ἱςορικὰ, (*Cic.* ad *Att. Lib. I Ep. 19*) toto cœlo differre, neque *Ciceronem* querentem negligo, laudationibus funebribus quandoque hiſtoriam factam fuiſſe mendoſiorem; nihilo minus tamen manifeſtum eſt, errare eos, qui, nunquam tales oratores dixiſſe, niſi de re dubia, putant. *Funebres* enim *laudationes*, inquit *Fabius Inſtit. Orat. Lib. III cap. 7 pag. 265 ſeq.* ed. *Burm.* pendebant *frequenter ex publico aliquo officio, atque Senatusconſulto magiſtratibus ſæpe* mandabantur: cuius rei exemplum ſuppeditat *Dionyſius Lib. V pag. 291.* Ut enim laus, quæ negotiis adhibetur, probationem deſiderat; ſic etiam illa, quæ gloriæ componitur, variis actorum probationibus carere nullo modo poteſt. Alias vana fuiſſet *Ciceronis Lib. II, de fin. b. & m. cap. 35 pag. 189 Dav.* cohortatio, *Torquatum* ſic appellantis: *Lege noſtrorum hominum, lege veſtræ familiæ:* (laudationes) *neminem videbis ita laudatum, ut artifex callidus comparandarum voluptatum diceretur.*

Quæ omnia cum ita ſint, tantisque publicorum privatorumque monumentorum divitiis

urbem rerum dominam olim abundaſſe conſtet, quis Romanorum antiquiſſimis temporibus illam Athenarum laudem invideat, quæ eſt apud *Ciceronem* de *de fin. bon. & mal. Lib. V cap. 2 pag. 353 Daviſ.* his verbis: *Id quidem infinitum eſt in hac urbe. Quacunque enim ingredimur, in aliquam hiſtoriam veſtigium ponimus.*

V.

VOCES ALIQUOT LATINÆ, QUÆ IN LEXICIS VULGARIBUS FRUSTRA QUÆRUNTUR, EX PRISCIS AUCTORIBUS COLLECTÆ A FRID. OTTONE MENCKENIO.

PARS II, ITERUM CONTINUATA.

HYGRA. Vetuſtioribus Medicis uſurpatum vocabulum, qui Collyrium quoddam, tollendis oculorum ſuffuſionibus aptum, *Hygram* dixere. Ex Græcia origo voci, ductæ ab ὑγρὸς, idem, quod *liquidus*, notante. Habet enim *Dioſcorides Lib. I cap. 96* ὑγρὰν πίσσαν, quod *liquidam picem* recte reddas. Itaque *Petro Ruellio* in *Nomencl. rei veter. Hygra* vocatur *emplaſtrum liquidum*, & *Scribonio*, Medico antiquo, in *Compoſ. med. cap. 4 §. 37 medicamentum liquidum.* Unus hic, quod ſciam, *Scribonius* inter veteres vocem *Hygra* uſurpavit, etſi ſuæ ætati

maxime

maxime cognitam teſtatur. Verba eius loco, quem dixi, hæc ſunt: *Medicamentum liquidum ad palpebrarum veterrimam aſpritudinem, & excreſcentem carnem, σύκωσιν quam vocant: item callum duriſſimum.* Hygram *appellant, quia eſt* liquidum medicamentum: *carnem ex palpebris tollit ſine magno dolore.* Cetera lege, quisquis emplaſtri huius noſſe compoſitionem cupis. Iterum legitur hoc vocabulum in *Compoſ. 38:* Hygra *ad ſuffuſiones oculorum, quas Græci ὑποχύματα dicunt, medicamentum liquidum.* &c. Fuit autem, qui, in his *Scribonii* locis pro *Hygra* legendum *Hydra*, coniiceret; ſed quem meliora docet ipſe *Scribonius*, vocem hanc Latine reddens *medicamentum liquidum.* Atqui, vocabulo ὑγρὸς Græcis ſignificari *liquidum*, nemo neſcit. Lege, ſi placet, quæ *Io. Rhodius* ad hunc *Scribonii* locum commentatur. Memoratur etiam *Hygremplaſtrum Plinio Hiſtor. nat. Lib. XXXIV cap. 15*, quod eſſe ipſum hoc Collyrium, *Hygra Scribonio* vocatum, forte non infeliciter coniicias.

IDEMMET. Vetuſtioris ævi vocem damus, quippe *Ennio* uſurpatam in *Iliona*, ſive *Polydoro*, unde verſum hunc *Tullius Acad. Quæſt. Lib. IV cap. 27* profert:

Age, adſta: mane: audi iteradum eademmet *iſta mihi.*

Ita enim hæc verba cum *Verburgio* & *Daviſio* legimus; quorum etſi neuter, unde hauſerit hanc lectionem, in Notis nos docuerit, utrumque tamen, ſatis conſtat, in edendo aut Codi-

ces

ces emendatiſſimos, aut probatiſſimas editiones, ſecutum. Video autem, aliter hæc legi a *Gerb. Io. Voſſio* in *Notis* ad hunc verſum, *Hieronymo Columna*, qui *Fragmenta Ennii* A. 1590 Neapoli coniuncta edidit, & *Franc. Heſſelio*, eorundem *Fragmentorum* poſt *Columnam* editore, a quibus verſus ille *Ennii* ſic exhibetur:

Age, *adſta*, *mane*, *audi*, itera, dum eadem & *iſta mihi.*

Non hi addunt Codicum, in quibus ita exſcripta ſunt verba, indicium; nec mihi verborum, ita poſitorum, ſenſum aſſequi, aut formulæ, *eadem & iſta*, intelligere rationem, licet. Probæ autem ſtructuræ voculam eſſe *idemmet*, ſimiles, *egomet*, *ſuimet*, &, de qua paulo poſt dicemus, *illemet*, nos docent.

ILLECTRIX. Uni, quod ſciam, *Caſſiodoro* uſurpatum vocabulum. Is *carnem ad lenocinia illectricem* dicit in libri *de Amicitia cap.* 21 §. 23: *Quid, quæſo, deſiderabilius, quid tranquillius, quam ſuam ſic animam ſtabilire, ut - - -* carnem ad lenocinia illectricem, *ſcilicet ad exercitium militiæ ſpiritualis promtiſſimam, habeat admittere?* Vocem ipſam ſi ætate *Caſſiodori* fuiſſe novam dicas; forma tamen vocis inſoliti, aut peregrini, nihil habet.

ILLEMET. Eſt locus in *Ciceronis Lib. I de Leg. cap.* 1, quem, ut *Adr. Turnebus* teſtatur, liber quidam antiquus ita exhibet: *Ego vero huic potius aſſentior. Sunt enim maximæ res in hac memoria atque ætate noſtra: tum autem hominis*

minis amiciſſimi, Cn. Pompeii, laudes illuſtrabit. Incurret etiam in illum & *memorabilem annum ſuum.* Ubi, cum negari vix poſſit, vitium verbis *illum &* adhærere; fuerunt, qui voculam *&* expungerent; ſed his melius & probabilius locum idem, quem dixi, *Turnebus* emendavit, pro *illum &* legendo *illummet*, quæ vocula, idem, quod *ille ipſe*, notans, ſingularem quandam, niſi prorſus fallor, hoc in loco vim habet. Communem hæc *Turnebi* emendatio doctorum hominum plauſum tulit, maxime vero *Verburgii* & *Daviſii*, qui, reiecto *illum &*, hoc ipſum *illummet* in contextum receperunt. Eſt igitur, cur addas Lexico hanc voculam, quam, Scriptoribus quamvis aliis incognitam, tamen Latinæ linguæ ratio, & formæ ſimilis vocabula, *egomet*, *ſuimet*, *idemmet*, tuentur.

ILLUSTER. Duo exſtant *Valerii Maximi* loca, in quibus, ex plurimorum Codicum veterum conſenſu, pro *illuſtris*, *illuſter* eſt legendum. Alter eſt *Lib. IV cap. 1 §. 5: Non quod filii virtutibus diffideret,* (*erat enim* illuſtris,) *ſed ne maximum imperium in una familia continuaretur.* Ubi *illuſter* expreſſe ſcriptum in uno Codice *Colerus*, in duobus *Vorſtius*, in tribus *Torrenius*, teſtatur. Quem ſi Codicum conſenſum idem, quem dixi, *Colerus* habuiſſet cognitum, non hæc addidiſſet in *Nota: quod* (illuſter) *equidem iuris Latii non fecerim*, inprimis cum ratio non appareat, cur minus Latinum putari debeat *illuſter*, quam *pedeſter* & *equeſter*, quorum altero

Nepos

Nepos in *Eumene cap. 3*, altero *Livius Lib. V cap. 7*, & *Cicero* in *Or. pro Planc. cap. 35*, uſus eſt, etſi, magis vulgarem formam eſſe *pedeſtris*, *equeſtris*, nemo neſciat. Alterum *Valerii* locum habes *Lib. IV cap. 3* §. *11*: *Age, ſi quis hoc ſeculo vir* illuſtris *pellibus hædinis pro ſtragulo utatur*, &c. ubi in duobus libris antiquis pro *illuſtris* legi *illuſter*, *Vorſtius*, nec aliter habere tres alios Codices, & vetuſtiſſimam editionem Moguntinam, *Torrenius*, nos docet. Tot ac tam probati Codices cur efficere non potuerint, ut in his *Valerii* locis vulgatam lectionem emendandam *Torrenius* ſtatueret, ſane cauſam non video.

IMPARTIO. Non huic verbo, quod, præter unam literam, nihil ab altero *impertio* diverſum habet, inter vulgo incognita locum tribuerem, niſi hoc ipſum, quod *impartire* æque ac *impertire* Auctoribus priſcis dicatur, parum cognitum multis putarem. His igitur fortaſſe rem non ingratam faciam, ſi, quæ hoc ipſum *impartire* habent, loca Auctorum veterum, undecunque mihi collecta, huc attulero. *Livii* hæc ſunt *Lib. IV cap. 54*: *Icilii contra tribunos militum creandos dicere, & tandem aliquando* impartiendos *plebi honores*; *Lib. VI cap. 37*: *Qui crederent, duobusne in locis ſua voluntate* impartituros *plebi honorem*, &c. *Lib. XXI cap. 41*: *Pro his* impartitis, *furioſum iuvenem ſequentes, oppugnatum patriam noſtram veniant*; *Lib. XXX cap. 40*: *In concionem inde prodire iuſſus,*

gaudium-

gaudiumque id populo impartire; *Lib. XXXVIII cap. 36: Huic rogationi quatuor Tribuni plebis, quia non ex auctoritate Senatus ferretur, cum intercederent, edocti, populi eſſe, non Senatus, ius, ſuffragium, quibus velit*, impartiri, *deſtiterunt incepto.* *Livio Ciceronem* iungimus *Lib. II in Ver. cap. 21: In Syracuſanos unum diem feſtum Marcellis* impartire *noluiſti*, &c. Sic enim in omnibus legitur antiquis libris, niſi quod pro *impartire* quidam habent *impartiri*. Idem *Tullius Lib. I de Off. cap. 26: - - potiusque & amicis* impartientes, *& reipublicæ, ſi quando uſus eſſet*, ubi unus *Lambinus*, ſuum fortaſſe, ut in plerisque ſolet, ingenium ſecutus, *impertientes* legit. Alia *Tullii* loca *Nizolius* in *Lexico Ciceroniano* adducit; ſed in his editiones *Tullii*, quæcunque mihi ſunt inſpectæ, *impertire* habent. Unum addo *Apuleii* locum *de Aſ. aur. Lib. III: Patere, oro te, - - &* impartire *nobis unctulam indidem, per iſtas tuas papillas mea mellitula:* &c. Quæ attuli, loca ex eius ætatis Scriptoribus, quæ tulit optimos quosque, collecta ſunt; iam alia ex corruptioris ævi Auctoribus a *Gottlieb Cortio* accipe, in *Notis* ad *Plinii Lib. IV Ep. 23* huius formæ exempla proferente ex *Eumenii Orat. pro reſtaur. ſchola cap. 19: Liberalitate, quam fovendis bonorandisque literarum ſtudiis* impartiunt; & ex *Mamertini Paneg. Maxim. Hercul. cap. 3:* Impartito *tibi imperio;* & ex eiusdem *Paneg. Iulian. cap. 21: Qui aures etiam veris laudibus gravatus* impartiat. Sic enim ſcriptum ſe vidiſſe in accurato Codice Guelpher-

bytano, teſtatur. His meliorem Auctorem addit *Suetonium* in *Aug. cap. 11: Ne publicum quidem & translatitium ius ulla in re ſibi* impartiente. Habent & *impartire* vetuſti quidam Codices in verbis *Plinii Lib. IV. Ep. 23: Nam & prima vitæ tempora, & media patriæ, extrema nobis*, impertire *debemus, ut ipſæ leges monent*, &c. ſed, cum antiquiſſimæ membranæ *impertire* præſtent, ab his potius ſtandum iudicavit *Cortius*. Recte autem notatum eſt ab *Arn. Drackenborchio*, Viro Clariſſimo, ad *Livii Lib. XXXVIII cap. 36*, compoſita verbi *partiri* vel literam *a* ſervare, vel eius loco *e* adſciſcere ſolere; remque eandem, quam de verbo *impertire* notavimus, de alio *diſpartire* obſervare, ſi id nunc ageremus, liceret ex *Livii Lib. III cap. 10, Lib. XXII cap. 7*, & *Lib. XXIX cap. 1*, & ex *Lactantii de Opif. D. cap. 11*, ubi ex MSto Codice, quem *Lindenbrogius* contulit, *diſpartiret* legit *Gottl. Cortius* in *Nota ad Plinii l. c.* Idem *Cortius* inter verba huic ipſi *impartio* ſimillima vel maxime refert *adſpargere, refrangere, præfacere, digradi*, hæcque notiſſima dicit illis, qui veteres Codices tractarunt. Plura, ſi lubet, de voce *impartiri* pete ex *Dausqueii Orthograph. Part. II* Voc. *Impertiri.*

IMPERMUTABILIS. Cuius notæ vocabulum ſit, intelliges, Lector, cum, unum eo uſum *Caſſiodorum* dixero. Is in libri *de Amicitia cap. 22: Ipſe eſt ſabbatum animæ, quærentis eum; imperans diligentibus ſe tranquillum &* impermutabilem *Sabbatiſmum.* De ſignificatu vocis nihil

hil addo, qui legenti hunc locum unicuique patet.

IMPERPETUUM. Ab Adiectivo *imperpetuus*, quo *non perpetuus* notatur, & cuius indicium *Faber* facit, differt ipſa ſignificandi ratione Adverbium *imperpetuum*, idem, quod *perpetuo*, ſeu *in perpetuum tempus*, valens. Invenire hoc licet in duobus locis *Scribonii*: altero *Compoſ. med. cap.* 1 §. 11: *Capitis dolorem quemvis veterem & intolerabilem protinus tollit, &* imperpetuum *remediat torpedo viva nigra*, &c. Ita nempe exſcriptum eſt in editione *Io. Rhodii*, ſed qui emendandum hunc locum, & pro *imperpetuum* ſcribendum *in perpetuum*, putat, ob id inprimis, quod ita legatur apud *Marcellum*, quem conſtet *Scribonii* verbis frequenter pro ſuis uſum. Addit tamen *Rhodius*: *Latinam nihilo minus agnoſco vulgatam* Scribonii *vocem*, &c. Alter, voculam *imperpetuum* legendam nobis præbens, *Scribonii* locus eſt *cap.* 23 §. 102: *Quid dicam duritias, in mammis mulierum cum dolore conſiſtentes, quas nullum medicamentum levat, quemadmodum ex toto* imperpetuum *interdum ſanat?* Ita ex *Rhodiana* lectione, a qua recedere illam *Henr. Stephani* video, qui, vocem *imperpetuum* forte habens incognitam, ex una duas facit, *in perpetuum* legens. Idem vocabulum exſtare in *Apuleii de Viribus herbarum cap.* 1, *Rhodius* nos docet; ſed quem, parum abeſt, quin putem memoriæ lapſum. Mihi certe nihil tale, nec in *Capite primo*, nec in toto *Apuleii* libro, inveniре licuit. Fortaſſe autem nominare voluit *Rhodius Apuleii Librum tertium Floridorum*, in cuius

Capite 1 hæc leguntur: *Quippe ita inſtitui omne vitæ meæ tempus vobis probare, quibus me in* perpetuum *firmiter dedicavi.* Ubi, fieri potuit, ut in antiquis editionibus (mihi enim inſpectæ omnes *in perpetuum* habent,) pro *in perpetuum* exſcriptum *imperpetuum Rhodius* inveniret. Certiora autem huius vocis veſtigia ſunt in antiqua Inſcriptione Narbonenſi, quam ex *Pauli Rhamnuſii* avtographo exhibet *Iac. Phil. Tomaſinus* in libri *de Donariis ac tabellis votivis cap. 9 pag. 94* ed. Patav. Hanc integram damus:

T. STATILIO. TAVI
L. CASSIO. LONGINO
COS. XI. K. OCTOBR
NUMINI. AUGUSTI. VOTUM
SUSCEPTUM. A. PLEBE. NARBO
NENSIUM. IMPERPETUOM

Sed, neſcio qua de cauſa, mallet in hac etiam Inſcriptione *in perpetuum* legi *Rhodius*, marmorariorum veterum in ſcribendo inſcitiam cauſatus. At, ſi tali telo impugnandi aut vetuſtiſſima monumenta, aut quæ ſcripta leguntur in antiquis libris, venia detur, iam demum non video, quem nobis uſum præſtare ſive marmora antiqua, ſive vetuſtiores libri, poſſint, nec, quibus modis homines increduli ad credendum adduci poſſint, ſatis intelligo. Apud me tantum valet & marmoris huius, & duorum *Scribonii* locorum, ſcriptura, ut, niſi fortiſſimæ rationes proferri poſſint, vocabulum *imperpetuum* antiqui Latii finibus minime mihi videatur excludendum.

dum. Ceterum ab ipſo *Rhodio* notatum eſt, idem vocabulum recentiori ætate in uſu fuiſſe, eiusdemque veſtigium exſtare in *Friderici II*, Imperatoris, privilegio, civitati Patavinæ A. 1239 ad caſtrum exſtruendum conceſſo, & in *Caroli IV* privilegio, *Franciſco*, Duci Carraræ, A. 1363 Pragæ indulto.

INÆSTIMABILITER. Etiam a me non monitus, vocem hanc dignum *Caſſiodoro* fœtum iudicabis. In huius libri *de Amicitia cap. 18* hæc lego: *Sciendum, quod, quanto terra inferior eſt altitudine cæli, tanto elegantior, eminentior, & inæſtimabiliter dulcior, eſt amore proximi amor Dei.* Et alia in eiusdem libri *cap. 22: Attendito celſitudinem cæli, & magnitudinem firmamenti, & modicum in locis paluſtribus lutum: talis eſt, & adhuc inæſtimabiliter diſpar, comparatio tui ad eum,* &c. De ſignificatu vocis ſi requiras, idem eſt *inæſtimabiliter*, ac *ita, ut æſtimari non poſſit.*

INAURIO. *Lactantio* proprium vocabulum, cui idem eſt *inaurire*, ac *vim & facultatem audiendi tribuere.* Locus eſt in *Epitomes Inſtitutionum divinarum cap. 45: Ægros & vario morborum genere languentes non medela aliqua, ſed vi ac poteſtate verbi ſui, protinus roborabat, debiles reſanabat, claudos ad greſſum erigebat, cæcis viſum reſtituebat, mutis colloquium dabat, ſurdos* inauribat, *pollutos maculatosque purgabat, furiatis dæmonum incurſu mentem propriam reponebat, mortuos, aut iam ſepultos, ad vitam lucemque revocabat.* Hoc ſenſu vix apud ullum Scri-

ſtorum veterum reperias hanc vocem. *Hilario* enim, qui ea utitur in *Sermonis in Pſ. LIV fol.* 118 ed. Veron. recentiſſ. alio longe ſenſu *inaurire* idem eſt, quod *auribus percipere*. Verba hæc ſunt: *Non cuiuscunque eſt innocentiæ, id poſtulare, ut orationem ſuam Deus* inauriat. Ita commentatur *Hilarius* ad iſta *Pſalmi*: Inaurire *Deus orationem meam*: *ut* inauriatur *oratio*. Sintne igitur recte hæc *Hilarii* verba a *Daviſio* ad illuſtrandum *Lactantii* locum allata, item an recte is coniecerit, vocem hanc *Lactantio* ex Italica Bibliorum interpretatione petitam, ipſi iudicent Lectores. Neque etiam referri huc poſſunt *animalia inaurita Gellii Lib. VII Noct. Att. cap. 6*, cui *inauritum* eſt illud, quod *caret auribus*, ſi quidem ſana eſt hæc lectio, nec potius cum *Mercero* & *Gronovio*, *Nonii* auctoritate utentibus, *inaudita* legendum. *Heumanni*, Cel. Viri, ad *l. c. Lactantii* hæc eſt ſententia, peregrinum eſſe, & fortaſſe Afrum, vocabulum; faceturque idem, non id loco alio ſibi occurrere. Nec, præter unum hunc locum, uſquam alibi ipſe hac voce *Lactantius* utitur, qui rem eandem *Lib. IV Inſt. cap.* 15 formula, *ſurdorum patefactis auribus inſinuare auditum*, & *eiuſd. Lib. cap.* 26 alia, *patefacere aures ſurdorum*, expreſſit.. Similiter pro *inaurire Arnobius Lib. I pag.* 31 *ſurdorum auriculas reſerare*, & *Prudentius Periſteph.* 10, 654, *ſurdis reddere audientiam*, dixit. Collegit has formulas, huncque *Lactantii* locum, ut alia eiusdem Auctoris multa, doctiſſime illuſtravit, præſtantiſſimus Lycei Hannoverani

moderator,

moderator, *Io. Ludolphus Bünemannus*, de quo vere dici poteſt, ita de *Lactantio* præclare meritum, ſicut optandum eſſet, ut de ceteris, quicunque exſtant, vetuſtioris ætatis Auctoribus doctiſſimi quique viri mererentur.

INCENTIVUM. *Caſſiodoro* res, aut argumenta, quæ *incendunt*, aut *excitant*, *amorem*, *iram*, &c. *incentiva* dicuntur variis in locis, quorum tria ex libro *de Amicitia* expromam. Primus eſt ex *cap.* 21: *Quid, quæſo, deſiderabilius, quid tranquillius, quam ſuam ſic animam ſtabilire, ut nullis motibus carnalis concupiſcentiæ agitetur, extraordinarii appetitus* incentiva *non ſentiat*; &c. alter ex *cap.* 37: *Et notandum, quod amor quibusdam velut* incentivis *excitatur ad deſiderium, vel actum, quæ curſum amoris diripiunt*; &c. tertius ex *cap.* 43: *Quia duo quaſi amoris incentiva & curricula diligendi poſuimus, affectum ſcilicet & rationem*, &c.

INCORRIGIBILIS. Qui corrigi non poteſt, *incorrigibilis* eidem, quem modo nominavi, *Caſſiodoro* dicitur. Habes vocem in huius *de Amicitia* libro *cap.* 13: *Hi ſalutaribus monitis ſunt curandi, qui ſe* incorrigibiles *præbuerint. Non ſtatim rumpenda eſt amicitia.* Ita exhibent verba ediones omnes, quantumvis pugnare hæc videantur, *curari*, & *incorrigibilem eſſe*. Rectiorem autem ſenſum verba, ita ex *Petro Bleſenſi*, notiſſimo *Caſſiodori* imitatore, emendata, dabunt: *Hi ſalutaribus monitis ſunt curandi. Qui ſi ſe* incorrigibiles *præbuerint, non ſtatim rumpenda eſt amicitia*, &c.

INCREBESCO. Multis rationibus probatum ivit *Paulus Manutius* ad *Ciceronis Lib. VII ad Diverſ. Ep. 20*, non *increbreſcere*, ſed *increbeſcere*, ſcribendum. Quæ rationes, etſi eo adduxerint *Grævium* & *Nic. Heinſium*, ut alter in *Cicerone*, alter in *Marone*, ubique *increbeſcere*, nunquam *increbreſcere*, exſcribendum curaret, non tamen apud me tantum valent, ut, incognitum prorſus antiquis fuiſſe *increbreſcere*, mihi perſuadeam. Repugnant enim MSti libri, in quibus frequentiſſime legi *increbreſcere*, teſtibus fide digniſſimis credendum eſt. Mihi hoc in loco ſufficere id unum poteſt, ſi, præter *increbreſcere*, in uſu olim fuiſſe *increbeſcere*, appareat. Ignorat enim hanc formam *Faber* meus, uni *increbreſco* in Lexico ſuo locum concedens. Nimirum in duobus *Valerii Maximi* locis probatiſſimi Codices habent *increbeſcere*, etſi non deſint alii, in quibus voci huic additum elementum *r* invenias. Alter locus eſt *Lib. III cap. 7 §. 3: Annonæ caritate* increbeſcente, *C. Curiatius, tribunus plebis, productos in concionem Coſſ. compellebat*, &c. ubi ſic, ut dedi, exſcriptum eſt verbum a *Torrenio*, trium Codicum fidem teſtante; alter *Lib. V cap. 7 Ext. §. 1: Iuxta enim Antiochum ſedens, ut eum ad introitum Stratonices rubore perfundi, & ſpiritu* increbeſcere, - - - *animadvertit*, &c. quo tamen in loco, miror, a *Torrenio* legi *increbreſcere*, cum ipſe in Nota, complures libros ſcriptos exhibere *increbeſcere*, nos doceat. Plura huius orthographiæ exempla paſſim in Auctorum veterum

libris

libris MStis obveniunt; quorum ex parte indicium fecit *Drackenborchius*, Vir Clariſſimus, in Nota ad *Silii. Lib. X v. 1*, rem eandem de verbo *percrebeſcere* & notans, & exemplis firmans. Fortaſſe igitur non fallar coniectura, ſi, Præteritum *increbui* non eſſe, quod *Faber* docet, ab *increbreſco*, ſed ab *increbeſco*, ab altero autem *increbreſco* formari *increbrui*, quod ipſum haud raro exhibent libri MSti, mihi perſuadeam.

INDECLINABILITER. A *Caſſiodoro* uſurpata vocula, huic Scriptori notans *ita, ut declinari non poſſit*. Verba habes in libri *de Amicitia cap. 22: Summe & æterna eſt ſcientia, æternus Deus, nullius indigens, plene ſibi ſufficiens, in ſua tranquilliſſima caritate* indeclinabiliter *& immutabiliter manens.*

INFLUVIUM. Si qua fides libris MStis habenda, voce hac uſus putari debet *Velleius Paterculus Hiſt. Rom. Lib. II cap. 120*, ubi hæc leguntur: *Cum in captivos ſæviretur a Germanis, præclari facinoris auctor fuit Caldus Cælius, vetuſtate familiæ ſuæ digniſſimus; qui complexus catenarum, quibus vinctus erat, ſeriem, ita illas illiſit capiti ſuo, ut protinus pariter ſanguinis cerebrique* influvio *exſpiraret.* Ita nempe exſcriptum eſſe in libro MSto, unde dimanarint cetera omnia exemplaria, *Gruterus, Rhenanus, Voſſius, & Nic. Heinſius*, teſtantur. Et ſic etiam legi in editione veteri, *Raphelengius* nos docet; nec aliter expreſſa dedit verba hæc *Burmannus*, incorruptam hanc librorum vete-

rum lectionem ineptiis quorundam Criticorum iure præferens. Fuerunt enim, nec ii numero pauci, qui, voci ſibi ignotæ concedendum in Latio locum negantes, illud *influvio* temere in *profluvio* transmutarent, *Velleium* nobis talem, qualem ipſi vellent, non qualis re ipſa fuit, exhibentes. Migravit igitur hoc ipſum *profluvio* in plurimas editiones, etiam Oxonienſem *Hearnii*, ſed qui in Notis, non ignorare ſe, fatetur, *influvio* in libris MStis legi. *Lipſio* autem, & poſt hunc *Nicolao Heinſio*, in mentem venit, pro *influvio* legi *effluvio* debere. Et *Heinſius* quidem, neſcio quam recte, huc trahit illud *lacus effluvium* in *Taciti Annal. Lib. XII cap. 57*, & verſum *Lucani Lib. VIII:*

> *Submota eſt capiti tabes, raptoque cerebro*
> *Adſiccata cutis putrisque* effluxit *ab alto*
> *Humor, & infuſo facies ſolidata veneno eſt.*

Idem, ut probabilem reddat hanc emendationem, *in* & *e* in membranis *Velleii* frequenter inter ſe confundi, obſervat. Sed, hoc ipſum, nollem, intelligere nos iuſſiſſet ex dubio illo *Velleii* loco *Lib. II cap. 33: Tigranen, Regum maximum, in Armenia vicerat, ultimamque bello manum pene magis noluerat imponere, quam non potuerat, qui alioqui per omnia laudabilis, & bello pene invictus, pecuniæ expellebatur cupidine;* ubi, ut hoc taceam, alios aliter legere, nec inepte *Lipſium* coniicere legendum *debellabatur*, aut *Burmannum expugnabatur*, referentem hoc commode ad *invictus*, & eandem verbi vim

vim agnoſcentem in verſu *Propertii III, 11, 9*:

Hac etiam clauſas expugnant *arma pudicas*,

ſi vel admittendum putetur *expellebatur*, facilius creditu eſt, a *Velleio*, non utique caſtiſſimo ſcriptore, *expellere* pro *impellere* uſurpatum, quam a librario, inuſitatiſſima ratione, *ex* pro *in* exſcriptum. Hoc ipſum igitur, quod *in* pro *e* exſcriptum ſit in *Velleii* membranis, vellem, aliis, iisque clarioribus, locis oſtendiſſet nobis *Heinſius*, ut ſic, ea de re dubitandi, iis ipſis, qui veteres libros frequenter manibus verſare ſolent, nec tale quid obſervatum ſibi unquam meminerunt, omnis materia præriperetur. Adhuc mihi non videtur reiicienda vox *influvium*, etiamſi uni uſurpata *Paterculo*, in hac formanda rationem habenti ſimilium vocum, *inſervire*, *ingemiſcere*, *ingraveſcere*, *inflammare*, & *infringere*, in quibus particula *in* auget ſignificationem verbi, cui adiuncta eſt. Ipſi *Paterculo* non inuſitata ſunt huius generis vocabula: ut *ingraveſco Lib. II cap. 123*, *incrementum Lib. II cap. 51* & *109*, *infractus Lib. II cap. 37* & *39*. Eodem modo *influvium* dicere potuit *Velleius* pro *fluxu vehementi* & *inſolito*. Nec difficile aſſenſum præbeas *Voſſio*, cui *influvium* hoc *Velleii* idem eſſe videtur, quod *influxio Cœlii Aureliani*, Medici veteris, *Lib. II cap. 27*: *Ea*, *quæ* influxione *ſui*, *quam Græci aporrhœam vocant*, *ſpirationem facilem ægrotantibus facere valent*. Sed, hic etiam, ſunt, qui *effluxione* legant, quos minime putat audiendos *Voſſius*. Is igitur affir-

mare non dubitat, *influvium* Velleio, & *influxionem* Aureliano, eſſe *fluorem corporis*, ſive *αἱμόῤῥοιαν*. Ceterum de ipſa vocis forma hoc notamus, eandem eſſe, quam habet ſimilis *impluvium*, in Auctoribus antiquis paſſim obvia, ſed cuius eſſe aliam longe, ac alterius *influvium*, ſignificandi rationem, probe ſcio.

INIMICA. Scire velim, quæ cauſa fuerit *Fabro*, cur, inter Subſtantiva locum concedendum voci *amica*, excludendam horum numero alteram *inimica*, duxerit. Eſt enim natura & ratio utriusque vocis eadem, ſive formam & compoſitionem, ſive uſum Auctorum, ſpectes. De forma, nihil eſt, quod docere debeam lectores, quorum vix unus neſcit, nullam communiorem Subſtantivis formam eſſe, quam quæ eſt in his, quas dixi, vocibus, nec ita ſimile ovum ovo eſſe, ſicut vocabulum *amica* alteri *inimica* eſt. De uſu autem ſi quis dubitet, is deſinet dubitare tum, cum exempla attulero, in quibus aut abſolute *inimica* pro *hoſte* uſurpetur, aut huic voci aliud Subſtantivum caſu gignendi ſit conjunctum. Et abſolute quidem poſitum *inimica* vides ab *Ovidio Metam. Lib. IX v. 547*:

> *Elige, utrum facias. Non hoc* inimica *precatur*:
> *Sed quæ, cum tibi ſit iunctiſſima, iunctior eſſe*
> *Expetit*, &c.

item a *Plauto* in *Pœn. I, 2, 181*:

> *Obſecro hercle te, voluptas huius, atque odium meum!*

Huius

Huius amica *mammeata, mea* inimica *&* *malevola!*

& ab Auctore antiquo *Argumentorum, Fabulis Ovid.* præmiſſorum, in *Arg. Fab. X Lib. XIV:* - - *negante eo, eo quod pro Ænea adverſus Venerem ſtetiſſet, a ſe vulneratam* inimicam *haberet.* Iam vero etiam huic nomini iunctum, idque gignendi caſu, Subſtantivum habes in verſu *Senecæ Troad. III, 827:*

Olenos tectis habitata raris?
Virginis *Pleuron* inimica divæ?

& in illis inprimis *Tullii*, quæ mihi plurimum habere ponderis videntur, *de Off. Lib. III cap. 33: Eſt enim temperantia* libidinum inimica; *libidines autem conſectatrices voluptatis.* In quibus locis ſi *inimica* vim habere adiectivi contendis, iam tibi hoc probandi, non dativo tantum, ſed genitivo etiam, caſu adiectivum nomen *inimicus* Auctoribus antiquis iunctum, neceſſitatem impono. Mihi ſufficit, notas eas omnes, unde intelligere Subſtantivum licet, manifeſtas in voce *inimica* eſſe.

INOLETUS, *a, um.* *Caſſiodoro*, neſcio, an uni, uſurpata vox, *inoletam conſuetudinem* pro *inveterata* dicenti in libri *de Amicitia cap. 21 §. 19: Addicti Babylonica ſervituti, vitium* inoletæ conſuetudinis *non poſſunt dediſcere, nec intelligunt, hæc de morbo proprio, non de iugo vel onere domini, provenire.* Formam ab *exoletus, obſoletus,* nihil hæc vox diverſum habet, cognata verbo *inoleſco*, quod proprium eſt iis rebus, quæ totæ

odore

odore infectæ ſunt, poſtea autem ad res, quæcunque *ſuccreſcunt*, tranſiit. Eſt igitur ipſum etiam *inoletus* proprio ſignificatu id, per quod totum odor ſparſus eſt; translato autem, quod *ſuccrevit; aut inveteravit prorſus.* Multa lectu digna, ſed quæ hic repeti non eſt opus, de hac æque ac de ceteris, ab *oleo* ductis, vocibus attulit *Io. Bern. Zinzerlingus* in *Indice*, ſuæ libri *Caſſiodoriani de Amicitia* editioni ſubiuncto, Voc. *Inoletus.* His lectis, probabis ingenium & doctrinam Auctoris, in explicandis harum vocum ſignificationibus inprimis accurati, etſi a vulgari ratione alienioris.

INSENSIBILITER. Cuius pretii vocula ſit, ſcies, Lector, cum, unum ea uſum *Caſſiodorum*, didiceris. Huius in libri *de Amicitia cap. 54 §. 5* verba hæc ſunt: *Conſultius ergo eſt, inſpecta ætate, vel ſexu, ſinus propriæ mentis provida circumſpectione claudatur, ne ad verba familiaritatis, & inania blandimenta, permittantur diffluere; nam in quantumlibet perfectis & ſanctis unus affectus in alium, & ſubito* inſenſibiliter; *atque tam pernicioſe, quam prodigioſe, mutatur.* Melioris ætatis Auctores pro *inſenſibiliter* dixiſſent *ita, ut ſentiri non poſſit. Caſſiodoro* idem eſt *inſenſibiliter*, quod Græcis ἀναισθήτως, ut notat *I. B. Zinzerlingus* in *Indice vocum libri Caſſiodoriani*, modo dicti, Voc. *Inſenſibiliter.*

INSULANUS, *Subſt.* Ortu Adiectivum eſt hoc nomen, ſed, ut ſæpe fit, uſu ad Subſtantiva tranſiit. Certe, horum numero excludi eam,

non

non patitur locus *Tullii Lib. III de Nat. De. cap. 18: Itaque Achillem Aſtypalaenſes* inſulani *ſanctiſſime colunt.* Sic *Daviſius* legit, caſtigatiſſimos Codices duos, Regium & Cantabrigienſem, ſecutus. Alii, & in his *Verburgius*, ita legunt: *Achillem* Aſtypalenſes inſulani *ſanctiſſimum colunt.* In qua lectione illud inprimis offendit *Daviſium*, quod *Aſtypalenſes* dicantur, qui *Aſtypalaenſes* dicendi ſint. Eſſe enim illius inſulæ nomen *Aſtypalaea*, non *Aſtypala*, multis, ait, exemplis conſtare, diligenter collectis a *Rich. Bentleio* in Diſſ. *de Phalaride pag. 326.* Antiquiſſimæ editiones ita habent: *Achillem* Aſtypalæa inſula ſanctiſſimum *colit;* idque recepta *Verburgii* & aliorum lectione melius eſſe, judicat *Daviſius*, ſi modo fide MStorum nitatur, & cum *Lambino* reponatur *ſanctiſſime.* In uno Codice antiquo exſcriptum eſt: *Aſtypaliſenſe inſula;* in duobus aliis: *Aſtiphaliſſe inſula;* unde *Iacobo Gronovio* ſubnata eſt coniectura, legendum eſſe *Aſtypaleis de inſula.* Sed *Gronovii* in eo imperitiam notat *Daviſius*, ignorantis quippe, Ἀςυπαλαιεῖς, non Ἀςυπαλεῖς, illius inſulæ cives Auctoribus antiquis vocari. Profert eam in rem *Daviſius* notum illud de *Cleomede* reſponſum:

Ὕςατος ἡρώων Κλεομήδης Ἀςυπαλαιεύς;

plura nos petere iubens ex Lexico *Henr. Stephani* Voc. Ἀςυπάλαια. Si veterum librorum habendam rationem putes, facile ceteris omnibus præferas *Daviſianam* lectionem, quæ ſenſum verborum ſatis & commodum & probabilem præbet. Habet igitur hic *inſulanus* naturam

Subſtantivi,

Subſtantivi, nec moneri hic quemquam opus eſt, *Aſtypalaeenſes inſulanos* ipſos inſulæ Aſtypalææ cives eſſe. Formam in hac voce eandem agnoſcis, quam in *paganus*, *oppidanus*, *vicanus*, quæ origine ſua Adiectiva ſunt, ſed interdum etiam naturam & poteſtatem Subſtantivi habent.

INTERAESTIMATIO. Compoſiti *interæſtimatio* vis eſt, quæ ſimplicis *æſtimatio*, prorſus eadem. Non incognitum veteri Latio vocabulum eſt, quippe a *Pomponio*, Seculi P. C. N. ſecundi ICto, uſurpatum *Lib. XVII Epiſtolarum*, unde excerpta hæc leguntur in *l. pen. ff. de Ædilit. Edicto: Labeo ſcribit, ſi uno pretio plures ſervos emiſti, & de uno agere velis,* interæſtimationem *ſervorum proinde fieri debere, atque (ut) fieret in æſtimationem bonitatis agri, cum ob evictam partem fundi agatur.* Docte, ut ſolet, explicat & illuſtrat hanc legem *Iac. Cuiacius* in *Obſervat. Iuris Lib. XVI cap.* 4, quem, ſi opus hic magiſtro putas, lege. Sed facile, etiam qui parum acuti ſunt, intelligent, hunc legis, quam dedi, ſenſum eſſe, ſi plures ſervi uno pretio ſint emti, poſtea autem, ut de uno horum ſervorum evictionem præſtet venditor, agere iudicio velis, æſtimationem fieri ſervorum, non omnium, ſed ſingulorum, debere, ut de bonitate eius ſervi, de quo evictio præſtanda eſt, quique plus aut minus valere ceteris poteſt, inprimis conſtet. Eadem ratio eſt, ex eiusdem legis mente, evictæ partis agri, quæ æſtimanda eſt ex bonitate ſua, non ex pretio,

quo

quo ager totus fuerat redemtus. Ubi, miror, neminem adhuc interpretum hæſiſſe in verbis legis: *atque fieret in aſtimationem bonitatis agri,* quorum ſi quis mihi rationem grammaticam explicare ſciat, næ eum dicam me ipſo, aut quo non alio? plus videre. Mihi ita legenda videntur: *atque fleri* (ſc. *debere*) *interaſtimationem bonitatis agri*, &c. Poſtulat enim hanc verborum ſeriem ipſa ratio legis, hoc iubentis, debere interæſtimationem agri fieri, hoc eſt, æſtimari agrum, ex bonitate ſua, non ex pretio, quo venierat. Et veriſimile eſt, hoc in loco eadem voce uſum *Pomponium*, qua rem eandem paulo ante expreſſerat. De ipſa voce *interaſtimatio* hoc addo, ortam eſſe ex verbo *interaſtimare*, vim habente ſimplicis *aſtimare*, &; ſi non alii Scriptorum veterum, ſaltem *Seneca*, uſurpato, cuius hæc verba, non addito *Libri*, aut *Capitis*, indicio, *Cuiacius* l. c. adducit: *Quid prodeſt*, interæſtimata *habere omnia, ſi ſis impetu nimius?* Quod vero *Iac. Gothofredus* in Notis ad hanc legem, *interaſtimationem* idem eſſe, ac *pretium*, aut *interpretium*, (hac enim voce ipſum *pretium* notatur *Caſſiodoro Variar. Ep.* 26,) lectoribus perſuaſum ivit, in eo ne aſſenſum Viro alioquin doctiſſimo præbeam, illud me movet, quod multum inter ſe differant æſtimatio pretii & ipſum pretium, & ex ipſa lege intelligi poſſit, non hic de pretio, quod æſtimatum eſt, ſed de eius tantum æſtimatione, agi, quæ niſi præcedat, pretium ipſum definiri nunquam poteſt. Forma autem & ſignificatione

tione nihil diſcrepare *interæſtimationem* ab *interpretio*, haud invitus agnoſco.

INTEREMTUS, *Subſt.* Rarioris & formæ, & uſus, vocabulum, cuius vix veſtigium invenire liceat, niſi in verbis his Auctoris vetuſti *Argumentorum, Fabulis Ovidianis* præmiſſorum, *Arg. Fab. XI: Incidit in conſpectum Heſperies nymphæ; cuius captus pulchritudine, dum fugientem perſequitur, cauſa* interemtus *exſtitit.* Sana eſt & incorrupta lectio, nec quidquam hic diſcrepant MSti Codices, niſi quod in nonnullis exſcriptum ſit *interemtus eius*, quod nihil ad rem facit. Ceterum, voce *interemtus* hic notari *cædem*, ne quidem doceri opus eſt Lectorem.

INTIMEO. Careat, per me licet, in poſterum etiam civitate Romana hoc vocabulum; ſed hoc tamen non indignum mihi notatu videtur, *intimuit* pro *extimuit* ex duobus Palatinis Codicibus legere *Ianum Gebhardum* in duobus *Ovidii* locis: altero *Met. II v. 563:*

Immotosque oculos in ſe ſine fine tenentem
Neſcius intimuit: &c.

altero *Met. VIII, 605:*

Intimuit *Nymphe: nabat tamen.* &c.

Sed in utroque loco vulgo legitur *extimuit*, in ipſa etiam *Burmanni* editione, qui ita in Notis: *Certiore opus eſt auctoritate, ut recipiatur hoc verbum in civitatem Romanam.* Nihil reclamo; modo hoc mihi detur, in ipſa forma vocis nihil maculæ ineſſe, nec minus *intimere*

poſſe

poſſe pro *valde timere* uſurpari, quam *infringere* pro *valde frangere*, *inclamare* pro *valde clamare*, *increpare* pro *vehementer crepare*; quibus addi plures aliæ poſſunt, in quibus adiunctum *in* verbi ſimplicis ſignificatum auget. De his nonnihil a me dictum ſupra Voc. *Influvium* meminiſti. Quæ a *Iano Gebhardo* de voce hac notata ſunt, leguntur in eius *Crepund. iuven. Lib. II cap. 5.*

ISIS. Hoc nomine inſignitum antiquis fuit emplaſtri quoddam genus, ſingularem ad medendum variis corporis morbis vim habens. Id & nominari, & ampliſſime deſcribi, video a *Scribonio Largo* in *Compoſ. med. Cap. 74 Comp. 206*, quem locum, ſi quis hoc emplaſtrum propius cognoſcere cupiat, is integrum inſpiciat. Inde, ne de nomine dubites, vel pauca hæc transſcribo: *Emplaſtrum viride, quod ſui generis, meo iudicio, ſuperat omnia, vocatur* Iſis. Nullum eſt dubium, ita honoris ergo vocatum hoc emplaſtrum ab *Iſide*, Ægyptiorum Dea, quam Medicinæ & Medicorum præſidem veteres credidere. Satis enim vel tironibus eſt notum, huic Deæ olim, qui ex morbis convaluerant, grati animi teſtandi cauſa votivas tabulas ſuſpendiſſe, aut aliis monumentis reſtitutæ valetudinis memoriam conſecraſſe. Memorabilis hanc in rem *Tibulli* verſus eſt *Lib. I Eleg. 3 v. 23*:

Quid tua nunc Iſis mihi, Delia: quid mihi proſunt
Illa tua toties æra repulſa manu?

- - - - - - - - - - - - -

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi. Nam poſſe mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.

Quem locum variis exquiſitæ eruditionis floribus conſpergit doctiſſimus *Tibulli* Commentator, *Ianus Broekhuſius*, adductis ſimul tribus Inſcriptionibus antiquis, in quibus *Iſidi* pro ſalute filiorum vota nuncupantur. Alium inprimis verſum *Sat. XII*, 23:

- - *Pictores quis neſcit ab* Iſide *paſci?*

huc trahit *Io. Rhodius* in *Nota ad l. c. Scribonii*, & *Gonſalius de Salas in Petron. pag.* 46; ſed vix, ad medicinam hæc pertinere, ſibi perſuaſerit, qui ipſam verborum *Iuvenalis* ſeriem inſpexerit, unde hoc patet, non de ægrotis, aut ſanitati reſtitutis, ſed de naufragis, aut qui ex naufragio ſalvi domum redierant, & hoc nomine pictas tabulas *Iſidi* ſuſpenderant, ſermonem *Iuvenali* eſſe. Video hoc ante me a *Brœkhuſio l. c.* adverſus *Gonſalium* notatum. Ceterum, quod emplaſtrum illud, cui iam dixi *Iſidis* nomen datum, *ſacrum* etiam appellatum ab antiquis fuit, id magis ideo factum puto, quod *Iſidi*, Deæ, ſacrum habitum fuit, quam quod ex ſacris Ægypti locis, ut docet *Galenus de Comp. med. per gen. Lib. II cap.* 12, allatum fuerit.

VI.

C. A. H.

APPENDICULA AD TOMI I NOV. MISC. LIPS. OPS. V. PAG. 310.

Obſervationis XV, quæ eſt *de vita, morte, & ſcriptis Hug. Grotii*, Auctorem eſſe IO. GERHARD. MEUSCHENIUM, qui nuper exſtinctus eſt Ducatus Coburgenſis Superintendens generalis, teſtis eſt *Catalogus ſcriptorum eius*, anni huius 1744 menſe Ianuario adiunctus Programmati, quo funus eius indixit Director Coburgenſis Gymnaſii.

INDEX

INDEX DISSERTATIONUM, QUÆ VOLUMINIS SECUNDI PARTE QUARTA CONTINENTUR.

I. IO. DIETERICI WINCKLERI de egregiis quibusdam gentilium Scriptorum teſtimoniis, varias religionis Chriſtianæ veritates ex Theologia, tam dogmatica, quam morali, confirmantibus, Ἐπίμετρον. Pag. 561 - 611.

II. PETRI ZORNII Diſſertatio de פחד יצחק, ſive timore Iſaaci, ad *Geneſ. XXI, 42, 53.* Pag. 611 - 613.

III. IO. CHRIST. HARENBERGII Obſervatio critica de כנים inſectis, Ægyptum infeſtantibus, ad *Exod. VIII, 21, 22, 29.* Pag. 617 - 620.

IV. CHRISTOPHORI SAXII Ἐπίχειρσις Φιλολογικὴ, ſive Stricturæ, in nuperum Franci cuiusdam libellum de incerto Hiſtoriæ Romanorum antiquiſſimæ. *Sectio II* continuata. Pag. 620 - 712.

V. FRIDER. OTTONIS MENCKENII Voces aliquot Latinæ, quæ in Lexicis vulgaribus fruſtra quæruntur, ex priſcis Auctoribus collectæ. *Pars II*, iterum continuata. Pag. 712 - 735.

VI. C. A. H. Appendicula ad Tom. I Nov. Miſc. Lipſ. Obſ. V pag 310. Pag. 735.

INDEX I.

DICTORUM SCRIPTURÆ SACRÆ, IN HOC VOLUMINE EXPLICATORUM, AUT ILLUSTRATORUM.

Gen. I, 20 — 56
29, 32 — 81
II, 25 — 88. 90
III, 1 — 88
19 — 597
20 — 89
V, 22 — 612
VI, 9 — ibid.
XXIV, 67 — 198
XXVI, 25, 28 — 613
XXXI, 42, 53 — 612
XXXII, 9 — 612
XXXIII, 17 — 194
XXXV, 27 — 613
XLVIII, 15, 16 — ibid.
Exod. VIII, 21. — 617, 619
22, 29 — 617
X, 17 — 83
XIII, 6 — 403
17 — 98
18 — 403
XX, 20 — 612
XXIII, 25 — 10
XXIX, 38 — 3
XXX, 23 — 186
Levit. I, 2 — 13
XIII, 12, 13 — 192
XIX, 26 — 68
XXIII, 7 — 406
15, 16 — 408
Num. I, — 202
XI, 4 — 388
XXIV, 1 — 68
17, 19 — 202
Deut. XVI, 8 — 403
XVIII, 10 — 68
XXXI, 36 — 192
XXXII, 15 — 612
21 — 44
Iudic. I, 19 — 98
XX, 16 — 97
Ruth II, 14 — 198
1 *Sam.* V, 6, 9, 12 — 107
VI, 5 — ibid.
XIII, 19 — 98
XX, 36 — ibid.
XXIII, 26, 27 — 76
XXVI, — 77
XXX, 14. — 96, 98, 101
16 — 101
2 *Sam.* I, 18 — 97
VIII, 18. — 96, 99
1 *Reg.* I, 38 — 96
XIII, 4 — 54
5 — 98
6 — 77
XVIII, 26 — 7
XXII, 34 — 97
XXX, 14, 16 — 95
2 *Reg.* III, 20 — 5
25 — 97
VIII, 18 — 96
XVII, 17 — 68
XXI, 6 — ibid

3 *Reg.*

3 *Reg.* I, 38	96
1 *Par.* XIV, 15	185
XVIII, 17	96
2 *Par.* XXXIII, 36	68
Neh. VI, 2	56
Eſth. IV, 4	187
Iob. IX, 8, 10	393
XL, 19	186
Pſ. VII, 12, 14,	80
XVI,	93
XIX, 14	76
XXXII, 1	320
6.	7, 394
XXXIII, 18, 20,	76
XXXIV, 20	ibid.
XLVI, 4, 5,	394
LXV, 7, 8,	ibid.
LXX, 12	612
LXXX, 9, 10,	393
LXXXI, 13	54
LXXXVII,	607 a.
LXXXIX, 10	394
52, 53,	193
CX, 2	58
9	186
CXIV, 1	196
CXV, 1	ibid.
CXVI, 4	197
9	196
CXVIII, 24	4
CXXIV, 4, 5,	394
CXXXV, 6	393
CXLI, 5	186
Prov. VIII, 23 ſeq.	58
XXX, 19	394
Eccleſ. I, 19	11
VII, 26	38
XII, 13, 14,	ibid.
Cant. IV, 14,	186
Eſ. I, 21	7
V, 3, 6,	56
VIII, 19, 20	204
21	191
XIII, 8	187
XLII, 22, 25,	80
XLIII, 13	57
LI, 20	185
LIII,	93, 198, 200, 202
4	199
5	198
LV, 6	7
LXVI, 7, 9,	182
21	12
Ier. II, 19	185
XXII, 6	ibid.
XXX,	195
6, 7,	107
XXXIII, 11	12
Ezech. VII, 13	89
XVI, 25, 31,	185
XXI, 24	ibid.
XXV, 16	96
XXVII, 22	186
XXX, 4, 16,	187
XXXIII, 11, 12,	320
XLII, 12	185
Dan. IX, 21, 24, 26, 27.	3, 5
XI, 35	184
Hoſ. II, 21	319
IV, 16, 17	56

VI, 7 82
Amos IV, 7 190
VI, 6 187
VIII, 11 191
IX, 11. 188, 194
Mich. VII, 18, 19. 320
Nah III, 10 185
Zephan. II, 5 96, 97
Hagg. II, 6, 7, 185
Zach. IX, 9 200
Sirac. XI, 3 187
Matth. I, 1 202
V, 611
VI, 213, 611
VIII, 12 616
17 199
22 373
24 385
IX, 6 200
X, 34 193
35 188
XII, 20 389
XIV, 3 395
28 383
XVII, 17 385
XVIII, 10 62
XIX, 17 207
XXI, 13 190
XXII, 23 14
XXIII, 34, 38. 56
XXV, 8, 9, 185
XXVI, 17, 19, 396
XXVII, 46, 50, 8
Marc. IX, 18 ſeq. 69
XIII, 7 193
8. 185, 186
9 ſeq. 182, 185, 186
XIV, 12 395
14, 16 396
26 196
XV, 25 8
34 3, 8
35 3
42 402, 403
XVI, 1 406
Luc. I, 8, 9 4
10 11
74 614
II, 13 63
V, 36 203
VI, 21 191
X, 16, 17, 67
18. 67, 69
XV, 24, 32 373
XXII, 1 351
7, 12 396
14 397, 401
XXIII, 9 17
Io. IV, 48 389
VIII, 44. 61, 64
IX, 3 55
X, 22 29
XIII, 1 403
30 ſeq. 398
XIV, XV, ibid.
XVII, ibid.
24 58
XVIII, 1 398
28 400
XIX, 12 54
14 8, 401
15 403
31. 401, 402, 405
37 201
42. 401, 403

XX, 6

XX, 6	389
XXI, 6	385
7	391
Act. II, 1	408
5	616
III, 1	11
12	390
VIII, 2	616
IX, 31	612
X, 2	616
38	69
XII, 3	351
XIII, 16	26
43, 50,	616
XIV, 16	54
XVI, 14	616
XVII, 28	589
XXIV, 8	14
Rom. I, 24	56
II, 1	381
15.	581, 607.
V, 12	91
14, 19,	ibid.
15 ſeq.	93
VI, 4	374
13	ibid.
VIII, 6	83
10	379
11	375
13,	375, 379
15	615
19, 22,	182
XI, 15	375
1 *Cor.* V, 7	351
9	197
VIII, 4	44
1 *Cor.* X, 13	54
19	44
XV, 22, 45, 48, 49.	91
54	67
2 *Cor.* IV, 10, 11.	375, 379
16	379
V, 10	373
21	93
XII, 7	55
9	375
Gal. II, 20	381
III, 13	95
20	207
28	319
V, 24	374
Eph. I, 4	58
II, 1, 5,	376
V, 14	374
31	319
Col. II, 8	569
13	379
III, 3,	375, 379
5	377
2 *Theſſ.* I, 6	47
II, 11, 54	56
1 *Tim.* V, 6	382
21	62
2 *Tim.* II, 5	53
15	47
Tit. I, 2	47
12	574
2 *Petr.* I, 4	62
1 *Io.* III, 8	67
14	374
Hebr. II, 7, 8,	218
9	93
14	67

III, 14	94	VIII, 8	394
VI, I,	381	9	393
10	47	XII, 9	67
IX, 14.	375	XIII, 1	394
XI, 13	613	XVI, 3	ibid.
Iac. II, 26	373	XVIII, 17	393
Iud. v. 6	61	XX, 2	67
Apoc. II, 10	53	XXI, 2, 19,	319
III, 1	375	XXII, 17	ibid.

INDEX II,
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Accedenter, vocula, apud Caſſiodorum obvia 325
Acta Romanorum veterum publica deſcripta 636 ſq.
Actum, Subſtantivum Tullianum 326
Adacquiſitivus, Caſſiodoro uſurpatum vocabulum 327
Adami lapſus, a variorum dubiis vindicatus 90 ſq.
Adminatio, vox Caſſiodoro reſtituta 327
Advocata, Subſtantivum, vulgo incognitum 329
Ægyptum quæ olim inſecta infeſtarint 617 ſq.
Æolis, vocabulum Ovidianum 129
Ætolis, vox Ovidio uſurpata 130
Alarius, nomen Subſtantivis aggregandum 330
Aliusvis, vox Tullio vindicata 331
Almelovenii (Th. Ianſ.) Amœnitatum theologico-philologicarum varia loca, critice expenſa 446 ſq.
Amarynthis, vocabulum Livianum 130 ſq.
Ambiguoſus, Caſſiodori vocabulum 333
Amicabiliter, vocula, apud Caſſiodorum obvia 334
Anapæſtus, adiectivum nomen 334 ſq.
Ancillatus, Caſſiodori vocabulum 336
Andronius & Andronicus, Scribonio Largo uſurpata vocabula ibid.
Angelorum notitia non omnino deſtituti fuerunt veteres pagani 594 ſq.
Animans, adiectivis vindicatum nomen 337

Anima-

Animarum futurus poſt mortem ſtatus priſcis paganis quodammodo cognitus 604 ſq.
Annales veterum Romanorum deſcripti 645 ſq.
Annivagus, vox, ex dubio Ciceronis loco auctoritatem habet 338 ſq.
Antefixa quid Livio notent? 341 ſq.
Antidotus & Antidotum, voces bonis Auctoribus uſurpatæ 344 ſq.
Apollonias, vox Liviana 131
Appetitivus, Caſſiodoriana vox 347
Arabus, vox Lexicographis incognita 132 ſq.
Argeus, vocabulum Lexicis addendum 133 ſq.
Arimanius quidam an ſit auctor mali moralis 41 ſq.
an ab æterno exiſtat 56 ſq.
Arundinarius, vox, in antiqua Inſcriptione obvia 347
Aſcitæ, genus quoddam Arabum 348
Aſcræus, vox Ovidiana 134
Athenippum, collegium quoddam medicum 349
Avellanus, vox adiectivi vim habens 350
Aventinum, nomen montis 135 ſq.
Aventinus, adiectivum nomen 136
Azymus, vox, a Scribonio Largo uſurpata 351

B.

Barbara, genus quoddam emplaſtri 352
Barcinus, adiectivum nomen 137 ſq.
Bartholinus (Thom.) Annalium eccleſiaſticorum opus magnum meditatur 234
Baſtarna, unus ex gente Baſtarnarum 140
de Beaufort (Ludov.) refutatus 412 ſq.
Bibliotheca Spanhemenſis a Trithemio laudata 117 ſq.
Bithynis, nomen gentile 140 ſq.
Boius, unus ex gente Boiorum 141

C.

Cacodæmonum princeps an ab æterno exiſtat 56 ſq.
Cæcubus, adiectivum nomen 141 ſq.
Cæninus, Cæninenſis, adiectiva nomina 143 ſq.

Cæſa-

Cæſaris (Iulii) loca aliquot emendata 304 ſq.
Cantica Romanorum vetuſta deſcripta 67. ſq.
De Caſaubonorum ſcriptis varia 543
Catapotium, genus quoddam medicamenti 353
Catecheſis Racovienſis, a Moſcorovio translata, cum Polonica editione collata 205 ſq.
Cedrius, adiectivum Scribonianum 353
Cepheius, vox Lexicis addenda 144
Chriſtus quo die cum diſcipulis agnum comederit Paſchalem? 395 ſq.
Chyliſma, vox apud Scribonium Largum obvia 353
Cicero cur Hiſtoriam non ſcripſerit? 623 ſq.
Cilnius, adiectivum nomen 144 ſq.
Cinereum, collyrii quoddam genus 354
Circuminiicio, Liviana vox ibid.
Circumſtupeo, verbum in Corn. Severi carmine de Ætna obvium 355
Cluilius, nomen adiectivum ibid.
Clavi apud Romanos figendi ratio illuſtrata 488 ſq.
Cohumilio, vox Caſſiodoriana 357
Coinfirmo, Caſſiodori vocabulum 358
Colophonia Scribonio Largo quid notet? ibid.
Commenſurabilis, Caſſiodori vocabulum 359
Commentarii Pontificum Romanorum deſcripti 655 ſq.
Compoſitum, vocabulum medicum 359
Compugnare idem, quod pugnare 360
Condeſcendo quid Caſſiodoro notet? 360
Confuſibilis, vox in Caſſiodori officina nata 361
Congloriari idem, quod gloriari ibid.
Conſcia, vox, quid notet 362
Conſcius, nomen, Subſtantivi vim habens 364
Conſervus, adiectivum nomen 367
Convincio an ſit vox Tulliana? 367
Crethæi apud Iudæos qui fuerint 95 ſq.
horum origo 103 ſq.
Criticæ & Grammaticæ Romani veteres peritiſſimi 470

Cuma-

Cumamum, vocabulum apud Scribonium Largum obvium 368 ſq.
Cuperi (Gisb.) ad varios Epiſtolæ, a variis editæ 535 ſq.
ad Almelovenium epiſtolæ editæ 542 ſq.
Cythereus, nomen inter adiectiva referendum 146 ſq.

D.

Danaus, adiectivum nomen 149 ſq.
Danemarchiæ nomen unde Daniæ adhæſerit? 293 ſq.
De Dania, ab Henrico Aucupe bello expugnata, narratio ad fabulas reiecta 233
Declivus, vox Ovidiana 498
Decus pro decuſſis dictum 499
Dedititius, nomen, Subſtantivi vim habens 502
Defiguro, verbum vulgo incognitum ibid.
Degreſſus, Subſtantivum Ciceroni uſurpatum 503
Dei veri notitia non caruerunt veteres pagani 586 ſq.
A Dei natura an abhorreat permiſſio mali moralis? 32 ſq.
Deifico, verbum Caſſiodorianum 504
Delabo, verbum, in dubio Ciceronis loco obvium 505
Deluſorius, a Caſſiodoro uſurpatum vocabulum 507
Demetatus, vox Tulliana ibid.
Demetriacus, vox apud Livium obvia 150 ſq.
Denus, Ovidio vindicata vox 509
Deo præſcientia aſſerta 43 ſq.
Depopulatrix, vox Caſſiodoro uſurpata 511
Deſpota, vox, an Latinis Scriptoribus uſurpata? ibid.
Deverticulum, vox, variis Scriptoribus uſurpata 512 ſq.
Deus in Scriptura S. cur timor Iſaaci vocetur? 612 ſq.
Diæteticus quis olim dictus? 514
Diaſmyrnes, collyrii quoddam genus 515
Diluvium univerſale a dubiis vindicatum 78 ſq.
Diſſimulatorius, vox, apud Caſſiodorum obvia 515
De Doloribus Meſſiæ veterum Hebræorum ſententia explicata 183 ſq.

Ebiſcum,

E.

Ebiſcum, planta, deſcripta 515 ſq.
Ecqui, Adverbium Ciceronis 516
Edeſſæus, Liviana vox 151 ſq.
Effreno, verbum vulgo incognitum 517
Eniſe, Adverbium Livianum 518
Epicopus, vox, male ad Subſtantiva refertur 519
Epidemeticum deſcriptum 520 ſq.
Erubeſcibilis, vocabulum Caſſiodorianum 523
Eſco, verbum antiquum ibid.
Exhæredator, Caſſiodoro uſurpata vox 524
Exuberanter, vocula Caſſiodori ibid.

F.

Fabri (Baſ.) Theſaurus Latinæ ling. ſuppletus 129 ſq.
Fallacitas, vocabulum Caſſiodori 524 ſq.
Fama in hiſtoria antiquiſſima an ſit veri deceptrix? 416 ſq.
Famulatorie, Caſſiodoriana vocula 525
Faſtorum veterum ratio deſcripta 641 ſq.
De Fauſto (Io.) teſtimonium Trithemii 122 ſq.
Finaliter Caſſiodoro quid denotet? 524 ſq.
Finitimus, vox, Subſtantivi vim habens 525
Flaccianus, nomen, Lexicis addendum 152
Fœderum Romanorum monumenta quæ? 662 ſq.
Formulæ ſolennes Romanorum deſcriptæ 699 ſq.
Frumentarius, nomen ſubſtantivum 526

G.

Gehennalis, Caſſiodori vocabulum 526
Germana, vox, idem, quod ſoror, notans 528 ſq.
Gladiolum, vox, Latio vindicata 531
Gnoſias, vox, Ovidio uſurpata 150 ſq.
Gordienſis, Scribonii vocabulum 151
Grammius (Io.) laudatus 229

Henrici

H.

Henrici Aucupis cum Danis bellum ad fabulas reiectum 233. ſq.
De Henrico Northeimenſi ſingularia 116
Hibernum, vox, etiam ſingulari numero uſurpata 532
Hiera, antidoti quoddam genus 533
Hiſtoria Romanorum vetuſtiſſima ab obiectionibus liberata 414 ſq.
Hygra, collyrii genus apud Scribonium Largum 712

I.

Icarius, adiectivum nomen, in Lexicis non obvium 154 ſq.
Idemmet, vocula Tulliana 713 ſq.
Ikenius (Conr.) modeſte refutatus 14 ſq.
Illectrix, a Caſſiodoro uſurpatum vocabulum 714
Illemet, in Cicerone obvium vocabulum 714 ſq.
Illuſter idem ac illuſtris 715 ſq.
Illyrius, adiectivum nomen, Livio uſurpatum 156
Impartire idem, quod impertire 716 ſq.
Impermutabilis, vox apud Caſſiodorum oboia 718
Imperpetuum, Adverbium vulgo incognitum 719
Inæſtimabiliter, vocula Caſſiodoriana 721
Inaurire Lactantio quid notet? 722
Incentivum, Caſſiodori vocabulum 723
Incorrigibilis, Caſſiodoro uſurpatum vocabulum ibid.
Increbeſco æque uſitatum, ac increbreſco 724
Indeclinabiliter, Adverbium Caſſiodoro uſurpatum 725
Influvium, vox apud Velleium obvia ibid.
Inimica, vox Subſtantivis aggreganda 728
Inoletus, Caſſiodoro quid notet? 729
Inſcriptionis Sigeæ nova explicatio 317 ſeq.
Inſcriptionum Romanarum ratio deſcripta. 691 ſeq.
Inſecta, quibus Ægyptus infeſtata fuit, deſcripta 617 ſeq.

Inſen-

Inſenſibiliter, vocula Caſſiodoriana 730
Inſulanus vim Subſtantivi habet in loco Tullii 730 ſeq.
Interæſtimatio in loco Pomponii, ICti, quid notet? 732
Interamnas, vox vere Latina 156 ſeq.
Interemtus idem, quod cædes 734
Intimeo, dubiæ autoritatis vocabulum ibid.
Iſis, genus quoddam emplaſtri 735
Iſthmicus, adiectivum nomen 158
Iſtricus, adiectivum nomen, in Livio obvium 158 ſeq.
Ithacus, nomen adiectivum 159
Itonius, vox Livio uſurpata 159 ſeq.

K.

Karæi an Sadducæis ætate æquales? 16 ſq.
Kyrani cuiusdam libri a Trithemio memorati 113

L.

Latinæ aliquot voces, quæ in Lexicis fruſtra quæruntur, collectæ 129 ſeq.
Lecti veterum an velis, vel pannis, fuerint clauſi? 447 tricliniares an circum triclinium fuerint ſtrati? 449 ſeq. Chriſti, & diſcipulorum eius, an fuerint ſolito altiores 449 ſeq.
Lectis funebribus an paternæ maternæque gentis imagines fuerint impoſitæ? 450
Ledæa, Subſtantivum nomen 160
Leges Regiæ & Conſulares veterum Romanorum deſcripti 666 ſq.
Leontini, nomen, Subſtantivi vim habens 160 ſq.
Libertas hominum cum perfectionibus Dei conſiſtit. 50 ſq.
Libri lintei apud veteres Romanos quales fuerint 658 ſq.
Liguſtinus, adiectivum nomen 162
Livii locus explicatus 495 ſeq.
Lutherus an interdixerit iuventuti Scriptorum profanorum lectione? 569

Mæſius,

M.

Mæſtus, adiectivum nomen 163
Magiſtratuum Romanorum libri quales? 860 ſeq.
Magnetis, Ovidiana vox 163
Mali moralis permiſſio an ſit Deo inconveniens & aliena? 30 ſeq.
De Mali moralis origine veterum Philoſophorum ſententiæ 33 ſeq.
Marchionatus, quem vulgo ab Henrico Aucupe in Dania erectum dicunt, ad fabulas reiectus 233 ſq. 271 ſeq. Antverpienſis ab Henrico Aucupe erectus 289
Marca, vocis, etymologia veſtigata 301 ſeq.
Menſa ſecunda quæ dicatur 458
De Meſſiæ doloribus veterum Hebræorum ſententia explicata 183 ſeq.
Meſſias duplex ab Hebræis fictus 201 ſeq.
Methymnias, patronymicum nomen 164 ſeq.
Monumenta rerum Romanarum publica & privata? deſcripta 628 ſeq.
Mors corporis ſpiritualis an recte dicatur? 371 ſeq.
Mortem veteres pagani fortiter contemſerunt 602 ſq.
Moſcorovii verſio Catecheſios Racovienſis cum Polonica editione collata 205 ſeq.
Mundi creatio ex gentilium ſcriptis cognoſcenda 598

N.

Nemæa, nomen ludorum ſolennium 165 ſq.
Nepeſinus, adiectivum nomen 166
Niſias, patronymicum nomen ibid.
Numida, adiectivum nomen 167

O.

Opera Romanorum publica deſcripta 678
Oſcenſis, Liviana vox 167 ſq.

P.

Pæon, unus ex gente Pæonum 169
Papirianus, adiectivum nomen, Lexicis exulans 179
Parthus, adiectivum nomen 169
Partus dolores, ſymbolum eccleſiæ 181 ſq.
Pelaſgis, vox Ovidiana 171
In Penſili quid ſit, coniectura 450
Pergamum, nomen urbis Aſiæ 171 ſq.
Perſis, adiectivum nomen, Ovidio uſurpatum 174
Petri, ſuper mare ambulantis, hiſtoria explicata. 383 ſq. an deroget potentiæ Chriſti 384 ſq.
Phalaſarneus, nomen gentile apud Livium 173
De Philoſtrati ſcriptis iudicium 120
Phylleius, vox Ovidiana 173
Piſiſtratidæ, poſteri Piſiſtrati ibid.
Plethæi olim qui fuerint? 108
Poetæ olim in magno pretio habiti 573
Poetarum veterum Fragmenta, a variis emendata 543
Pontificum Romanorum commentarii deſcripti 655 ſq.
Popillius, adiectivum nomen 174
Potitius, adiectivum nomen 175
Prope, Adverbii, verus ſignificatus 447

R.

Regum Romanorum commentarii deſcripti 668 ſq.
Rituum Romanorum varia genera 698 ſq.
Romani vetuſtiſſimi an barbari & omnium rerum ignari fuerint? 461 ſq.
Romanorum veterum hiſtoria ab obiectionibus liberata 414 ſq.
Romularis, vox Ovidiana 175

S.

Sacrificii iugis offerendi tempora cur inſtituta? 1 ſq.
Sacrificiis an preces additæ? 9 ſq.

Saddu-

Sadducæorum in Iudaica gente auctoritas quæ? 13 ſq.
Saxonum colonia an unquam in Daniam pervenerit? 271 ſq.
De Schœnberg (Nicolaus) quis fuerit? 110 ſq.
Schœneis, nomen Atalantæ proprium 176
Schœneius, adiectivum nomen, Lexicis ignotum ibid.
Scriptorum profan. lectio Theologis ſalutaris 561 ſq.
loca varia, unde divina veritas confirmari poteſt, collecta 581 ſq.
Scriptura S. circumſpecte ex profanis Scriptoribus explicanda 578 ſq.
Sentinas, adiectivum nomen, vulgo incognitum 177
Serpens an re vera a cacodæmone fuerit obſeſſus 67 ſq.
Seſtus, adiectivum nomen 177
Sibuthus (Georg.) Poeta, deſcriptus 113
Signa varia apud Romanos in templis ſuſpenſa 675 ſq.
Silvius, adiectivum nomen 178
De Sleſvicenſi Marchionatu ab Henrico Aucupe erecto, narratio ad fabulas reiecta 271 ſq.
De Sleſvicenſi Marchionatu donato Canuto M. a Conrado Salico narratio refutata 286 ſq.
Statuæ Romanorum veterum deſcriptæ 684 ſq.
Sycamber (Rogerius) opuſculorum ſex & triginta ſupra centum ſcriptor 113, 119. 121
Sygambra, Ovidii vocabulum 179

T.

Tabulæ Romanorum veterum variæ 634 ſq.
Tabularia Romanorum veterum quæ fuerint? 629
Tarquinius, adiectivum nomen 180
Timor Iſaaci cur in Scriptura S. vocatus ſit Deus? 612 ſq.
Ex Trithemii (Io.) Epiſtolis familiaribus ſingularia nonnulla excerpta 109 ſq.
Trithemius (Io.) inter teſtes veritatis relatus 114
ei viventi multi honores habiti. 115, 119, 120, 121. 125
eius parentes qui? 119
ſcripta varia 121. 125
pro mago a nonnullis habitus 121 ſq.

V.

Veritas rerum antiquitus geſtarum quomodo eruenda? 434
Vicilinus, Iovis cognomen apud Livium 180
Victoriæ Imperatores coronantis exempla varia 459
De Virtutibus & officiis ſalutaria veterum paganorum præcepta 607 ſq.
Voces aliquot Latinæ, quæ in Lexicis fruſtra quæruntur, collectæ 129 ſq.

Errores operarum hi ſunt emendandi:

Pag. 79 *lin.* 2 pro *naturales* leg. *naturales*; *pag.* 231 *l. antep.* pro *delibare* leg. *delibata*; *pag.* 234 *l.* 2 pro *quipque* leg. *quippe*; *pag.* 266 *l.* 24 pro *neam* leg. *meam*; *pag.* 271 *l.* 6 pro *Adamicum* leg. *Adami cum*; *pag.* 279 *l.* 21 pro *ſed* leg. *ſic*; *pag.* 292 *l.* 15 pro *habeant* leg. *habebant*; *pag.* 295 *l.* 28 pro *gerar* leg. *gerat*; *ead. pag. l.* 30 pro *puoris* leg. *pudoris*; *ead. pag. l.* 31 pro *modoquect* leg. *modo queat*; *pag.* 299 *l.* 11 pro *iudicare* leg. *cogitare*; *pag.* 367 *l.* 14 pro *corſervus* leg. *conſervus*; *pag.* 373 *l.* 1 pro *Matrb.* leg. *Matth.*; *pag.* 412 *l.* 21 dele *ad*; *ead. pag. l.* 21 pro *quato* leg. *quanto*; *pag.* 416 in *Not.* (e) *lin.* 11 pro *literarum* leg. *literatorum*; *pag.* 417 in *Not.* (g) *lin.* 3 pro *valet* leg. *vacet*; *pag.* 429 in *Not.* (u) *lin.* 1 pro 1715 leg. 1705; *pag.* 431 in *Not.* (y) *lin.* 5 pro *opp. Lagd.* 1, 8, *pag.* 11, leg. *Opp. Lugd. in* 8 *Part. II*; *pag.* 437 in *Not.* (c) *lin. ult.* pro *p.* 32 leg. *p.* 932; *p.* 438 in *Not.* (e) *lin. ult.* pro *p.* 67 leg. *p.* 6, 7; *p.* 445 *lin.* 4 pro b leg. (p); *ead. pag. Not.* (p) *lin.* 4 pro ἔλω leg. ἔχω; *p.* 447 *lin.* 8 pro *iudicare* leg. *indicare*; *ead. pag.* in *Not. lin.* 1 pro οἴμαι leg. οἶμαι; *pag.* 448 *lin.* 3 pro συγκατατειλογμένον leg. συγκατατειλεγμένον; *p.* 449 *Not.* (t) *lin.* 11 pro τ8τοις leg. τοιέτοις; *ead. pag.* in *Not.* (t) *lin. ult.* expunge alterum δ'; *p.* 450 in *Not. lin.* 3 pro ἀπίςλοι ἄλετθαι leg. ἀπιςίαι ἄλεσαν; *p.* 453 *lin* 9 νικᾶ leg. νικᾷ; *p.* 455 *lin.* 10 pro *p.* 1 leg. *P. I*; *p.* 457 *lin.* 16 pro *Beaufortius* leg. *Beaufortis.*

FINIS.

3 2044 092 617 497